

*forte onusta.**audaci temeritate & impetu.*

cum multitudine citerioris Gallia vasis belligeris, signis, & armis * honesta, urbē ingressus est Toletanam, in qua decenter à nobili Rege & eiusdem urbis præfule est receptus. Conuenerunt etiam ad eandem urbem plærique milites de partibus Portugallis, peditum vero copiosa multitudo, qui mira agilitate expeditionis onera facile sustinebant, & * audaci impetu impetebant.

De concursu pontificum & magnatum Hispania ad congressum. C A P. III.

*Azmarinus Pardi,**essent i. e. q. n. indigerent. degerant.**Toletanus. Pallaninus. Segontiensis. Oxornensis. Abulensis. de Cameris illius mentio infra cap. 5. & 7. Lupi Didaci de Pharo, Roderici Didaci de Carriome. Gonsalvus. fratres eius.**f. de Alcantara Ariamoli. sancto.**enim.**omnia.**muniebat.**quos.*

AD hæc magnates Regis Aragonum strenuitate inclyti, apparatu insignes, armis & equis honesti, Toletum ad exercitum peruenerunt, inter quos fuerunt Gasias Romerii, Eximius Cornelii, Michael de Lusia, * Anazarius Pardi, Guillelmus de Ceruaria Comes Empurenensis, Raimundus Fulconis, Guillelmus de Cardona, & multi alii principes, & Barones, & simplices milites, nec non ballistariorum & peditum copia gratiosa. Aderat in vrbe regia cum nobili Rege magnatum suorum generosa societas, nobilitate, strenuitate, & multitudine approbanda, quos sic & morum elegantia, & curialitatis prærogatiua, & strenuitatis supereminencia venustauerat, vt & in oculis hostium non solum terribiles, verum digni honoribus apparerent. Ciuitatum vero & oppidorum concilia sic copiosis phalangibus, & equis, & armis, & vehiculis, & victualibus, & omnibus ad bellum necessariis præmunita venerunt, vt non * esset inter eos qui aliquo indigeret, immo sua aliis liberaliter communicarent. Quamuis vero in oppidis & ciuitatibus sub vno * degant principis regimine, tamen à suæ principio gentis, & armorum etiam & militaris dignitatis insignia habuerunt, & militare nomen sortiti sunt ab antiquo. Multa etiam contra Sarracenos & contra Christianos ipsi & eorū parentes decenter exercuerunt. Fuerunt etiam ibi pontifices qui se & sua, prout Deus dedit, in sumptibus & laboribus deuote pro fidei negotio impenderunt, in sollicitudinibus vigiles, in officiis deuoti in consiliis prouidi, in necessitatibus largi, in exhortationibus seduli, in periculis strenui, in laboribus patientes. De regno Castellæ Rodericus Archiepiscopus Toletanus, Tellius Palentinus Episcopus, Rodericus Segontinensis, Menendus Oxornensis, Petrus Abulensis. & [Dominicus Placentinus, infra cap. 10. & 15.] De regno Aragonum Gasias Tyraonensis, Berengarius Barcinonensis electus. De seculari vero militia regni Castellæ Didacus Lupi de Pharo, Comes 30 Fernandus de Lara, Comes Aluarus, & Comes Gundifalvus, frater eius * Lupus Didaci de Pharo Rodericus Didaci de * Camberis, Gonsalvus Roderici, & * frater eius, & multi alii nobiles, & magni, & strenui, quorum nomina longum esset enumerare. Fuerunt etiam fratres Calatrauæ sub vno militiae suæ magistro Roderico Didaci (grata Deo & hominibus fraterna societas) fratres militiae templi sub vno magistro Gomitio Ramiri, qui post bellum foeliciter expirauit. Hi sunt qui primi in nouo testamento signo crucis suscepto, superbix militaris fastum, strenuitate seruata, charitatis & religionis vinculo arctauerunt. Fratres etiam militiae hospitalis, qui fraternitatis, charitati insistentes deuote, zelo fidei, & terræ sanctæ necessitate accensi defensionis gladium assumpserunt. Hi sub vno priore Guterrio Ermegildi. Fratres etiam militiae sancti Iacobi sub vno magistro Petro * Auæ. Hi 40 in partibus Hispaniæ multa opera militiae decenter egerunt. Multi etiam Christianæ religionis diuersorum votorum & professionum zelo & compassione * moniti, insigniti signaculo * sanctæ crucis inibi conuenerunt.

De prærogatiua virtutum & largitatis nobilis Aldefonsi. C A P. IIII.

LI C E T * autem tam diuersa, tam varia, tam extranea multitudo non esset facilis ad regendum, etiam patienti, nobilis tamen Rex magnanimitate sua omnia pacifice regebat, omnia æquanimiter & * tranquille tolerabat, ita vt tædium in virtutem mutaret, cum vultu hilari tædium superaret. Irreuerenter prolata reuerenti responso in reuerentiã conuertebat, ambitionis loquacem tristitiam larga manu in lætam facundiam commutabat, 50 curiali applausu fastibus militaribus occurrebat, regalium morum grauitate seruata. id in ipso operabatur benignitas, vt præexcellencia videretur æqualitas, sapientia grauitate conspersa sic omnia * miniabat, vt his fieret eius curialitas in suspirium, & strenuitas in exemplum, ita quod de eo dici posset: Hic virtutis habet plus, quam possedimus omnes. Adolescentes, iuuenes, & quos virilis ætatis robur perfuderat, senes, & decrepiti, quid laudare, quid appetere si facultas suppeteret, quid mirari, quid diligere repererunt. eius industriam in agendis stupore attoniti mirabantur, quem doni & dati perfectio sic perfecit, vt gratiæ & naturæ charismatibus abundaret, adeo vt mundi circulus fateatur Aldefonsum nobilem Hispaniæ se debere. Iuuenes & adolescentes * quorum auorum nobilitas præsentabat,

bat, præficebat titulo militari, ut quos nondum propriæ virtutis extulerat gloria, & creantis manus, & parentum magnalia magnalibus obligarent. Hos sic equorum tuta firmabat magnanimitate, armorum copiosa securitate, vestium speciosa varietate, ut in ipso inuenirent & dominum quem diligerent, & munificum quem laudarent. Et quamuis diuersus esset ritus alienigenarum, & in moribus ab indigenis diffiderent, quia mores omnes virtus magistra diiudicat, potuit omnibus satisfacere, qui virtutes omnium in se potuit conseruare, & quasi non vnus patriæ incolæ, sic mores omnium in se sciuit assumere, ut nulli videretur à suis moribus diffidere. De largitate autem eius quis loqui præsumeret? cum id in ipso modicum fuerit, quod in aliis vix poterat reperiri. Sic enim ab infantia largitatem seruauit, ut obliuisci non potuerit quod de matris utero secum traxit. Sic omnia largitatis suæ priuilegio confirmauit, ut ore omnium promulgata sententia, omnibus munificis silentio imposito, prærogatiuam munificentiae sententialiter obtineret. Et licet magnis magnifice distribueret, manum à minoribus non retraxit. Cum enim essent ultramontani plusquam decem millia equitum, & centum millia * peditum, dabantur omni die viginti solidi vsuales, pediti vero quinque solidi. mulieres, paruuli, debiles, & cæteri ad bellum inepti non erant ab hac gratia alieni. Hæc erant quæ in communi & publice donabantur, præter donaria priuata, quæ sui quantitate hunc numerum excedebant, quæ magnatibus non diurna distributione, sed potiori summa per nobilis Regis nuncios * mittebantur. His muneribus cumulabatur equorum * numerosa generositas, paruulorum iocunda varietas, quæ omnia tenacitatis curua seueritas vultu propitio non poterat intueri. His autem omnibus si iungantur Regibus oblata donaria, suis distributa stipendia, plus modus dantis & hilaritas meruit, quam his omnibus emi posset. Et ad hæc omnia ne gens alienigena expeditionis omnibus indigeret, omnibus tentoria, & eorum vehicula est largitus. Addidit etiam gratiam gratiæ, & cibariorum vehicula cum cæteris necessariis sexaginta millia summas, & ultra cum summariis erogauit.

adde & sic in quibus
militum dab.

mittebantur.
innumerosa.

De processu ad bellum, & captione * Malachonis. C A P. V.

Malachonis.

S*ATISFACTO itaque omnibus per omnia, duodecimo Kalendas Iulii exercitus Do-
30 mini ab vrbe regia est profectus: ultramontani per se, dato eis pro duce Didaco Lupi de
Pharo: Petrus strenuus Rex Aragonum cum suis [Aldefonsus nobilis cum suis.] Et licet
separatim procederent, modicum tamen spacium exercitus diuidebat. Primo die castra
metati sunt iuxta alueum * Guadararaz: secundo iuxta * Guadacelet: tertio iuxta Algo-
dor. Ultramontani vero iuxta Daralferciam castra fixerunt. Et inde procedentes obse-
derunt præsidium Malachonis, & signum in bonum diuina gratia faciente, licet qui erant
in arce, satis viriliter se defenderent, instantia tamen ultramontanorum, quæ magna stre-
nuitate feruebat pro Christi nomine mori desiderans, virtutem resistentium & munitio-
num præsidium in nomine Domini minorauit, cepitque Malachonem, omnibus qui in-
erant interfectis. Sequenti die exercitus Regum aduenit, ibique substitit vno die, sed &
40 aliquantulum victualia defecerunt, tamen occurrit industria Regis nobilis & fecit exponi
victualia copiose.

Patefacto. V. C.
in ora, & hic.
[] V. C. & forte
recte.
Gradaçaram.
f. Guadararaz.
Guadacelet.
Malachon.

De captione Calatraue, & discessu ultramontanorum. C A P. VI.

INDE igitur procedentes omnes pariter peruenimus Calatrauam. Agareni autem qui
inibi rebellabant, excogitauerunt tribulos ferreos fabricare, & per omnes transitus Anæ
fluminis proiecerunt, & quatuor habentes aculeos, qualitercunque caderent vno eorum
erecto, pedibus hominum & equorum vngulis * figebantur. Sed quia humana artificia con-
tra Dei prouidentiam nihil valent, sic Deus voluit, ut paucissimi, vel nulli fere, illis tribulis
50 laderentur, & gratiæ Dei manu supposita transiuimus flumen Anam, & castrametati fui-
mus in circuitu Calatraue. Agareni autem oppidum illud sic in summitatibus turrium ar-
mis, & vexillis, & machinis muniterant, ut volentibus impugnare satis difficile videretur.
Præterea licet sit oppidum illud in plano, tamen ex vna parte muri eius per tactum flumi-
nis inaccessible inuenitur: ex aliis partibus sic muro, & antemurali, fossatis, & turribus,
& propugnaculis est munitum, ut absque longa machinarum impugnatione in expug-
nabile videretur. Erat autem ibi Agareni quidam nomine † Auencaliz, longa armo-
rum assuefactione astutus, & bellorum exercitia frequenter expertus. De huius industria
plus seipis confidebat populus obsessorum, licet esset ibi in præsidio quidam Almohat,
qui præsidii custodiæ præsidebat. Cumque in obsidione per dies aliquot moraremur, & Re-

figerentur.

Auenthaliz

regionibus.
elevator expu-
gnatur opp.
Calatrana re-
stituitur.

cesserunt.

sic propositi ca-
pta.

pro equites sem-
per.

Fraxineda.
Muradal.
Guadalfaiar.

exercitus Chri-
stianus.

Mahomat.
Giennum.
Christianum.

Loza.
origo.

ges cum principibus de impugnatione praesidii dubitarent, post longos tractatus placuit omnibus non relinquere oppidum intentatum, licet impugnatione difficilis videretur. Ple-
rique autem melius iudicabant cepto itinere ad bellum procedere, quam impugnationi-
bus castrorum insistere, praesertim cum in talibus & strenui periclitentur, & exercitus fa-
tigetur. cum & ius acquisitionis & retentionis talium pendeat ex fine belli. Assumptis itaque
armis, locisque oppidi specialiter * Regibus & principibus assignatis, voce fidei * eleuata
oppidum sunt aggressi. Sicque per Dei gratiam factum est, ut die dominica post festum
sancti Pauli expulsis Arabibus fuit Calatrana Regi nobili restituta, quae statim a fratribus
qui dudum ibidem resederant, fuit munita, & Christiano nomini redonata. Nobilis au-
tem Rex de omnibus ibidem inuentis nihil sibi retinuit, sed vltromontanis & Regi Arago- 10
num cuncta * cessit. Sed quoniam humani generis inimicus non cessat Christianis actibus
inuidere, misit Satan in exercitum charitatis, & corda aemulantium conturbauit, & qui ad
certamen fidei se accinxerant, retrorsum a bono proposito abierunt. Omnes enim fere vl-
tramontani communi proposito statuerunt, ut relictis crucis signaculis, omissis etiam bel-
li laboribus, ad propria remearet. Rex autem nobilis suorum victualia compartitus, quan-
tum necesse erat omnibus est largitus. Sed nec sic * cepta obstinatio potuit reuocari. Im-
mo passim omnes inglorii recesserunt, excepto venerabili Arnaldo Narbonensi antistite,
qui cum omnibus quos habere potuit, & multis nobilibus de prouincia Viennensi, semper
in bono constans a bono proposito non recessit. Et erant circiter centum triginta * milites
praeter pedites, de quibus etiam aliqui remanserunt. Remansit etiam de partibus Pictauiæ 20
Theobaldus de Blazon, homo nobilis, & strenuus, & natione Hispanus, & genere Castel-
lanus. Rex Aragonum cum omnibus suis vsque ad finem permansit indissolubili dilectio-
ne Regi nobili fœderatus, & quia sicut dicit Salomon: *Si possides amicum, in tentatione posside
illum*: hic probari potuit, quisque qualiter diligebat. Sed quoniam *diligentibus Deum omnia
cooperantur in bonum*, licet schismatis huius periculosus exitus timeretur, omnia tamen ce-
perunt de die in diem felicius prosperari. Recedentibus itaque his qui crucem Domini
in Angaria attulerunt, soli Hispani cum paucis vltromontanis superius nominatis proficisci
ceperunt ad bellum Domini confidenter, & primo venerunt Alarcuris, ibique castrame-
tati municipium occuparunt, nec non & castella alia in vicino. In eadem mansione adue-
nit Sancius Rex Nauarræ, qui licet a principio simulasset nolle venire, cum ad discrimen 30
peruentum fuit, strenuitatis suae gloriam a Dei seruitio non subtraxit. Sicque Regum ter-
narius in sanctæ Trinitatis nomine processerunt, & primo die castrametati sunt in circui-
tu Saluæ terræ. Dominica die sequenti visum fuit Regibus & principibus, ut totus exerci-
tus armaretur, & etiam omnia tanquam ad bellum disponderentur. Et per Dei gratiam talis
apparuit multitudo armis, & signis, & equis ornata, ut intuentibus nobilis hostibus & ter-
ribilis appareret, nobis amabilis, bello expediens discessum absentium compensaret, ita
quod etiam corda magnanimatorum creuerunt, pusillanimes confortati, dubii confirmati,
& discedentium schisma quod multos terruerat, recessit a cordibus timidorum. Ibiq; etiam
die altero spectantes, post peruenimus ad aliam mansionem quae dicitur * Fraxineda. Tandem
peruenimus ad aliam mansionem eiusdem nominis. Tertio vero die ad aliam man- 40
sionem in radice montis de Muradal, quae dicitur Guadalfaiar.

De occupatione montis, unde ad praelium processit * Christianorum exercitus.

C A P. VII.

IN T E R E A dum hæc agerentur * Mahomat Rex Agarenorum prope * Giennium in
montanis congregauerat gentes suas, ibiq; praestolabatur exercitum * Christianorum.
Nec erat ei cordi pugnare, quia verebatur auxilia peregrina, sed ut in reditu insiliret, ut for-
te Christiani fatigati laboribus, diminuti mortibus ei resistere non valerent. Et ideo forte
consilio altissimi factum fuit, quod aduentitii discesserunt. post discessum enim eorum, 50
quidam initiati diabolo clanculo de nostro exercitu se furantes ad Arabes transfugerunt,
eis statum Christiani exercitus, & defectum victualium detegentes, qui tamen cessauerat
post discidium Calatrauz. Sicque procurante prouidentia quae in sui dispositione non fal-
litur, fuit factum, ut Agareus mutato consilio, assumpta audacia praesumens gloriam, a
partibus Gienni processit. Contra nos properans Beatiam vsque peruenit, & aliquos inde
misit ad Nauas, * Tolosæ, ut in angustia transitus, vbi est rupis fere in via, alueique
* vorago, Christianorum transitum impedirent. Et si Christiani summitatem montium
non cepissent, in montis supercilio resideret, ut ascensum exercitus Domini prohiberent,
sicut capti in bello postea narrauerunt. Hac intentione obseruabant transitum, ut tan-
dem

dem deficientibus victualibus affecti tædio & inedia rediremus. Domino autem aliter faciente, Didacus Lupi de Pharo, cui ducatus exercitus erat commissus, præmisit filium Lupum Didaci, & duos nepotes eius Sancium Fernandi, & Martinum Munionis, vt præcederent ad montis supercilia obtinenda. Verum cum illi de strenuitate confisi aliquantulum procederent improuisi, in summitate montis iuxta castrum quod Ferral dicitur, quosdam Arabes inuenerunt, qui insultū facientes in eos fere læsissent, nisi diuina gratia operante acceptis armis prædicti Christiani cum suis Arabes viriliter * repulissent: & summitatem montis per Dei gratiam obseruarunt, ita quod statim fixis tentoriis inibi remanserunt. *Ferral.*

Quinta autem feria circa horam nonam venimus ad pedem montis, & eadem die plerique de nostris ad montis ardua conscenderūt. Maior vero pars circa Guadalaiar alueum remanserunt. Sexta feria in mane tres Reges, Aldephonsus de Castella, Petrus de Aragonia, Sancius de Nauarra, inuocato nomine Domini ascenderunt, ibique in quodam decliuo montis fixis tentoriis resederunt, & * ea die occupatum fuit a nostris castrum Ferral, sub quo sunt quædam voragine, & in rupe anfractus, & scopulorum præcipitia iuxta Losam, & tanta est ibi angustia transitus, vt etiam expeditos impediatur difficultas. Ibi quædam phalanges Agarenorum * per diem illum & partem sequentis Christianorum transitus obseruabant, ibique frequenter illo die inter nostros & ipsos quædam belli præludia intercesserunt, ita quod ex vtraque parte aliqui, non tamen plurimi, ceciderunt. Dum hæc agerentur, Regū & Principū deliberatio eligebat, qua esset sine periculo procedendū, trāsitus .n. Losæ non erat possibilis sine damno. Et cum iam exercitus Agareni vicinior nobis esset, nec non & eius tentorium rubeum appareret affixum, diuersorum de processu exercitus diuersæ sententiæ ferebantur. Aliqui enim attendentes impossibilitatem transitus retrocedere consulebant, & per locum faciliorem ad Agarenorum campestria transire. Ad hoc nobilis Aldefonsus Rex Castellæ: Etsi hoc consilium discretionem fulgeat, periculum secum portat. populus enim & alii inexperti cum nos retrocedere viderint, non bellum quærere, sed bellum fugere iudicabunt, & fiet discessio in exercitu, nec poterunt retineri. Sed ex quo ex vicino hostes prospicimus, ad eos necesse est vt eamus. Sicut autem fuerit voluntas in cælo, sic fiat. Cumque hoc consilium nobilis Regis præualuisset, Deus omnipotens qui negotium speciali gratia dirigebat, misit quendam hominem plebeium, satis despicabilem, & habitu, & persona, qui olim in montanis illis pecora pauerat, & cuniculorum & leporum ibidem captioni institerat. is ostendit * facilem viam, omnino possibilem per decliuum lateris montis eiusdem. Nec * oportet ab aspectu hostium * occultari, & ipsis videntibus, nec impedire valentibus, venire ad locum * pugnæ congruum poteramus. *repulissent.*

De processu ad locum pugnæ, & occurso Agarenorum.

CAPVT VIII.

Sed quia in tanto discrimine tali personæ vix credi poterat, duo principes præcesserunt, Didacus Lupi de Pharo, & Garfias Romerii, vt si inuenirent esse vera quæ pastor dixerat, montem quendam in summitate sui habentem planitiem occuparent. Et dante Domino sic euenit vt ille tanquā Dei nuncius, qui * infirma mundi elegit, prædicti principes montis planitiem occuparunt, & tres Reges die Sabbati summo mane suscepta benedictione pontificali & gratia sacramenti, ad prædictum montem cum suis agminibus peruenerunt. Castrum Ferral quasi omnino tunc inutile est dimissum. Ipsi tamē credentes nos à prælio deuiare, eo quod Losæ transitum non seruauimus, prædictum castrum cum magna lætitia occuparunt. Reges itaque postrema exercitus obseruantes eum toto comitatu ad suos principes qui præcesserant, peruenerunt. Quod attendentes Agareni non esse * subterfugium, sed processum, grauius doluerunt, & prospicientes tentoria quæ in prædicti montis cacumine figebantur, cateruam militum destinarunt, vt ametatione castrorum primos agminis cohiberent. Nos enim propter viæ angustias porrecto agminē procedere cogebamur. cum nostris autem diutius confligentes Domino faciente viriliter sunt repulsi, & nostri occupata planitie montis per Dei gratiam castra feliciter locauerunt. Et tentoriis vix metatis, videns Rex Agarenorum quod in obseruatione transitus nihil ei proderant insidiæ, neque doli, dispositis aciebus eadem die processit ad campum, & præcipuam aciem quæ eius erat custodiæ deputata. super quodā promontorio ad quod difficilis erat ascēsus, nobiliter collocauit, cæteris suis aciebus a dextris, & a sinistris prudentissime ordinatis, & ibi ab hora sexta vsque ad vespertum spectarūt, putantes nos eo die ad prælium processuros. Sed consilii deliberatione habita prouisum fuit, vt bellum vsque ad secundam feriam differretur, eo quod equi erant montiū difficul-

tate vexati, & exercitus fatigatus, & vt etiam statū eorū & processum possemus in isto medio contueri. Cumque intellexisset Agareus, quod non procedebamus ad bellum, elatus in gloriam, non ex cautela, sed prouenire credidit ex timore. Vnde epistolas misit Beatiā & Giennium, quod tres Reges obsederat intra triduum capiendos. Tamen aliqui altius cogitabant, dixisse talia referuntur: Videmus prouide & sollicite collocatos, & plus videtur ad pugnam parari, quam ad fugæ subsidia anhelare. Sequenti die Dominica, summo mane iterū egressus est Agareus in campum, vt pridie, & mansit in campo vsque ad meridiem dispositis aciebus, & ad æstus iniuriam repellendam allatum fuit tentorium rubeū ad vmbraclū Agareni diuersis artificijs adornatū, sub quo gloriose debito residens conflictum fastu regio expectabat. Nos vero, sicut pridie fecimus, eorum exercitū attendentes obseruatis castris deliberabamus, qualiter in crastino procedere deberemus. Toletanus autē & cæteri pōtiffices per singularū ciuitatū & singulorū principū mansiones verbum exhortationis & indulgentiæ deuotissime proponebāt. Eo die illustri Rex Aragonū sobrinum suum Nunium Sancii accingit * cingulo militari. Agareni etiam in modum torneamenti circa vltimam partem castrorum quædam belli præludia attentabant. Tandem inter sextam & nonam post longā expectationē Agareni ad locum quo castra metati fuerant, sunt reuerfi.

De dispositione acierum, & ordinibus bellatorum.

CAPVT IX.

SE QV EN T I vero die circa mediam noctem vox exultationis & confessionis insonuit in tabernaculis Christianis, & per vocem præconis inelamatum est, vt omnes ad bellum Domini se armarent, Celebratis itaque Dominicæ passionis mysteriis, & facta confessione, sumptis sacramentis, acceptis armis ad campi certamina processerunt. Dispositisque aciebus (sicut iam dudum fuerat pertractatum inter principes Castellanos) Didacus Lupi cum suis habuit primos ictus: mediam aciem Comes * Gundifaluus Nunii cum fratribus Templi, & Hospitalis, & Velefii, & Calatrauæ: collateram habuit Rodericus Didaci de Camberis, & Aluarus Didaci frater eius, & Ioannes * Gundifalui, & alii nobiles cum eisdem: in vltima acie nobilis Rex Aldefonsus, & Rodericus Archiepiscopus Toletanus cum eo, & alii episcopi supradicti. De Baronibus, Gundifaluus Roderici, & frater eius, Rodericus Petri de Villa luporum, Suerius Telli, & Fernandus Garfiæ, & alii. In qualibet autem istarum acierum erant communia ciuitatum, sicut fuerat ordinatum. Strenuus autem Petrus Rex Aragonum exercitum suum disposuit in totidem aciebus: primos ictus habuit Garfiæ Romerii: secundam aciem Eximinus Cornelii, & Aznarius Pardi: in vltima fuit ipse cum aliis magnatibus regni sui: similiter & in collateralis acie alios de suis nobilibus collocauit. De communibus etiam ciuitatum Castellæ habuit ipse secum. Rex Nauarræ Sancius, speciali prærogatiua strenuitatis perspicuus, cum suis à dextris Regis nobilis procedebat, & in comitatu suo communia ciuitatum Secobiæ, Abulæ, & Medinæ. Dispositis atque aciebus, eleuatis ad cælum manibus, directis ad Deum oculis, cordibus ad martyrium excitatis, protensis vexillis fidei, & nomine Domini inuocato, ad belli discrimina omnes pariter peruenerunt. Primi autem qui primos ictus dederunt in acie Didaci Lupi de Pharo, fuerunt suus filius, & nepotes superius nominati, strenui & audaces. Agareni vero in summitate quadam præsidium instar atrii firmauerunt de scriniis sagittarum, infra quod erant præcipui peditum collocati, ibidemque Rex eorum refedit habens iuxta se enses, induens cappam * nigram, quæ fuerat * Abdelmumi, qui fuit principium Almohadum, & librum etiam sectæ nefariæ Mahometi, qui dicitur Alchoranus. Extra atrium erant etiam aliæ acies peditum, quorum quidam tam de interioribus, quam de exterioribus sibi adinuicem colligatis, vt quasi de fugæ præsidio desperarent, constanter belli instantiam sustinebant. Erat autem exterius ante atrium acies Almohadum militaris, equis, & armis, & infinita multitudine terribilis in aspectu: à dextris autem ipsorum & à sinistris erāt Arabes velocitate & lancearū agilitate nocui inexpertis, qui & fugiendo impetunt, & fugati acrius insolescunt. In planitie vero vbi volubilitati non obest angustia, nocuiores reperiuntur. Hi similes Parthis sagittarum insistent negotiis, & in clauarum ponderibus vasa ferunt vertiginis, & hi, & illi extraordinariis vagationibus intenti acierum ordinem non obseruant, vt aduersarios incursionibus turbent, & suis ordinatim venientibus ruptis agminibus ex aduerso grassandi tribuant facultatem. Sed & istorum & aliorum innumerabilem multitudinē nullum credo de nostris potuisse veraciter extimare, nisi quod postea ab Agarenis audiuius, quod erant octoginta millia * militum, peditum vero [turbæ non poterant numerari.] Ad hæc dicebantur adesse quidam Agareni de partibus * Azdoræ prope Marrochos, mirius accepti in oculos Regis sui. Hi equis relictis, Regi suo, vt eius

Sup. de hoc ritu.

Consulens.

Consulsi.

fratres.

*An ha Srbes
tunc regni Na-
uarræ?*

*magnam
Abdelmum.*

abest

*multitudo non
poterat.
pro equitum.
Azcora.
Azdora.
Marrochi.
minus acc. in o-
culis V. C.*

eius gratiam compararent, pedites astiterunt, & ex his omnibus nullus creditur euasisse. Astabat etiam Regi eorum quædam acies stupenda multitudine obstipata, & militaribus insignibus mirabiliter adornata.

De victoria Christianorum, & strage Sarracenorum.

CAPVT X.

10 **A**GARENI autem fere immobiles in loco manentes cœperunt repellere primos nostrum qui ascendebant per loca satis congressui importuna, & in his repulsis aliqui ex nostris congressoribus difficultatibus fatigati aliquantulum substiterunt. Tunc etiam aliqui ex mediis aciebus Castellæ & Aragoniæ in vnum agmen ad primas acies conuenerunt, & fuit ibi commotio magna, & res dubio periculosa, ita vt etiam aliqui, non tamen de magnis, viderentur fugæ præsidio inhiare, sed primi & medii ex Aragonia & Castella coniunctim congressui insistebant, collaterales etiam acies cum Agarenorum aciebus acriter dimicabant, adeo quod quidam eorum terga vertentes fugere videbantur. Quod attendens Aldephonsus nobilis, vidensque quosdam plebeia vilitate quid deceat non curare, dixit omnibus audientibus pontifici Toletano: Archiepiscope ego & vos hic moriamur. Qui respondit ei: Nequaquam, immo hic præualebitis inimicis. Rex autem inuictus animo, Festinus, inquit primis succurrere in periculo constitutis. Tunc Gonsaluus Roderici, & fratres eius processerunt ad primos. Fernandus vero Garfiæ vir strenuus, & in militia industrius, retardauit ipsum Regem, consulens vt obseruato moderamine procederent ad succursum. Tunc Rex inquit iterum: Hic Archiepiscope moriamur. talis enim in tali articulo mors non dedecet. Et ille: Si Deo placet corona victoriæ, non mors insistat: sin autem aliter Deo placuerit, vobis commori omnes communiter sumus parati. In his autem omnibus (testificor coram Deo) nobilis Rex non mutauit vultum, nec gestum solitum, nec loquelam, immo viriliter & constanter, vt leo imperterritus, aut mori, aut vincere firmus erat, nec diutius valens tolerare primorum periculum festinato gressu vsque ad atrium Agareni dante Domino hilariter vexillorum insignia peruenerunt. Crux vero Domini quæ coram Toletano pontifice consueuerat baiulari, præferente eam Dominico Paschaffi canonico Toletano, per Agarenorum acies miraculose transiuit, & ibidem illæso baiulo sine suis vsque ad finem belli, sicut Domino placuit, perdurauit. Erat autem in vexillis Regum imago beatæ Mariæ virginis, quæ Toletanæ prouinciæ & totius Hispaniæ semper tutrix extitit & patrona. In cuius aduentu acies illa mirabilis, & turba innumerabilis, quæ hæcenus satis immobilis permanebat, & rebellis nostris obstiterat, cæsa gladiis, fugata lanceis, victa ictibus terga dedit. Tunc etiam ad instantiam germani sui, qui Zeit Auozecrith vocabatur, Rex Agareni iumento varii coloris insidens fugæ præsidio se commisit, & cum quatuor militibus periculi locis Beatiam vsque venit, & Beatienfibus quid facerent sciscitantibus, dicitur respondisse: Nec mihi, nec vobis possum consulere, Dominus sit vobiscum. Ibi que mutato iumento, Giennum ea nocte peruenit. Interea Aragonensibus ex sua, Castellanis ex sua, Nauarris ex sua parte instantibus, cæsa sunt multa millia Agarenorum. Quo viso & audito Toletanus pontifex hæc verba dixit Nobili Regi: Estote memor gratiæ Dei, quæ omnes defectus in vobis suppleuit, & opprobrium aliquandiu toleratum hodie releuauit. Estote etiam memor vestrorum militum, quorum auxilio ad tantam gloriam peruenistis. His & aliis in hunc modum dictis, ipse Toletanus, & alii pontifices qui simul aderant, cum lachrymis deuotionis in laudis canticum eleuatis vocibus proruperunt dicentes: *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.* Erat etiam ibi Tellus Palentinus Episcopus, Rodericus Segontinensis, Menendus Oxomensis, Dominicus Placentinus, Petrus Abulensis, multi etiam alii clerici Domino cantica decantantes. Campus autem sic strage Agarenorum plenus erat, vt etiam in robustissimis equis vix super eorum cadauera absque periculo transiremus. Erant autem Agareni qui supra prædictum atrium inuenti sunt, statura proceri, pinguedine dilatati, & (quod mirabile est dictu) licet iacerent in omnibus partibus corporis detruncati, & iam à pauperibus spoliati, in toto campo nec signum sanguinis poterat inueniri. Quibus peractis nostri gratiæ Dei terminum nolentes imponere, per omnes partes vsque ad noctem eos infatigabiliter sunt secuti, & secundum extimationem creduntur circiter bis centum millia interfecta. De nostris autem vix defuere viginti quinque.

*magnitudine**nos decet
vobiscum mori.**B. Maria Virgo
erat**Beatia**prorumpunt
sup. cap. 3.**decantabant
iuxta supra dictum atrium*

Ximenius. Sed
sup. sepe.

instantis.

al. alii

aliqui.

postposita.

QVÆ autem specialiter facta sunt à magnatibus, neminem credo sufficienter posse dicere, cum nemo potuerit omnia particulariter intueri, scilicet qualiter Aragonensium audax strenuitas operam dedit stragi, qualiter agilitate facili præuenerit fugientes: quam viriliter * Eximius Cornelii cum turba suorum aduenerit agentibus primos ictus: qualiter Garfias Romerii, & Aznarius Pardi cum aliis magnatibus Aragoniæ & Cataloniæ belli dubia magnificè peregerunt: qualiter Nauarrorum bellicosa agilitas belli * instantiæ se obiecit, & persecuta sit fugientes: qualiter & ultramontani qui remanserant, in occursum magnanimi Agarenorum incurfibus restiterunt: qualiter Castellanorum 10 magnifica nobilitas, & nobilis magnanimitas largis copiis suppleuit omnia, manu strenua compressit pericula, victrici gladio præuenit velocia, foelici victoria complanauit aspera, & crucis impropria in gloriam commutauit, & hostis blasphemias laudum canticis dulcorauit. Sed si singulorum magnalia vellem prosequi, citius in scribendo manus deficeret, quam dicendi materia mihi deesset. Sic enim omnes præuentrix armauerat gratia, ut nullus de iis qui esse aliquid videbantur, aliud appeteret, nisi aut pati martyrium, aut obtinere. His itaque omnibus peractis foeliciter, iam circa solis occasum in Agarenorum tentoriis sedimus fatigati, satis tamen pro victoriæ lætitia recreati, neque ex nobis ad castra qui redierunt, nisi famuli ad sarcinas deportandas. Tanta autem fuit in campo Arabum multitudo, quod medietatem spacia vix potuimus occupare. In campo autem * qui voluerunt, 20 pere, plurima inuenerunt, aurum scilicet, argentum, vestes pretiosas, suppellectilia serica, & multa alia preciosissima ornamenta, nec non & pecunias multas, & vasa preciosa, quæ omnia pro maiori parte pedites & aliqui milites de Aragonia habuere. Maiores enim & quos fidei zelus, & Regis reuerentia, & amor strenuitatis nobilitauerat, hæc omnia contemnentes vsque ad noctem persecutioni viriliter intenderunt, præsertim cum præcedenti die pontifex Toletanus sub interminatione anathematis inhiuisset, ne quis prædæ campi infisteret, si diuina prouidentia victoriam concedere dignaretur. Camelorum autem, & cæterorum animalium, nec non & victualium quæ inibi sunt inuenta, vix posset, quamlibet subtilis discretio æstimare. In eodem itaque loco illo die & sequenti moram fecimus fatigati. Homines, & vehicula, & res, & sarcinas, quæ fuerant ob belli instantiam * proposita, 30 vel neglecta, famulorum studio sunt aduecta. Et quod vix videtur credibile, licet verum, in illis duobus diebus ad vsus omnes nulla alia ligna combuffimus, nisi hastas lancearum & sagittarum, quas secum duxerant Agareni: vix tamen in illo biduo potuimus consumere medietatem, quauis ex industria, non ad necessitatem, ignem apponerent, sed ad eorum multitudinem consumendam.

Decapitione Beatia, & Vbeta, & aliorum castrorum, & reditu exercitus.

C A P. XII.

Bilche.
Berral.
Balnea.
Tolosa.
Beatia.
Vbeta.Septimo
Lupi Ferrencii
facimus memo-
rabile.

EXINDE procedentes quidam ex nostris castrum de Bilche fortissimum obsederunt. 40 Nos vero die tertia post bellum, quarta scilicet feria, venientes cepimus castrum Bilche, nec non & alia tria, scilicet Ferral, & Balnea, & Tolosam, quæ vsque hodie per Dei gratiam à fidelibus incoluntur, ibique moram per vnum diem fecimus, & procedentes ex nostris ad ciuitatem Beatiam vacuum inuenerunt, fugientibus Agarenis, & suorum periculo iam comperto se in Vbetam receperunt, præter quosdam inexpeditos qui in eorum oratorio quod Mezquita dicitur, incendio perierunt. Hoc audito Reges & principes communi consilio decreuerunt, Vbetam obsidere. Hoc factum fuit feria sexta post bellum. Igitur secunda feria, * octauo scilicet die post bellum, aggressi sunt ciuitatem inuocato nomine Christiano, & sicut Domino placuit, ex ea parte vbi instabant Aragonenses, quidam armiger Lupi Ferrencii de Luna murum ascendit, & in eius ascensu corda resistentium languerunt, & se Regis gratiæ sponponderunt. Super hoc itaque habito frequenti tractatu primo obtulerunt Sarraceni mille millia aureorum, ut ciuitas eis integra remaneret, quod & aliqui acceptarunt, dolentibus admodum Regibus, & simulantibus tamen propter instantiam magnatum. Demum Toletano, Narbonensi, & cæteris pontificibus auctoritate pontificali pacta huiusmodi prohibentibus factum est, ut ciuitas funditus euerteretur, Sarracenis ad vitam seruatis, captiuitati nihilominus mancipatis. Et iam Dei gratia propter luxum hominum tepescente, Christiani cupiditate illecti intendebant iniuriis & rapinis. vnde & Dominus imposuit frenum ori eorum, & percussit eos infirmitatibus, & iumenta, & vix erat in tabernaculis qui comilitoni posset socio, vel domino ministrare. Et necessitate compulsi

pulsi rediimus Calatrauam, ibiq; inuenimus Ducē Austriæ de partib. Teutoniæ, qui satis in magno venerat apparatu. Indeque cum Rege Aragonum, cui erat consanguinitate coniunctus, in Aragoniam est reuersus. Nos vero cum nobili Rege Aldephonso ad urbem peruenimus Toletanam, ibique cum pontificibus, & clero, & vniuerso populo in ecclesia beatæ Mariæ virginis processionaliter est receptus, multis Deum laudantibus, & in musicis Instrumentis acclamantibus, quod eis Regem suum reddiderat sanum & incolumem & corona victoriæ coronatum. Inde diuiso exercitu, vnusquisque ad propria est reuersus. Hic finis belli, quod fuit æra millesima ducentesima quinquagesima, feria secunda, decimo sexto Kalendas Augusti.

Austria.
Teutonia.

Æra 1250
Christi 1212
Eodem die Dō.
na capta anno
V. C. 367.

10 De captione Alcaratii, & Alcantaræ, & aliorum castrorum, & fœdere cum Rege Legionensi.
CAP. XIII.

POST hæc autem, licet Christianorum populi essent laboribus & infirmitatib. fatigati, Rex tamen Nobilis a magnalibus non poterat abstinere. Et congregato exercitu eodem anno mense Februario Castrum Dominarum impugnatum machinis occupauit, & restituit, quorum fuerat, fratribus Calatrauæ. Et inde procedens cepit castrum quod *Eznauexore dicitur, & militiæ sancti Iacobi dedit illud. Et inde perueniens ad castrum famosum quod Alcaratium dicitur, obsidione diutina impugnavit, & in die ascensionis Domini eiusdem anni cepit illud Domino faciente, & à Roderico Toletano pontifice, & clero qui aderat, processionaliter est receptus in ecclesia sancti Ignatii quæ Mezquita fuerat, diuinis solenniter celebratis. Cepit etiam aliud castrum quod Riuus Oppæ dicitur, expulsis Arabibus ab eodem. Et sic reuersus in terram suam, in villa ecclesiæ Toletanæ quæ sanctus Torquatus dicitur, festum Pentecostes præsentem vxore sua Regina Alienor, & filio suo Enrico, & filia sua Berengaria Legionensi Regina, & nepotibus suis Fernando & Alphonso cum gratiarum actionibus & gloria celebrauit. Accidit autem eo anno, vt Dei iudicium Hispaniam visitaret. nam sic in omnibus regni finibus victualia defecerunt, vt homines panem petentes, cum non esset qui porrigeret, in plareis & compitis famis exitio morerentur, licet ipse Rex nobilis largissime elemosynas erogaret, & pontifices, & magnates, milites, & populares supra posse studerent, quæ habere poterant, pauperibus impartiri. Nec tantum sterilitas in fructu terræ, sed etiam in volucris, gregibus, & armentis, quæ conceptu & foetu eo anno sterilitate simili caruerunt, & equitaturæ, & equi multi defectu palearum & hordei perierunt. Et licet tanta pestis patriam infestaret, Rex nobilis ab ascensionibus corde conceptis non potuit retineri, & cum Aldefonso Rege Legionensi olim genero fœdus ininitum innouauit, & restituit ei Rex Castellæ Carpium, & Montem regalem, vt diruta de cætero non starent. Et dato ei in auxilium Didaco Lupi de Pharo, magnate nobili & potente, Reges pariter condixerunt, vt vterque per confinia regni sui exercitum duceret contra Mauros: & Rex Legionensis in eo introitu cepit Alcantaram munitionem nobilem, quam dedit postea fratribus Calatrauæ.

Castrum dominarum
Eznauexore
Alcaratium

Oppariuus
S. Torcasus

Carpium
Mons regalis

Alcantaræ

46 De obsidione Beatia, & tregua cum Arabibus, & populatione Miraculi, & peste famis. CAP. XIII.

ALDEPHONSUS autē nobilis Rex Castellæ æra millesima ducentesima quinquagesima prima, octauo Kalendas Decembris, congregato exercitu urbem ingressus est Toletanam, & per Consocram & Calatrauam transiens circa Beatiam fixit castra, & sic inualuit fames ibi, vt exercitus carnes humano generi insuetas edere cogerentur, ibique aduenit prædictus Didacus Lupi cum magno militum comitatu. Rex enim Legionensis post captam Alcantaram reuersus fuit in terram suam. Cumque diu Beatia obsidio traheretur, ne a patria victualia portarentur, omnibus fere famē deficientibus, suorum consilio Rex nobilis tregua cum Arabibus reformata rediit Calatrauā, & cum fratres & sæculares qui ibi morabantur, fame & inedia laborarent, magnates, & milites, & cæteri populorum, prout vnusquisque potuit, subuenerunt, sicut tanta aduersitas tolerabat. Rodericus etiam Toletanus pontifex attendens verbum Ioannis Apostoli, *Qui viderit fratrem suum necessitatem habentem, & clausit viscera misericordiae suæ, quomodo Dei charitas est in illo* & item dicit scriptura *Pasce fame morientem, quem nisi pauperis, occidisti.* totum argentum quod apud se potuit inuenire, fratribus erogauit, & ne castra frontaria remanerent habitatoribus destituta, elegit ipse cum indigentibus indigere, & cum fratribus in terræ solatium & subsidium eo tempore remanere. Rege itaque cum exercitu ad patriam redeunte, prædictus pōtifex

Æra 1251

Consocra
Calatraua
Beatia.

omnibus sæcularibus remanentibus Calatrauz à festo Epiphaniæ usque ad octa-
 uas sancti Ioannis omni die edulium ministravit. Sed in Quadragesima ad tantæ ne-
 cessitatis angustias peruenerunt, quod ipse pontifex cum fratrum capitulo potius carnes
 comedere, quam terram deserere decreuerunt, nisi Dominus aliter prouideret. Sed Dei
 abundantia pietati misericorditer sic prouidit, ut * prædicto pontifici alimonia non deef-
 set, & fratrum indigentiam supportaret usque in diem, qua terra Domini diuitibus & pau-
 peribus fructum dedit. Eo tempore idem pontifex in via publica per quam Toletum Ara-
 bes grauius infestabant, castrum quod Miraculum dicitur, populauit. vbi cum aliquandiu
 confedisset pluuiis & inundationibus impeditus, castri fabrica non crescebat, tamen in eo
 quod fieri potuit, relictis militibus, & aliis bellatoribus qui nouæ populationis ambitum
 custodirent, imminente solennitate Ramis palmarum venit ad ecclesiam Toletanam. Vbi
 processione solenniter celebrata, cum clamor insurgeret egenorum, idem pontifex ver-
 bum exposuit charitatis, & sic Omnipotens corda audientium inflammavit, ut ipso incipi-
 ente, cæteri qui verbum Domini audiebant, usque ad tempus fructuum * cæteros paupe-
 res receperint: & sic charitatis gratiarum numerum augmentauit, ut in * tota vrbe vix re-
 manserit qui exhibitorem proprium non haberet. Et eadem die * qua fuit hæc distributio
 charitatis, septingenti milites, & mille quadringenti pedites Arabum castro Miraculi ad-
 uenerunt, & eos qui intus aderant, vnius diei concertatione fortiter impugnarunt, adeo
 quod aliquis de intrinsecis sine morte, aut effusione sanguinis vix remansit. Agarieni autẽ
 inluforum constantiam formidantes, multis ex suis sagittis, gladio, & lapidibus interfe-
 ctis, gressu retrogrado recesserunt, & tanta fuit cæsis obsessorum, quod nullus ex eis in ca-
 stro potuit remanere. Sed post * accessum Arabum Roderico pontifici, cuius erant, nun-
 cio destinato, successores fortes & incolumes receperunt, & ipsi Toletum vehiculis sunt
 aduecti, vbi commoditate debita recreati usque ad sanitatis gaudium sub chirurgico re-
 manserunt. Rodericus autem pontifex his dispositis iuit Burgis ad regem nobilem Alde-
 phonsum, qui opera eius commendans in Domino dedit ei viginti aldeas in possessionem
 perpetuam ecclesiæ Toletanæ.

De morte Regis nobilis Aldephonsi. CAPVT XV.

CONSVMMATIS autem quinquaginta tribus annis in regno, Rex nobilis Aldepho-
 sus generum suum Regem Portugalliæ ad colloquium conuocauit. Cumque esset in
 procinctu itineris eundi Placentiam vltimam sui domini ciuitatem, in aldea quadã Ar-
 euali, quæ dicitur Gutterius Munionis, cœpit grauius infirmari, vbi demum febre cor-
 repta vitam finiuit, & secum gloriam Castellæ sepeliuit, facta prius confessione Roderico
 pontifici, & sumpto summi viatici sacramento, assistentibus Episcopis, Tello Palentino, &
 Dominico Placentinensi. Sequenti die in præsentia Alienor vxoris suæ charissimæ, & Re-
 ginæ Berengariæ filia suæ dulcissimæ, cum Enrico filio, & Alienor filia, & nepotibus suis
 Fernando & Alphonso in ætate consistentibus puerili, æra MCC LII. in die * Fidis
 Virginis secunda feria, * decimo Kalendas Octobris, non plenus dierum, sed virtutibus
 & honore, beatum spiritum suo qui dederat, restituit creatori. Et factus est luctus omnium
 & desolatio magnatum, nec non & omnium populorum. Et corpore eius in decenti sarco-
 phago collocato, ea die peruenimus * Vallemoletum. Deinde ex omnibus regni partibus
 pontifices & abbates, religiosi & sæculares, milites & magnates, humiles, & maiores ad ex-
 equias tanti funeris conuenerunt. Sic enim corda * hominũ vulnerauit relatio mortis e-
 ius, quasi quilibet improuisæ sagittæ iaculo feriretur. Sic enim strenuitas, largitas, curiali-
 tas, sapientia, & modestia eum sibi ab infantia vindicarant, ut post mortẽ eius sepulta cre-
 dantur omnia cum sepulto. Omnes enim non tantum in suis, sed in aliis Hispaniæ finibus
 effrenatis studiis, & laxatis habenis licentiæ, quo libuit abierunt, & nihil sibi retinuerunt,
 cum thesauros verecundiæ amiserunt. Sepultus est autem in regali monasterio prope Bur-
 gis à Roderico Toletano, Tello Palentino, Roderico Segontinensi, Menendo Oxomẽsi,
 Girardo Segobiẽsi Episc. & aliis religiosis, officiosa obsequia funeris filia eius regina Berẽ-
 garia impendẽte: quæ tanto dolore eius exequias cõsummauit, quod fere dilaceratione &
 lachrymis se extinxit. Et sicut in vita regnum virtutibus adimpleuit, sic in morte totam
 Hispaniam, immo mundum lachrymis madefecit. Sepultus est autem in prædicto mona-
 sterio à pontificibus suprædictis, vbi laudum eius præconia nec inuidia,
 nec obliuio poterit abolere.

RODERICI ARCHIEPI- SCOPI TOLETANI DE REBUS HISPANIÆ LIBER NONVS.

De regno regis Enrici, & quod fuit Comiti Aluaro deputatus.

CAPVT I.



O igitur iam sepulto continuo filius eius Enricus * paruulus & hæres, à pontificibus & magnatibus, vniuerso clero, *Te Deum laudamus*, cantante, ad regni fastigium eleuatur. Vndecim annorum erat cum regnare cœpisset, & duobus annis, & decem mensib. regnauit. Verum post mortem Regis nobilis viginti quinque diebus transactis Alienor vxor eius fuit rebus humanis exempta. Hæc erat Enrici Regis Angliæ filia pudica, nobilis, & discreta, & sepulta est in prædicto monasterio

*paruulus sac-
cessor & hæres*

20 iuxta virum, & custodia * pueri Regis, & regni gubernatio remansit penes Berengariam Reginam * sororem eius. Cuius diligentia sic apparuit toto tempore sui regiminis, vt pauperes, diuites, ecclesiastici, sæculares, sicut tempore Regis nobilis fuerant, in suis statibus seruarentur, licet Baronum varieras zelo inuidiæ circum acta discidia procuraret. Cum autem essent tres Comites, Fernandus, Aluarus, Gundifaluus, filii Comitis Nunii supradicti, cœperunt ad custodiam Regis pueri inhiare, vt concepta odia possent in his quos oderant, vindicare, sicut pater eorum fecerat tempore pueritiæ patris eius. Aliqui etiam quibus Regina Berengaria se credebat, eorum studiis consenserant, mediante quodam milite Palentino qui Garfias Laurentii dicebatur, & de mandato Reginæ erat custodia Regis pueri deputatus. * Hic promissa sibi à Comite Aluaro in hæreditatem villa quæ dicitur Ta-
30 bulata, Regi suasit, vt ad Comitis Aluari custodiam se transferret. Quod cum solers Regina Berengaria percepisset, animo gratanti concessit, sed timens insolentias quæ venerunt, fecit iurare Comitem Aluarum, & magnates, vt sine ipsius Reginæ consilio, nec aliquibus terram auferrent, nec aliquibus terram darent, nec vicinis Regibus guerram mouerent, nec multam, quæ Hispaniæ * pecta dicitur, imponerent in aliqua regni parte: & iuramento, & * hominio in manu Roderici Toletani pontificis firmauerunt, & si contrarium facerent, proditoris infamia tenerentur. Sed quia Regina propter importunitates militum & maiorum tædio erat affecta, timebat ne regnum in sui custodia turbaretur, & ideo Comiti Aluaro dedit puerum conditionibus supradictis. Qui cum * Gundifaluo Roderici, & fratribus suis tunc sibi fauentibus in continenti Burgis egrediens cœpit exterminia procurare, magnos humiliare, & vulgi diuites exhaurire, religiones & ecclesias ancillare, & decimarum tertias quæ ad ecclesiarum fabricas pertinebant, cœpit similiter infiscare. Sed excommunicatus à Roderico Toletano decano, qui vices Archiepiscopi tunc gerebat, coactus fuit restituere, & * iurare ne de cætero attentaret, & ecclesiarum homines qui priuilegiolorum regalium immunitate gaudebant, cœpit angariis & exactionibus subiugare.

*paruuli, ab
puelli.
Nobilem.*

*Hic promissa
est à Comite
Tabulata*

*f. Pecho
hominio*

Gundifaluo

*In archiuis San-
ctæ Ecclesiæ To-
letanæ. existant
duæ epistola,
quibus continen-
tur iuramentum
hoc huius Co-
mitis & pro-
missio Regis, de
non auferendis
decimis. Epistola
autem habentur
inf. in Nota
11.*

*attendentes
paruo puero*

De contubernio Regis Enrici & Domina Masalda. C A P. II.

V ERVM cum apud Vallem oleti curiam celebrassent magnates alii, Lupus Didaci de Pharo, Gonfaluus Roderici, & fratres eius Rodericus Roderici, & Aluarus Didaci de
30 Camberis, Alphonfus Telli de Menefis, & alii nobiles regni exterminio condolentes curauerunt tantis cladibus obuiare, & Reginæ Berengariæ prudentiam * adeuntes humiliter supplicarunt, vt regni miseris condoleret. Comes autem Aluarus cœpit Reginam nobilem infestare, adeo vt ea quæ sibi pater suus dederat, occuparet, & ei etiam ore tenentario demandauit, ne in regni finibus remaneret. Tunc Regina nobilis cum sorore sua Alienor, quæ fuit postea Regina Aragonum, & erat tunc temporis domicella, in castrum Gundifalui Roderici quod Aptellum dicitur, se recepit, ibique deguit vsque ad mortem fratris. Sed prædicti magnates tanquam naturali dominæ fideliter adherentes Regi * paruo fidelitatis debitum in omnibus seruauerunt. Cæterum prædictæ Reginæ solers industria omnia sic prouide ordinauit, vt magnates sibi fauentes, & Comitis Aluari insolentias re-

frenaret, & iura sua Regi paruo conseruaret. Verum cum Rex tenellus intentionem Comitum sagaci indole iam sentiret, libenter volebat ad sororis custodiã se transferre. Sed Comes Aluarus per suos complices ita cavit, quod Rex puer quod volebat, non potuit effectum mancipare. Nam Comes callide cogitauit vxorem ex Portugallia sibi dare, qua medianteposset puerum in suo beneplacito retinere. Sed in contrarium res euenit. Nam cum Mafaldam filiam Regis Portugalliæ adduxisset, & puer non esset in ætate nubili, remansit domina coniugali commercio defraudata, & quia se consanguinitatis linea attingebant, de mandato Innocentii * Papæ fuit contubernium separatum. Et post (vt fertur) inter se, & dominam voluit Comes Aluarus connubium procurare. Sed ipsa cum esset pudica, verbũ respuit indignanter.

De morte nuncii, & captione Montis alacris, & obsidione Villa alba

CAPVT III.

POST curiam Vallis oleti Comes Aluarus cum suis complicibus, & cum Rege extrema Dorii peragravit maiorum animos sibi concilians, vt eorum fauore posset aliis imperare, & habentium diuitias exhaurire, & inde se transtulit ultra Serram. Et cum venisset Maqueda, quæ est oppidum in dicecesi Toletana, Regina nobilis misit nuncium de fratris statu clanculo percunctari. Erat enim sollicita, eo quod a Comite Aluaro negligentius seruabatur. Et cum Comes Aluarus de nuncio cõperisset, * fecit scribi literas imposturæ, & falso sigillo Reginæ nobilis intercludi, in quibus continebatur, quod Regina nobilis scribebat aliquibus de consilio * magnatum de campis, vt cum toxico sibi misso fratri suo exitiale poculum propinarent, vt sic puerum * ad sororis odium grauius prouocarent, & hominem continuo suspenderent. Sed cum labia malignorum sibi velut ebria mentiantur, qui Susannam a falso testimonio liberauit, Reginam nobilem & innocentem ab imposturæ mendacio liberam declarauit, & vt in suis mendaciis caperentur iniqui, communis & fidelis assertio omnium sine dubio affirmabat Reginæ nobilis veritatem, detestans maledictis & conuitiis quod iniquitas adinuenit. Et licet e fronte superbia Comes Aluarus niteretur, tanta tamen efferbuit subsannatio populi contra eum, vt cogeretur recedere a partibus dicecesis Toletanæ, & Optam veniens ibi aliquandiu fecit moram. Aduenit autem miles nobilis Rodericus Gundisalui de Valle viridi, qui beneplacitum Regis pueri iam habebat, vt ad sororem suam infcio Comite Aluaro se trãferret. Sed cum Fernandus Munionis Comitum Aluari fautor & nepos aduentum prædicti nobilis comperisset, ei ex improviso assumptis militibus superuenit, & captum duxit ad Alarconem. Tunc Comes Aluarus vt in regno excidia excitaret, fautoribus Reginæ nobilis mouit guerrã, & assumptis quos habere potuit, cum Rege ad Vallem oleti in sequenti quadragesima peruenerunt, & Paschate resurrectionis dominicæ celebrato, cum militibus Castellanis, & de extremis Dorii Vallem triticariam vastauerunt, & domos magnatum qui Reginæ fauebant, hostiliter dissiparunt. Deinde in castro quod Mons alacer dicitur, Suerium Telli obsederunt. Sed cum Gonfalus Roderici, & fratres eius, & Alphonfus Telli pluribus militibus præmirent, Regis præsentiam reuerentes noluerunt obsessio fieri in succursum. Sed ipse Suerius Telli regi petenti protinus castrum dedit. Exinde Comes cum Rege procedens in campis plurima deuastauit, & apud Carrionem per dies aliquos fecit moram. Deinde ad Villam albam de Alcor contra Alphonsum Telli properauit, & quidam milites ex agmine præcurrentes extra munitionem Alphonsum Telli repperunt, & captis equis & armis ipsum etiam vulnerarunt, & vulneratus in municipio se recepit, vbi per aliquot dies obsessus viriliter se defendit.

De morte Regis Enrici.

CAP. IIII.

AB obsidione vero Comes recedens Pallentiam festinauit, Regina autem & sui nobiles in Aptello & Castro Cinisario morabantur, & nesciebant quid agerent, eo quod in exercitum Rege præsentem non poterant insilire, nec illatas iniurias sustinere. Unde communiter decreuerunt Regi restituere terram suam, & de cælo auxilium expectare. Cum igitur terra (vt dictum est) variis incursionibus vastaretur, & Comes cum paruo pallentiam aduenisset, contigit eum in domo Episcopi hospitari, & res Ecclesiæ vt hostem consumere & deuastare. Quãdã autem die cum Rex puer instaret ludicris cum coætaneis Domicellis minus prouide custoditus, Domicellus quidam e turri casu tegulam proiciens, Regem in capite vulnerauit, ex quo ictu post dies paucos fuit mors lugubris subsecuta. Sed antequam rumore loquacitas diulgasset, Regina sapiens misit Lupum Didaci & Gundisaluum Roderici magnates pro filio suo Fernando, qui apud Taurum cum patre tunc temporis

effectui

*adde
tertiu P. C. &
inf. cap. 9.*

Maqueda

*secum scribit,
scripsit Cod.*

*magnatorum
ad sororem*

Opta

*Alarcon disci-
dit.*

*Extrema Dorii
Vallis triticaria
Mons alacer.*

*Carrion
Alcor
Villa alba.*

*Pallentia.
Cinisarium.*

Pallentiam

temporis morabatur. Qui* euntes rumore de morte Regis pueri sumpserunt, & Regi Legionis causam suadentes cum Infante Fernando ad Reginam* Verengariam redierunt. Interim autem Comes Aluarus tulit Regem à Pallentia, vt in castrum quod Tarecum dicitur, celaretur. Sed quia res non potuit, occultari, soror eius Regina funestis rumoribus concitata Pallentiam cum magnatibus properauit, vbi à venerabili Tello Episcopo ciuitatis cum processione solenniter sunt recepti, & inde ad castrum quod Donia dicitur, procedentes continuo viceperunt. Tunc magnates cum Comite Alvaro de concordia tractauerunt, sed nihil voluit Comes Aluarus acceptare, nisi Infans Fernandus Rex futurus suæ custodiæ, vt auunculus, traderetur. Cui pactiōni Regina nobilis & magnates verentes præterita, nullatenus consenserunt, & procedentes ad Vallem oleti venerunt, & consilio habito ad extrema Dorii processerunt. Et cum venissent ad villam quæ *Cauca* dicitur, habitatores villæ eos recipere noluerunt, sed ad Aldeam quandã quæ Sanctus Iustus dicitur, secesserunt, & ibidem nuncios receperunt, ne* Socobiam, vel Abulã, vel ad aliquam extremorum Dorii accederent ciuitatem. Nunciatum est etiam quod Sãcius Fernandi frater Regis Legionensis contra Reginam & filium eius magna cum multitudine adueniret. Vnde & Regina Nobilis & filii sui cum his qui aderant ad Vallem oleti protinus redierunt.

Quod Infans Fernandus factus est Rex Castellæ. C A P. V.

20 **C**VM autem audisset Regina potiores extremorum Dorii, & de vltra Serram Socobię conuenire, misit nuncios qui eis fidelitatis debitum suaderent. Cumque viri extremorum Dorii hoc audissent, venire ad Reginam nobilem continuo consenserunt, & cum ad Vallem oleti communiter conuenissent, ibidem tam extremorum Dorii potiores qui pro omnibus venerant, quam etiam magnates & milites Castellani communi consensu* regnum Castellæ fidelitate debita Reginæ nobili obtulerunt. Ipsi enim decedentibus filiis, cum esset inter filias primogenita, regni successio debebatur, & hoc ipsum patris priuilegio probabatur, quod in armario Burgensis ecclesiæ seruabatur, & etiam totum regnum, antequam Rex haberet filium, bis iuramento & hominio hoc firmarat. Ipsa autem intra fines pudicitie & modestie supra omnes mundi dominas se coarctans regnum sibi noluit 30 retinere. Sed extra portam Vallis oleti educta multitudine extremorum Dorii, & Castellæ, vbi forum agitur, conuenerunt, eo quod tantam multitudinem domorum angustia nõ ferebat, & ibidem filio regnum tradens, Infans Fernandus, de quo diximus, omnibus approbantibus ad ecclesiam sanctæ Mariæ ducitur, & ibidem ad regni* salutem sublimatur, anno ætatis suæ decimo octauo, clero & populo decantantibus, Te Deũ laudamus, te Dominum confitemur. Et ibidem omnes ei fecerunt hominium, & fidelitatem Regi debitam iurauerunt, & sic honore regio ad regale palatium est* reductus. Cum autem audisset Regina nobilis Aldephonsum Regem Legionensem ad villam quæ* Airoium dicitur, aduenisse, modestie suæ insistentis pudori, per Mauriciũ Burgensem & Dominicũ Abulensem Episcopos humiliter supplicauit, vt se ab inquietatione filii temperaret. Sed ipse Rex 40 elatus superbia, quam cordi eius Comes Aluarus instillarat, supplicationi & precibus contradixit, eo quod imperio inhiabat. Immo transiit Pisoricam, & venit Lacunam, vbi cum diebus aliquot permanisset, direxit faciem contra Burgis, & cum loca plurima & domos militum deuastasset, & alias incendio concremasset, ad villam quæ Arcus dicitur, superuenit, sperans ciuitatem Burgensem se capturum. Sed cum audisset in eadem vrbe Lupum Didaci, & multos milites congregatos, frustratus spe vacua & inani, contra consiliarios indignatus in terram suam prope reueiuit.

De tumulatione Regis Enrici. C A P. VI.

50 **R**EGINA autem in Regem filio sublimato, dum hæc fierent, Pallentiæ morabatur, & ibi venerunt ad eam ex Secobia, & Abula, & aliis oppidis extremorum Dorii milites copiosi consiliorum suorum seruitia offerentes. Et tunc Regina duos venerabiles pontifices, Telliũ Pallentinum & Mauriciũ Burgensem misit Tarecum, vt Enrici Regis corpus reciperent cum suis parentibus tumulandũ, præsertim cũ & hoc ipsum Comes Aluarus iam mandasset: & præfati pontifices recepto corpore Pallentiã redierunt. Et inde Rex nouus cum matre sua Regina nobili ad castrum quod Munio dicitur, adueniunt, & dum Rex oppidum impugnaret, Regina Nobilis fratrem suum Enricum Regem in sarcophago nobiliter præparato detulit ad monasterium prope Burgis, & ibidem iuxta fratrem suum Fernandum Infantem cum planctu magno exequiis celebratis regaliter sepeliuit.

Senientes mortem Regis pueri suppresserunt. Berengar. Tarecum.

Donia

*Cauca
Cauca pro Co-
ca
S. Iustus
Secobia sup. lib.
8. cap. 9.
Abula*

Regi Castellæ fidelitatem debitam.

hominio

solium.

adductum

Arroyum

Pisorica

Lacuna

Arcus.

Tarecum

Munio

Munio.
Lerma.
Lara.

Inde vero Regina veniens Munionem inuenit castrum a Rege Fernando & suis fidelibus occupatum, militibus qui inerant, captiuatis. Post hæc ad Lermam & Laram, quas Comes Aluarus detinebat, cum Burgenfi concilio procedentes inuasas fortiter occuparunt, & rebellantes milites vi ceperunt. Inde ad urbem Burgensem redeuntes, à pontifice, clero, & populo honorificè & processionaliter sunt recepti, gaudentibus omnibus quod liberati ab hostibus in dominæ naturalis dominio remanserunt.

Berengaria.

De largitate Regine Verengariae, & de captione Comitis Aluari.*

CAPVT VII.

Belli foramen.
Anagarum.
Naiara.

Alliorum agger.
Quintana fortis.

Pallentiola.

Ferrariola.

per mansu.

ius domini
V. C. 12.
abnegauit.

VERVM quia perturbatione huiusmodi obistente regales redditus ad stipendia defecerunt, & Regina nobilis quidquid habuerat in largitionibus, dispensat, ad argentum & auri, & gemmarum donaria misit manum, & quæque ex talibus reseruauit, in auxilium filii liberaliter erogauit, & de consilio magnatum qui secum aderant, ad partes Belli foraminis, Anagari, [& Naiaræ] processerunt, & receptis villis quas sibi incolæ gratissime redderunt, Burgis iterum sunt reuersi.munitiones enim quas Comes Gonsalus Nunii detinebat, non potuerunt propter sui fortitudinem expugnare. Et dum Rex & Regina nobilis essent Burgis, Comes Aluarus, cum fratribus & cõplicibus per aggerem Alliorum & Quintanam fortunii transferunt, & in Belli foramine hostiliter irruentes, nec etati, nec sexui pepercerunt, sed cuncta cæde & incendio consumpserunt. Quod cessit nouo Regi & Regine nobili in amaritudinem & dolorem. Et hac vastatione peracta Comites ad propria redierunt, & Rex nouus cum matre Regina nobili & suis magnatibus a Burgis Pallentiam cœpit ire. Et dum ad villam quæ Pallentiola dicitur, peruenissent, Comes Fernandus in Ripella vallis Guiariæ aciebus dispositis subsistebat. Comes Aluarus cum suis militibus Ferrariolam se recepit, & quarta feria quatuor temporum mensis Septembris, cum Rex Fernandus & Regina nobilis ituri Pallentiam iuxta Ferrariolam pertransirent, collateralem aciem cum Alphonso Tellii & Suerio Tellii separauit, ne agmen exercitus transeuntes à militibus Comitis læderetur. Et cum Comes Aluarus extra villam cum aliquibus militibus resedisset, in villam ceteris intromissis, ut posset exercitum contemplari, remansit cum paucis in villam colligi dedignatus. Sed cum Alphonsus Tellii, & Suerius Tellii, & Aluarus Roderici, & quidam alii eum eminus agnouissent, contra eum equorum impetu processerunt, & videns multitudinem præminere, iam exanimis, quamuis superbus recolligere sese cœpit. Sed cum prædicti milites aduenissent, Comes Aluarus de equo descendit, & iacens in terra clypeo se obtexit. Sed illi * manibus eum trahentes captum cum ducibus militibus concaptiuus Regi & nobili Regine præsentarunt. Et qui multos offenderat, qui nulli pepercerat, qui naturali dominæ * eius dominiũ abnegarat, diuino iudicio nunc prostratus suorum militum & fratrum intuentium auxilio destitutus, capitur inglorius & confusus. Tunc Regina nobilis gaudio & lachrymis Deum laudans diu gratiarum institit actioni, quod inimicum suum, & regni, & filii sibi tradidit tam facili captione.

Quod Comes Aluarus & Comes Fernandus restituerunt quedam castra nouo Regi.

CAPVT VIII.

Cannetum.
Alarcon.
Amata.
Belli foramen.
Anagarum.
Naiara.
Pandicurgum.
Castrum.
Xoriz.
Orzeion.

sbiquo.

VIDENTES igitur cuncti qui aderant, quod Deus omnipotens Regine nobilis opera dirigebat, cum gaudio & actionibus gratiarum Pallentiam intrauerunt, & inde ad Vallem oleti iuerunt, ubi fuit Comes Aluarus in captione & vinculis custoditus. Cumque ibidem de compositione aliquandiu tractaretur, ea conditione fuit pactio acceptata, ut Comes Aluarus restitueret castra omnia quæ tenebat, scilicet Cannetum, & Alarconem Amata, & Tarecum Cæsareum, & Villam francam, Turrim Belli foraminis, Anagarum [Naiaræ] & Pandicurgum, & his deditis solueretur. Castrum Xoriz & Orzeionem detinebat Comes Fernandus frater eius, & ad eorum captiõnem tenebatur Comes Aluarus cum centum militibus Regem sequi, donec ea suæ potentie subiugaret. Comes autem Aluarus Gundisaluus Roderici fuit commissus, donec compleret superius prænotata. Rex autem duxit exercitum versus Castrum, & licet Comes Fernandus fultus copia victualium & multitudine armatorum inibi rebellaret, ea conditione restituit Castrum & Orzeionem, ut eius vasallus fieret, & ab eo ut vasallus proprius Castra teneret. His peractis Domino disponente quicquid perturbatio noui regis, & sex mensium spacio fuit seditio sic sedata, quæ credebatur perpetuo duratura, quod Rex Fernandus susceptus ab omnibus cœpit * ibi iurisdictionem regiam exercere.

De Comitum morte, Aluari & Fernandi. CAPVT IX.

POST hæc autem Comites videntes in regno potentia suæ gloriam minoratam, immo potius annullatam, in Valle iuniperi territorii Pallentini cœperunt iterum rebellare, & prædas in campis Gotthicis exercere. Sed Rex Fernandus cum Regina nobili matre sua & aliqua parte magnatum venit ad Aggerem Fumorum, & *Medinam de riuo sicco, & sic Comitum insolentia pro parte maxima cessauerunt. Sed videntes Comites in Valle iuniperi non posse resistere, Regis Legionensis dominio se dederunt, & vt moueret guerram filio, suaserunt. Cumque vtrinque exercitus conuenissent, & quidam nobiles ex Castella 10 versus partes Salmantica intrauissent, videntes Regem Legionis sibi cum suo exercitu occurrentem, in Aldea Medina del campo, quæ Castellio dicitur, intrauerunt. Cumque Rex Legionensis eos inibi obsedisset, & Comes Aluarus cœpisset caligis ferreis calcari, percussus à Domino cœpit grauissime infirmari, & firmata tregua inter patrem & filium ab inuicem discesserunt. Comes autem Aluarus morbi & treguæ dolore vexatus, Taurum semianimis est delatus, vbi mortis anxietate coactus militia Sancti Iacobi sese dedit, & ibidem vitam finiuit, & Vclesii est sepultus. Et post modicum tempotis Comes Fernandus frater eius, cui non vt voluit, in regno Castellæ desideria prouenerunt, in Africam transfretauit, & ab Amiramomenino susceptis muneribus varia iactitauit, & dum ibi longa mora, vt moris est Arabum, traheretur, eum contigit infirmari, & fecit ad vicum prope 20 Marrochos qui Elbora dicitur, se transferri. Vicus enim à Christianis duntaxat incolis colebatur. Et dum percepit ex incurabili morbo interitum imminere, à Gundifaluo fratre Hospitalis, qui Innocentii Papæ tertii familiaris extiterat, suscepit habitum Hospitalis, & vniuersæ carnis viam ingressus, cum aliis qui ibidem obierant, ad domum Hospitalis, qui Pons Fiterii dicitur, in dicecesi Pallentinensi, in sarcophago est delatus, & ibidem ab vxore sua Comitissa Maiore, & filiis suis Fernando, & Aluaro, & multis aliis est sepultus.

De laude Regis Fernandi & eius vxore Beatrice.

CAPVT X.

ADVERSARIIS itaque sic à Domino iudicatis, Rex Fernandus regnum obtinuit 30 pacifice & quiete, Regina nobili omnia disponente, quæ * adeo sollicitè filium educavit, vt regnum & patriam iuxta morem aui sui nobilis Aldephonsi in pace & modestia gubernaret, vsque ad regni sui vicesimum quintum annum. Sed quia indecens erat, vt tam magnus princeps extraordinariis petulantibus traheretur, mater sua quæ semper voluit eum ab illicitis custodire, procurauit ei vxorem nomine Beatricem, quæ fuit filia Regis Philippi in Romanorum Imperatorem electi, & Mariæ filia Corfac Constantinopolitani Imperatoris, quæ fuit optima, pulchra, sapiens, & pudica, missiq; pro ea nuncii, Mauricius Burgenfis Episcopus, vir laudabilis & discretus, Petrus Abbas S. Petri de Aslantia, Rodericus Abbas de Riuo sicco, Petrus Odoarii Prior Hospitalis, ad Fredericum Romanorū Rege 40 gem, sub cuius custodia erat tunc temporis Domicella, in Teutonia accesserunt: ab ipso Rege honorabiliter sunt recepti. Cumq; legationis causam, vt iniunctum fuerat, explicassent, prædictus Rex & sui principes responsionem aliquandiu suspenderunt, & fere per menses quatuor prædicti nuncii expectarunt. Tandem Rex Federicus in Imperatorem electus confobrinam suam Beatricem, Domicellam nobilem, pulchram, compositam, & prudentem, Regi Fernando per dictos nuncios cum apparatu nobili destinavit. Et cum Parisios aduenissent, Rex Francorum Philippus nomine, qui tunc Gallis præsidebat, eam honeste recepit per terram suam honorifice dans ducem. Ad regnum Castellæ foelici itinere peruenunt. Et Regina nobilis Berengaria cum comitatu nobili religiosorum & sæcularium magnatum, & Dominarum vltra Burgum qui Victoria dicitur, occurrit nobili Domicella, & Burgis ex inde venientes inuenerunt Regem Fernandum cum magnatibus, & nobilibus, & ciuitatum primoribus expectantem. Qui Domicellam & nuncios honore quo decuit, recepit, & tertia die ante festum sancti Andrea in regali monasterio prope Burgis celebrata missa à venerabili Mauricio Burgenfi Episcopo, & armis militaribus benedictis, ipse Rex suscepto gladio ab altari manu propria se accinxit cingulo militari, & mater sua Regina nobilis ensis cingulum deaccinxit. Tertia die, in festo scilicet sancti Andrea, Beatricem dulcissimam Domicellam duxit solenniter & legitime in vxorem, missam venerabili Mauricio in cathedrali ecclesia celebrante, & benedictione nubentibus largiente. Et fuit ibi curia nobilissima celebrata assistentibus totius regni magnatibus, dominibus, & fere omnibus regni militibus, & primoribus ciuitatum.

POST modicum vero temporis propter iniurias quas Rodericus Didaci de Camberis in terra sibi credita exercebat, licet esset cruce signatus in subsidium terræ sanctæ, Rex Fernandus citauit eum, vt ad curiam veniens satisfaceret de obiectis. Cumque ille ad Vallem oleti curiam aduenisset, cum naturaliter iræ inconstantia duceretur, à falsis amicis suis inuiso & infalutato Rege recessit. Rex autem pro huiusmodi indignatus abstulit ei terram suam. Et cum prædictus Rodericus Didaci nollet restituere munitiones, tandem restituit eo pacto, vt Rex daret ei quatuordecim millia aureorum, & cum pecuniâ suscepisset, tunc demum reddidit castra Regi. Anno postea iterum reuoluto, Gonfalus Petri *Molinæ consilio Comitis Gundifalvi cœpit contra Regem minus prouide rebellare, & partem Reginæ, Molinæ vicinam rapinis & vastationibus molestare. Cumque monitus nec desistere, nec satisfacere voluisset, Rex Fernandus super eum exercitum congregauit, sed superuenienti nobili Regina Berengaria matre sua, cum Rex non posset Castrum *Zaphare expugnare, concordiam * procurauerat, & certis pactionibus Rex soluto exercitu à Molina recessit. Et diebus aliquot interpositis Comes Gundifalvus Nunii, qui ad Arabes se transtulerat, cum à Rege Castellæ beneficia non posset assequi, vt optabat, iterum se restituit Agarenis, & dum in partibus Cordubæ moraretur, in villa quæ * Beatia dicitur, infirmitate grauissima contigit ipsum mori, & delatus à suis sepultus est in Cephinis, vbi habent oratorium fratres templi.

Vallis Oleti.
Vallolera.

Molina.
De Molina dominus.

Caphare.
procurauit.

Bacna.

De filiis Regis, & primis vastationibus contra Mauros. CAP. XII.

VSCEPIT autem Rex Fernandus ex vxore sua gratissima Beatrice filios hic notatos, Aldephonsum primogenitum, * Federicum, Fernandum, Enricum, Philippum, qui oblati à domina Berengaria Regina nobili auia sua Deo & Roderico Toletano pōtifici, per manus eiusdem pontificis ad titulum ecclesiæ Toletanæ in sortem Domini est vocatus, & in continenti idem pontifex præbendam, & alia beneficia in prædicta ecclesia assignauit. Habuit alios filios, Sancium qui oblati * Roderico Toletano pōtifici, à quo cum clericali tonsura Psalmistæ officium est adeptus, præbendam & beneficiū in Toletana ecclesia est consecutus: Emanuelem, & duas filias, Alienor, quæ decessit paruula, & Berengariam, quæ in regali monasterio degit virgo Domino consecrata. Verum Regina nobilis Berengaria mater Regis volens eum à Christianorum iniuriis alienū, militiæ suæ primitias voluit Domino * dedicare, & * treguam cum Arabibus noluit vltius protelari: sed exercitu congregato, assistentibus sibi Roderico Toletano pontifice, & aliis magnatibus regni sui, per Beatiam & Vbetam vastationes exercens aggressus est Caseatam, & captis & interfectis multis millibus Saracenorum, quia castrum variis impugnationibus erat dirutum, tunc noluit retinere. Rex autem Caseata vt diximus, occupata, per ripam Bætis magni fluminis ad partes peruenit Giennii, & destructis quibusdam munitionibus vrgente instatia hyemali ad propria est reuersus. Post hæc autem iterum exercitum congregauit, & tradente eas sibi Auomahomat, qui erat Arabum princeps nobilis filius Auoabdellę filii Abdelmumi, cepit Beatiam, Andugarum, atque Martos, & castrum istud nobilissimum dedit fratribus Calatrauę, & destructis aliis castris & municipiis, ad sua foeliciter est reuersus. Et tertio ingressus terram Arabum cepit Seuior, Xoparum, & Gartiez, & bellatoribus obfirmavit, aliisque vastationibus peractis ad urbem reuersus est Toletanam. Eo tempore erat in Hispaniis legatus Romanæ ecclesiæ Ioannes de Abbatis villa, quæ est in Comitatu Pontini, Sabinensis Episcopus Cardinalis, vir bonus, sapiens, literatus, qui celebratis in singulis regnis conciliis, postquam monita salutis proposuit, ad sedem apostolicam est reuersus, tribus annis legationis expletis. Post hæc iterum Rex Fernandus terram Arabū est ingressus, & cepit * Ezinatoraph, turrem de Albep, Sanctum Stephanum, & * Chicranam, & alia vice duxit exercitum per Giennium circa festum sancti Ioannis, quod propter sui fortitudinem nō potuit expugnari, & inde procedens cepit Pegum, & captis incolis & occisis, munitionem funditus desolauit, & veniens ad oppidum quod Alhama dicitur, captis habitatoribus & occisis, locum destructione simili dissipauit. Post quod ad propria cum exercitu remeavit. In hac expeditione non interfuit Rodericus pontifex Toletanus, qui * Guadalphaiare remanserat febris acumine fatigatus, vbi finis periculum vix euasit, sed misit cum exercitu * Domincum capellanum suum, virum venerabilem, Episcopum Placentinensem, qui in exercitu loco eius pontificalia exerceret.

Fredericum.
Fernandum.

Hunc Franc.
Tarapha Archiepiscopus
Toletanū fuisse,
& in pralio
contra Mauros
occubuisse re-
fert pag.
immolare
treguam.

Ezinatoraph
V. C. hodie
Isnatoraph.
hodie Chicrana.

Guadalphaiara.
V. C.
hodie.

De captione Capellæ, & fundatione ecclesiæ Toletæ, & Abenhuti.

CAP. XIII.

ET procedens iterum contra Mauros obsedit Capellam, castrum munitissimū, in dice-
 celi Toletana, & diutinis impugnationibus tandem cepit, & expletis quatuordecim
 hebdomadibus expeditionis, ad urbem regiam est reuersus. Et tunc iecerunt primum lapi-
 dem Rex & Archiepiscopus Rodericus in fundamento ecclesiæ Toletanæ, quæ in forma
 Mezquitæ à tempore Arabum adhuc stabat, cuius fabrica opere mirabili de die in diem,
 non sine grandi admiratione hominum, exaltatur. In diebus huius Regis Fernandi surre-
 xit quidam nomine Abenhut in castro Rechoc in territorio Murtiensi, & cœpit contra
 Almohades rebellare, qui cismarinos Arabes adeo crudeli dominio opprimebant, quod
 de facili Abenhuti proposito consenserunt, & obtenta Murtia, & finitimis oppidis & ca-
 stellis, omnes Almohades quos habere potuit, capite detruncavit, & omnes Mezquitas
 præsentia Almohadum iudicans inquinatas, aspersione aquæ fecit à suis sacerdotibus ex-
 piari, & armorum suorum insignia fecit nigra, quæ in bellis & alibi præferrebat, quasi luctu
 præsignans excidium gentis suæ, & in modico tempore obtinuit Vandaliam Hispanorum,
 præter Valentiam, & confinia, in quibus Zaen de genere regio rebellauit. Erat autem A-
 uenhut de genere Abohaget olim Regis Cæsaraugustæ, & cum fere monarchus in cis-
 marina Vandalia haberetur, audacia, largitate, iustitia, veritate, prout gentis eius infidelitas
 seu versutia tolerat præminebat. Sed à quodam suorum qui Abenroman dicitur, inuitatus
 ad epulas & delicias familiares, quas gentis illius colit voluptas, factione hospitis & vasalli
 occiditur in conclauis apud præsidium Almaria. Et tunc inualuit Arabs quidam dictus
 Mahoma Alienalagar, qui paulo ante * bouis & aratri vestigia sequebatur. Hic Arionæ,
 & Gianni, Granatæ, Vastæ, & Accii, & locis aliis adhuc hodie principatur: & post interi-
 tum Abenhuti, Vandalia cismarina in plures Regulos est diuisa, & ab Almohadibus sepa-
 rata, quod Christianis vile inuenitur.

De morte Aldephonsi Regis Legionensis, & successione Regis Fernandi

CAP. XIII.

POST hæc iterum obsedit Giennium, & machinis validis impugnavit, sed videns quod
 ciuitas tanta fortitudine præminebat, quod non posset humano ingenio expugnari,
 habito magnatum suorum consilio inde recessit, * & cum Abdaralfertiam peruenisset, ru-
 mor aduenit patrem suum in villa noua de Sarria ab hoc sæculo migrauisse, & in ecclesia
 beati Iacobi traditum sepulturæ, æra millesima ducentesima sexagesima octaua, & quod
 etiam regnum legauerat, quas ex Regina Tarasia susceperat, [filiabus.] Propter quod ma-
 ter eius Regina Nobilis domina Berengaria ad eum materna sollicitudine veniebat, vt ad
 recipiendum * bonum paternum * quantocius festinaret, quod ei de mandato patris pon-
 tifices, magnates, & ciuitatum concilia iurarent, ne forte in mora perturbatio aliqua orire-
 tur. Erant autem cum eo Rodericus pontifex Toletanus, Lupus Didaci, Aluarus Petri,
 Gonsalvus Roderici, Gasias Fernandi, Alphonfus Tellii, * Guillelmus Gonsalui, Didacus
 Martini, & alii nobiles, & magnates, & plures milites ciuitatum, qui cum Rege inclyto ve-
 nientes Reginam nobilem in pago qui * Orgatium dicitur, inuenerunt, & inde communi-
 ter urbem regiam intrauerunt, à qua mora * proposita omnes continuo recesserunt, & ad
 oppidum quod Agger Sellarum dicitur, peruenerunt, indeque ad castrum sancti Cypria-
 ni de * Mozoth cum matre & comitatu veniens, castrum ei vt domino reddiderunt. Se-
 quenti die eum similiter in Villa Lalii receperunt, vbi ad Regem, tanquam ad dominum,
 ex Tauro nobilissimo oppido milites aduenerunt, qui Regem * sui & oppidi naturalem do-
 minum cognouerunt, & vt sequenti die Taurum adiret, instantissime supplicarunt, nobi-
 li Regina hæc omnia * procurante. Altera vero die Taurum intrauimus, vbi omnibus an-
 nuentibus Rex Fernandus factis sibi hominio in Regem & dominum est receptus. Indeque
 per castra dominæ Reginæ aliquandiu incedentes recepimus ex aliis ciuitatibus milites,
 & nuncios venientes, qui videbantur de receptione Regis aliquantulum dubitare. Soro-
 res enim domini Regis, Sancia & Dulcis, de quibus diximus, rebellionem cum complici-
 bus præparabant. Sed tamen regni Prælati, quorum interest regnum & sacerdotium con-
 tueri, in auditu auris Regem Fernandum in Regem ilico receperunt, scilicet Ioannes O-
 uetenfis, Nunius Astoricensis, Rodericus Legionensis, Michael Lucensis, Martinus Sala-
 mantinus, Martinus Mintonensis, Michael Ciuitatēsis, Sanciū Cauriensis. Hi omnes cum
 suis ciuitatibus, patre mortuo, filio se dederunt, nec rebellio cogitata potuit inualere. Nam
 quam cito venimus Maioricam & Mansellam, Regi se protinus reddiderunt.

SE Q V E N T I vero die intrauimus Legionem, quæ in regno illo sedis regiar præminet dignitate, ibique ab Episcopo & vniuersis ciuibus ad regni Legionis fastigium eleuatur, clero & populo Te Deum laudamus cantantibus concorditer & iucunde, & ex tunc Rex Castellæ & Legionis pariter est vocatus. Ibiq; nuncii aduenerunt ex parte Regina Tarasiaz super compositione internuncia referentes, & licet verbum magnatibus displiceret, tamen Regina nobilis in tantum timuit * regni & pauperum vastationem, quod procurauit, vt Rex subsisteret Legioni, & ipsa iret Valentiam de concordia cum Regina Tarasiaz tractatura. Cumque ambæ Regina Valentiaz conuenissent, sic solertia Regina nobilis Berengarię procurauit, vt Regis sorores Regi restituerent omnia quæ tenebant, & ipsæ essent prouisione contentæ, quam eis Rex & Regina nobilis assignarent: si quid iuris in regno habebant, simpliciter resignarent. Et pacto huiusmodi confirmato, Rex aduenit, & inde omnes iuimus Beneuentum, quo etiam infantes filiar Regina Tarasiaz aduenerunt, * vbi Rex Fernandus & Regina nobilis eis redditus triginta millium aureorum in locis competentibus * assignarunt percipiendos toto tempore vitæ suæ: & sic obtinuit omnes munitiones & omnia castra quiete & pacifice Rex Fernandus. Et in hoc enituit quam plurimum Regina nobilis solers cura, qua non minori gratia Regi filio dedit hoc regnum, quam regnum Castellæ quod ad eam iure hæreditario pertinebat. Sic enim sciuit omnia ordinare, vt licet regnorum vnio fere omnibus displiceret, ipsa studuit taliter prouidere, vt sine sanguinis effusione regnorum vnio proueniret, & vtrunque regnum pace perpetua lætaretur. Indeque Rex iuit Zemoram, Salamanticam, * Letesimiam, Ciuitatem Roderici, & Albam, & per cæteras regni partes, in quibus honore regio & hominio ab omnibus est susceptus. Tunc Rex Fernandus dedit Cascatam iure hæreditario Roderico Archiepiscopo Toletano, quæ tamen aliquantulum reparata à Sarracenis incolis tenebatur. Sed Rodericus Archiepiscopus euolutis à donatione mensibus tribus, exercitu congregato iuit contra Cascatam cum multitudine armatorum, & expulsis Mauris qui ruinas oppidi reparabant, illud retinuit, & ad honorem Regis qui illud dederat ecclesiæ Toletanæ, custodiuit hæctenus, & custodit cum aliis castris, scilicet Pilos, Toyam, Laca, Agosmo, Fonte Iuliani, Turribus Dela, cum Ficu, Alaulula, Areola, duobus Germanis, Villa Montini, Nubila, & Castorla, Concha, & Chelis. Post hæc iterum Rex Fernandus obsedit Vbetam, oppidum populosum, bellatoribus & munitione magna tutatum, sed adeo fortiter impugnauit, vt conclusi saluis corporibus oppidum resignarent. Et tunc Rex oppido acquisito ad urbem regiam est reuersus, æra millesima ducentesima septuagesima secunda. Obiit Regina Beatrix in oppido quod Taurum dicitur, & ducta ad regale monasterium prope Burgis iuxta Regem Enricum regaliter est sepulta.

De obsidione & captione Corduba. C A P. XVI.

CÆ T E R V M elapso biennio à morte patris sui Regis Legionensis obsedit Cordubam regiam & patriciam ciuitatem, ad cuius obsidionem hoc modo venit. Sarraceni quidam offensi primoribus ciuitatis venerunt ad quosdam milites Christianos, spondentes se duros vnũ ambitum el * Axarquia ciuitatis. Hi autem milites qui Almogaueres dicuntur Arabice, verbum gaudii audientes, licet non crederent, periculo sese dederunt, & in noctis silentio ad murum Cordubæ peruenerunt, & cum vocem vigilum non audissent, quia * soporis ignauia tenebantur, appositis scalis quas secum tulerant, ad muri altitudinem ascenderunt, & turre aliquas occuparunt, in quibus vigiles occiderunt, & ambitum qui Axarquia dicitur, inuasert, multis ex Arabibus interfectis qui in hoc ambitu habitabant, & ipsi metu postposito in turribus resederunt licet ex alio ambitu Arabes sagittis, fundis, iaculis, & lapidibus fortiter impugnarent, & successum huiusmodi nunciarent Christianis qui in Frontaria morabantur. Quod cum audisset miles quidam de familia Regis qui Ordonius Aluari dicebatur, statim omnes quos habere potuit, Cordubam secum duxit, & statum obsidionis domino Regi continuo intimauit. Interim autem aduenit Aluarus Petri de regni magnatibus potens & nobilis, & obsidentibus se adiecit, & Rex Fernandus qui in regno Legionis eo tempore morabatur, recepto nuncio, conuocatis ciuibus & militibus, licet non expectatis, vix cum centum militibus cœpit continuo proficisci, sed imbrum & fluuiorum inundationibus aliquantulum impeditus non potuit tam cito occurrere, vt volebat: aduenit tamen tempore opportuno, & * cotidie tam ex Castella, quã ex Legionem veniebant milites, & magnates, & cõmunia ciuitatum.

Castella.
Legio.
de regni Castella
ione.
Valentia.

Beneuentum.
vt
resignarent.

Zamora.
Lethesimiam.
Salamantica.
Lotesmia.
Ciuitas
Roderici.
Alba.
Cascatam.

Pilos, Toya,
Laca, Agosmo,
la fuente de
don illan tor
res de Diego, la
figera.

Æra 1272.

Corduba vrbs
regia & patri
cia.

non legitur in
script. exemp.

corporis igna
uia dormita
tans.

continet.

ratum. Cœpit Corduba grauius coarctari, tandē affecta pugnīs & inedia, victa redditur, & inuita, & vitæ tantummodo conseruati inclusi Arabes exierunt, & in festo Apostolorum Petri & Pauli à sordibus Machometi patricia ciuitas expurgatur. Sed Rex in turri maiori vbi solebat nomen perfidi inuocari, præcepit lignum crucis viuificæ exaltari, & cœperunt omnes cum gaudio & lachrymis, Deus adiuua, conclamare, & subsequenter regale vexillum iuxta crucem dominicam collocari, & cœpit in iustorum tabernaculis gaudii & lætitiæ vox audiri, clero cum pontificibus acclamante, Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.

16 *De restauratione & dote ecclesie Cordubensis, & campanis relatis ad sanctum Iacobum. C A P. XVII.*

ET tunc venerabilis Ioannes Oxomensis Episcopus regalis aule cancellarius cum Gundifaluo Conchenfi, Dominico Beacensi, * Adamo Placentinensi, Sancio Cauriensi Episcopis, Mezquitam ingressus est Cordubensem, quæ cunctas Mezquitas Arabum ornatu & magnitudine superabat. Et quia venerabilis Ioannes, de quo diximus, Roderici Toletani primatis vices gerebat, qui tunc temporis apud sedem Apostolicam morabatur, eliminata spurcicia Machometi, & aqua lustrationis perfusa, in ecclesiam commutauit, & in honore beatæ virginis erexit altare, & missam solenniter celebrauit, & sermonem exhortationis * diem proponens secundum sapientiam sibi datam, & gratiam suis labiis instillatam diffudit in cordibus adiutorum, adeo vt pœnitentiali gaudio recreati, contriti cordis sacrificia & labiorum vitulos immolarent. Et Rex Fernandus nouæ ecclesiæ dotem obtulit competentem. Postea consecrato ibi Episcopo magistro Lupo, * Rodericus primas & pontifex Toletanus aliquos redditus priuilegio confirmauit, & Lucenam insuper dedit ei. Et tanta est vrbs illius abundantia, amœnitas, & vbertas, quod audito præconio tantæ vrbs ex omnibus Hispaniæ partibus habitatores & futuri incolæ, relictis natalibus sedibus, quasi ad regales nuptias cucurrerunt, & sic incolis continuo est repleta, quod domus habitatoribus, non habitatores domibus defecerunt. Et cum in opprobrium populi Christiani campanæ sancti Iacobi, quas (vt diximus) Almanzor detulerat in Cordubæ Mezquitam, dependèrent functæ officio lampadum, Rex Fernandus easdem campanas fecit ad ecclesiam beati Iacobi reportari, & ecclesiæ beati Iacobi restitutæ sunt. Cum cæteris cymbalis bene sonantibus in sanctis suis peregrinorum deuotio laudat Deum. Stabilita igitur incolis & bellatoribus ciuitate, Rex Fernandus Toletum ad Reginam nobilem est reuersus, quæ pari victoria iucundata, vtpote quæ consilio & subsidio, licet absens, omnia procurarat, gratias cum lachrymis egit Deo, quod antiqua dignitas, ignauia principum liturata, sui solertia & studio filii fuit Hispaniæ restituta. Hæc enim Regina nobilis Berengaria sic filium in bonis operibus enutriuit, quod bona studia, quæ Regina nobilis nullius virtutis [oblita] nullius charismatis expers, vt lac mellifluum gratis circumfusum cordi eius influere non cessauit, nec vnquam ab vbere pleno virtutibus ablaetauit: & licet vir factus, in ætate roboris confirmatus, mater eius nunquam cessauit, nec cessat, quæ Deo & hominibus sunt accepta, studio vigili suadere, quia nec vnquam sceminea, sed semper magnificentię opera persuasit. Hæc enim Regina nobilis tanto studio conseruauit, & adeo dilatauit recepta charismata gratiarū vt omnis ætas, omnis sexus, omnis cōditio, omnis professio, omnis natio, omnis lingua affectum sentiat cum effectu, & virtutum fasciculo non partito, omnibus misericordiæ opera compartitur, & paternorum operum prouida executrix, plus inuēitur regni & rerum prodiga, quam virtutum, quam merito nostra tempora admirantur, * cui nunquam similem, nec * moderna, nec patrum nostrorum tempora habuerunt. Pro qua Dominum exoremus, vt eam dignetur diutius conseruare, & sibi profutura concedat, & bonis operibus abundare, donec foelicem spiritum suo restituat redemptori.

De iraductione secunda vxoris Regine Ioanna. C A P. XVIII.

ET ne Regis pudicitia alienis commerciis læderetur, Regina nobilis mater sua domicellam nobilem generosam, * proneptem Regis Francorum illustrissimi Ludouici, filiam Simonis illustris Comitissæ eiusdem, Ioannam nomine procurauit in coniugem sibi dari, æta millesima ducentesima septuagesima quinta. Burgis adueniens mote regali curia & nuptiis celebratis ad Regine assumitur dignitatem. Hæc vero Regina pulchritudine, præstantia, & modestia sic floruit, vt in conspectu

data.

Adam.

diuina.

Roderico Pri-
mate & Pon-
tifice Toletano,
aliquos redditus.cum
nostra.proneptam.
Pontinum.
Æra 1275.
dari. Que ara.

viri virtutibus gratiosa, coram Deo & hominibus sit accepta. Et suscepit ex ea filium qui dicitur Ferdinandus, & filiam paruulam quæ à proauia Alienor est vocata, & alium paruulum Ludouicum. Verum Rex Fernandus cum filiis suis Aldephonso & Fernando, qui tunc in flore adolescentiæ lætabantur, Cordubam est reuersus, & in aduentu suo multa castra Sarracenorum, * quæ Christianorum incurfibus & intestinis cædibus longo tempore tabescebant, volentes colere pacifice terras suas, supradictis interpositis se Regis dominio tradiderunt. Tunc datæ sunt ei ciuitates & castra, quorum præsidia Christianis (vt diximus) inuestiuit, & ab Arabibus tributa suscepit, & eorum nomina hic notantur: * Eciia, Almodouar, Luc, Luxcena, Stepa, * Sede, & Fila, & multa alia, quorum nomina longum esset enumerare.

Hoc opusculum, vt sciui & potui, consummaui, anno incarnationis Domini millesimo ducentesimo quadragesimo tertio, æra millesima ducentesima octogesima prima, anno vicesimo sexto regni Regis Fernadi, quinta feria, pridie Kalendas Aprilis, anno pontificatus mei trigesimo tertio, sede Apostolica adhuc vacante anno vno, mensibus octo, diebus decem, Gregorio Papa nono viam vniuersæ carnis ingresso.

Roderici Archiepiscopi Toletani historia Hispanica finis.

RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI OSTROGOTTHORVM HISTORIA.

PROLOGVS.

*Athanicus.
Fridigerus.
Ostrogothi.
Vesegothi.
Oster.
Redagaysum
ierum sunt di-
uisi. Verum
Redagayso.
V. C. Alaricus
Rhadagaysum.*



Gotthorum causa olim in Athanicum & Fridigerum fuisset diuisa, ea lege in concordiam redierunt, vt Fridigerus Ostrogothis & Athanicus Vesegothis regali excellentia præmererent. Hi autem qui ab Oriente tabernacula metabantur, dicti sunt Ostrogothi, quasi Orientales Gotthi. * Ost enim vocant in lingua Gothica Orientem, & inde Osteric, id est, Orientale regnum. West autem Occidens interpretantur, & inde Westgotthi, quasi Occidentales Gotthi. inde alia pars Teutonia Westfalia nuncupatur, quasi Occidentalis campus. Et ex tunc vsque ad Fridigeri interitum regni diuisio perdurauit. Post cuius mortem Athanicus solus obtinuit principatum, sed & eo mortuo in Alaricum, & * Redagaysum interim sunt diuisi. Vnde Redagayso in Tuscia interfecto Alaricus solus obtinuit curam regni & sic postea res mansit, donec Ostrogothi seiuncti ab aliis sedes proprias metabantur, & in Mysia, & ripa Danubii morabantur. Vesegothi autem Pannoniam, Gallias, & Hispanias inuaserunt, in quibus etiam sedes ultimas posuerunt. Vnde quasi propheticè dicti sunt Vesegothi, id est, Occidentales Gotthi. Ostrogothi autem, qui Hunnis, Pannoniis, & Romanis graua bella gesserunt. Sed quia successiones & acta Vesegothorum in alio libro digestus, in hac parte Ostrogothorum successiones & prælia prosequemur.

De Regibus Ostrogothorum, & de actibus Theodorici. C A P. I.

*Athila.
Valamer.
Ardaricus.
Gepida.
Hunni.*



MORTVO Attila, Valamer Rex Ostrogothorum, & Ardaricus Rex Gepidarum contra Hunnos qui remanserant, processerunt. Hunni autem ex aduerso venientibus occurrerunt, & conferto prælio Hunni cefferunt, & tot ex Hunnis cæsi fuerunt, quod deinceps Ostrogothorum potentiam metuerunt. Post hæc Leo Imperator cum Ostrogothis pacem firmavit, & Valamer Rex eorum dedit obsidem nepotem suum Theodoricum filium fratris sui Theudemiri. Mortuo Valamer frater eius Theudemirus regnum suscepit Ostrogothorum, cui Leo Imperator statim restituit suum filium Theodoricum, quem obsidem receperat à Valamer. Mortuo Theodoro successit in regno Ostrogothorum filius eius Theodoricus. huius bonitas ita enituit, cum esset obses, vt tam ab Imperatore quam à Romanis charissimus haberetur, adeo vt famæ eius pura sinceritas ad aures Zenonis relatu celeri perueniret. Vnde & Zenon qui Constantinopoli imperabat, Theodoricum ad se venire suis epistolis inuitauit, & recepit iucundo

iucundo applausu, & congruis honoribus venientem, & in consulem, & patricium exalta-
uit, & ei æream statuam ante Palatium collocavit. Cumque ibidem aliquanto tempore
imperialibus deliciis teneretur, cœperunt Ostrogothi aliquântulum murmurare, eo quod
defectu victualium vexarentur, nec licebat eis propter pacis fœdera à vicinis gentibus ali-
quid attentare. Vnde & pacem initam causabantur: & Theodorico talia nunciarunt. Quæ
audiens Zenoni continuo reuelavit. Zenon autem de Ostrogothorum penuria contri-
status, quia nolebat Theodoricum à se fieri alienum, quem tantis virtutibus compererat
abundare, tradidit ei Italiam, vt ciborum inopiæ subueniret, & commendavit ei Senatum
populumq; Romanum. Egressus igitur à Zenone venit ad Ostrogothos nuncios eis, vt
se pararent ad obtinendam Italiam sibi datam. Cumque pergere incepissent, Gepidæ &
Bulgari se illis in itinere obiecerunt, sed ex eis plurimi ceciderunt; & victor Theodoricus
exiens de Myfia, & transiens per Pannonias Italiam est ingressus.

*Gepidæ.
Bulgari.*

De Odoacre & morte eius. C A P. II.

ODOACER autem Rex Herulorum * & Turingorum fugato Oreste patricio, & ob-
tenta ciuitate Ticini deposuit ab imperiali purpura Augustulum qui imperialē vsur-
pauerat potestatem, & Romam obtinuerat, & totius Italiæ principatum. Hic cum audisset
aduentum Theodorici, prope * Aquileiam occurrit Theodorico, ibique pugna inita, O-
doacer victus exitit, & fugatus. Theodoricus autem vsque Veronam eum persequi non
cessavit. præsumptione denuo restaurata bellum iterum innouavit, sed eadem infelicitate,
qua prius, pluribus de sua multitudine interfectis, ipse iteratæ fugæ subsidio est relictus,
sed Theodoricus impetu persequens fugientes etiam Veronam locum refugii occupavit.
Odoacer autem in urbem fugiens à ciuibus est abiectus, & ei introitus denegatus. Ipse ve-
ro quæ attingere potuit, gladio & incendio deuastavit, & Rauennam veniens ibi se clausit,
gestiens rebellare. Theodoricus autem obtenta Verona venit Mediolanum, & eam obti-
nuit. Ibique dimissis matre, & sororibus, supellectili familiari Rauennam iuit, Odoacrem
profugū obsessurus. & cum obsidione diutina arctaretur, Odoacer sub fide se dedit Theo-
dorico. Qui demum volens iterum rebellare, à Theodorico morte crudelissima est per-
emptus. Mortuoque Odoacre, frater eius Onoulphus cum residuis Odoacris Theodori-
cum voluit infestare, sed victus ab eo trans confinia Danubii est fugatus.

*qui in Panno-
nia residebat
cum multitu-
dine Herulorū
& Thuringo-
rum. V. C.
Heruli.
Thuringi.
Ticinum.
Aquileia.
Verona.
Aquileiam.
V. C.*

Mediolanum,

De regno Theodorici in Italia. C A P. III.

POST hæc autem Theodoricus pacifice obtinuit Italiæ principatum, & Romam ve-
niens à Romanis omnibus voluntarie est receptus. Ipse vero, vt erat vir gratiæ & vir-
tutum, sic se sciuit omnibus conformare, vt charus ab omnibus haberetur. Et quia tunc
temporis stipendia victualium fuerant minorata, assignauit Romanis singulis annis CXX.
millia modiorum, pro quo Romanis charior est effectus; & quamuis tot fauoribus redun-
daret, nunquam voluit Imperator dominio derogare, sed omnia quiete, omnia pacifice
gubernabat, & per totam Italiam regalia habitacula opere nobili fabricauit, cuius virtutes
& acta Sidonius & Enodius latius prosequuntur. Cum itaq; in Italia annis decem & octo
victor regnasset, audiens extinctum Regem Gotthorum Gisaleicum, cœpit in Hispaniam
proficisci, & in via Francorum superbiam domuit, & prostravit, & partem regni quam
manus hostium occupauerant, Gotthorū restituit potestati. Et intrans Hispanias regnum
tenuit annis quindecim pro Amalarico nepote suo qui paruulus adhuc erat, & totam His-
paniam & Galliam Gotthicam subiugavit. Cumque nepos Amalaricus ad ætatem legiti-
mam peruenisset, Theodoricus regnum Gotthorum dimisit eidem, mandans filix, & ne-
poti, & quasi voce testamentali denuncians, vt Senatum populumque Romanum dilige-
rent, & Imperatorem Orientalem haberent propitium & pacatum. Ipse vero reuersus est
in Italiam, & per ipsum fuit Romæ dignitas restituta. nam partem murorum quam Alari-
cus, & Athaulphus Reges Gotthorum, & Gisericus Rex Vandalorum vastationis tempo-
re dissiparant, ipse redintegrait, & prospere regnum rexit. Vnde & à Senatu statuam me-
ruit inauratam. Amalaricus autem nepos eius cœpit regnare æra DLXV. & quinque annis
regnavit sine auo, & tam suam adolescentiam quam matris viduitatem Iustino Orientis
Principi commendavit.

*Sidonius A-
pollinaris.
Enodius Tici-
nensis,*

Vandal.

Æra 565.

De Theodorici hæresi, & morte eius. C A P. IIII.

MORTVO Zenone Iustinus Catholicus suscepit Imperium Orientis. tunc Hormif-
da Papa misit ad eum Germanum Episcopum Capuanensem, quem Iustinus propter
sanctitatis præconium honoravit. Eo tempore hæresis Arriana adeo inualuerat, quod

*De restitutione
Arriana hære-
sis per Theodo-
ricum & de
morte eius.*

fere vtrumque Imperium infecerat viru suo. Gotthi etiam, Vandali, Alani, & Sueui à tempore Valentis Imperatoris eadem perfidia tenebantur. Prædictus autem Germanus Episcopus multos apud Constantinopolim ad fidem catholicam reuocauit, & Iustinus mandauit catholicis Episcopis ecclesias restaurari, & per sacerdotes catholicos gubernari. Quod audiens Theodoricus Arriano veneno repletus ad Iustinum nuncios destinauit, vt Arrianis Episcopis ecclesias restitueret, & eos in pace permetteret remanere, alioqui ipse in omnes de Italia defœuaret, nec sexui parceret, nec ætati. Nuncii autem cum lachrymis postularunt, vt petitioni annueret, & Arrianos permetteret frui pace, & sic parceret Italis occidendis, quod & fecit compassione Italiæ prouocatus. Hormisda Papa defuncto, Ioannes Constantinopoli ad Papalem apicem subleuatur. Et dum hæc fierent, Theodoricus prauitate hæretica concitatus Symmachum patricium, & Boetium senatorem gladio interfecit: nec in eo primis operibus vltima responderunt. * Eo cum Ioannes Papa à Constantinopoli adueniret, inuenit Rauennæ Theodoricum, & cum ei verba salutis proponere incepisset, ipsum Papam cum iis qui cum eo venerant, interfecit, indignans quod Iustinus reueritum honorauit. Paucis autem diebus interpositis, Theodoricus sacrilegiis Arrianus impiam animam Dei iudicio exhalauit. Tunc quidam solitarius eremita vidit Ioannem Papam, & Symmachum patriciū eius animam deportare, quam in olivam Vuleani quæ ipsi littori est vicina, vt executores diuinæ sententiæ proiecerunt. Iustinus vero Imperator cum per vndecim annos apud Constantinopolim regnauisset, in pace quieuit.

De Gutide & successoribus eius. C A P. V.

MORTVO Theodorico Ostrogotthi nepotem eius Amalaricum in principem elegerunt, sed paruo post tempore in Hispania vitam finiuit. Post hunc etiam Ostrogotthi cum voluntate Amalafuentæ Theudem elegerunt, sed quia Theudis Amalafuentam paucis diebus interpositis in balneo strangulauit, Ostrogotthi Regem alium elegerunt, qui Gutis nominabatur. Hic ad regale fastigium eleuatus iuit Rauennam, & filiam Eurici Regis & Amalafuentæ Reginæ, quam ibi auus Theodoricus reliquerat, abstulit violenter, & sibi matrimonio copulauit. Cumque Belesarius Neapolim inuasisset, & Gotthos cum incolis extinxisset, veniens Romam voluit Gotthos qui inibi habitabant, gladio simili extirpare. Sed qui fugere potuerunt, Rauennam ad Gutidem peruenerunt. Gutis autem vt cognouit talia, statim cum magno exercitu contra Belesarium venit Romam. Belesarius autem non ratus congregari opportunum, vrbs ianuas facit claudi, & introitus custodiri. Ostrogotthi autem extra muros omnia euertebant, & incendio consumebant, & loca sacra bonis omnibus spoliabant, & quoscunque de Romanis habere poterant, trucidabant, & ciuitatem vndiq; grauitè infestabant. Belesarius vero è contrario firmiter defendebat. Romani calamitate duplici tenebantur. nam foris eos gladius, intus famis penuria affligebat. Cumque per annum fuisset obsessa, in Rauennam cœlitus territi redierunt. Eo tempore tanta fames inuasit Liguriam, vt, secundum quod prædixerat Sanctus Dacius Mediolanensis Episcopus, matres filiorum carnes charissimas attentarent. Post hoc iterum Gutis exercitum congregauit, & veniens contra Romanos à Belesario fuit victus, & crudelitatis suæ recipiens talionem multis de suis occisis, dum ipse fugeret, à Ioanne magistro militum fuit captus, & Belesario præsentatus. Belesarius autem tanta victoria gloriosus Gutim Constantinopolim secum duxit, & obtulit eū Iustiniano. Ille autem benigne recipiens honorauit patricia dignitate, & factum patricium, quia strenuus esset misit eum ad fines Persidis contuendos, vbi & vitam finiuit. Hoc tempore sanctus pater Benedictus in montē qui Cassinus dicitur habitabat, & gens Longobardorum Romani populi tunc amica Pannoniam possidebat, & habebat Regem qui * Alboini dicebatur. Ostrogotthi autem mortuo Gutide super se Regem alium leuauerunt nomine Heldebatum, & isto post annū occiso, alium præfecerunt, qui intra anni circulū vitam finiuit.

De Totila, & actibus eius. C A P. VI.

*laborabat, si-
dicialium obse-
derunt: obse-
si autem tanta
medietate tenebā-
tur, vt V. C.*

DE I N D E Totilam elegerunt. Hic fuit strenuus & crudelis, qui suorum exercitu congregato cœpit Italiam impugnare, & per Campaniam, & montem Cassinum, per Lucaniam & per Brutiam transeuntes ad regnum Calabriæ peruenerunt, indeque mare modicum transeuntes Siciliam occuparunt. Deinde Romam reuersi, quia fame grauissima laborabant, vt humanas carnes pro pabulis attentarent, tandem cæde, inopia tabefacti,

à de-

à defensione penitus cessauerunt. Totila autem per portam ingressus est Hostiensem, & præcepit buccinis intonare, vt Romani se in latebris occultarent, aut ad sanctuaria se transferrent, vt à gladio seruentur, & fecit volens parcere sanguini Romanorum. Post hæc cum Romanis aliquanto tempore, vt pater cum filiis, habitauit, & cum antea crudelissimus haberetur, hanc humanitatem creditur Beati Benedicti monitis induisse, ad quem iuerat, vt intelligeret, si haberet spiritum prophetiæ. Ciuitates autem Italiæ variis incur- sionibus dissipauit. Ciuitatem, Castellum, * Perusium, & Fulginiam, & multas Æmilie ciuitates, cum plurima cæde hominum diruit & euertit. In tantis vero excidiis aliqui Senatores tot calamitatibus cruciati Constâtinopolim adierunt, & Iustiano excidium Ita- liæ nunciarunt. Imperator vero dolore repletus continuo misit * Narsetem cubicularium eunuchum cum magna multitudine pugnatorum, qui veniens in Italiam Ostrogotthis ob- lita prælia reparauit, & ad extremæ virtutis vltima coarctauit, & Regem eorum Totilam interfecit, & eos ab Italiæ finibus propulsauit. Ciuitates & oppida quæ Totila decem an- nis tenuerat, Romano Imperio restituit. Reliquiæ autem Ostrogotthorum quæ reman- serant, ad ripam Danubii confugerunt, & ex tunc Romani à Gotthorum cladibus respira- runt. nec Ostrogotthi leguntur Regem postea habuisse, nisi quod se Vesegottho- rum cœtui miscuerunt qui in Hispaniis & Gallia Got- thica regnauerunt.

Ciuitas
Prisium V. C.
Perusium.
Fulgineum.
Æm.
Narfesio.

Vesegotthi.

R O D E R I C I A R C H I E P I -
S C O P I H V N N O R V M, E T V A N D A -
L O R V M, E T S V E V O R V M, E T A L A -
norum, & Silinguorum historia.

P R O L O G V S.

VIA stylo flebili nostra gentis repetita sæpius excidia recitauit, ne per intercapedines Prorari-
digitorum mira defluant Hispanorum, descriptis cladibus quas fere semper à sui princi-
pio est perpeffa, ad eorum tempora verto stylum, qui licet breuiori, acriori tamen do-
minio saeuierunt. Quorum inhumanitas tanta fuit, vt omnem bestiarum rabiem su-
perarent, nec vnquam humani generis ingluuie satiati pietatis spiritum admiserunt,
sed semper exterminio inhiantes, cædibus & excidiis intenderunt. quod diuini iudicii talio sic euertit,
vt parum aut raro in tutis sedibus remanerent: & fere semper intestinis supplicis pœnas * criminum, crimine.
vt oportuit, receperunt. quorum principium, medium, atque finem, prout maiorum relatio docuit, si
Dominus dederit, * annotabo. Gotthorum originem, gloriam, & processum, quorum insignia super o-
mnes barbaros effulserunt, in superiori volumine declarauit, prout docuit veritas primanorum. Ve-
rum quia præter Gotthos quatuor gentes ferocissimas sæcula habuerunt, scilicet Hunnos, Vandalos, Ala-
nos, & Sueuos. qui semper cadere, nunquam quiescere voluerunt, horum originem, sedes, & acta cogit
suscepti laboris ratio explicare.

De Origine Hunnorum. C A P. VII.

H*V N N O R V M origo (vt refert antiquitas) ita cœpit. * Rex Gotthorum Gardarici
Magni filius, qui post egressum à Scandia tertio loco Gotthorum tenuit principatum,
qui & terras Scythicas (vt diximus) occupauit, in populo suo reperit quasdam magas quæ
in exercitu stupra & maleficia procurabant, & factitiis strenuos euirabant, quas habens
suspectas longe ab exercitu effugatas in solitudine fecit exponi. At immundi spiritus per
deserta & inuia euagantes, vt multorum cogit ratio opinari, se earum complexibus ad coi-
tum miscuerunt, & genus hoc ferocissimum ediderunt. primum minutum, tetrum, inter
paludes esse commemorant, & quasi genus hominum, nec alia voce notum, nisi quod
humani seminis imaginem exhibebat. Tali ergo Hunni stirpe progeniti, procedente
tempore magis humanæ naturæ vicini, licet satis dissimiles, humanæ formæ imaginem
præferbant, & [a] rugitibus bestiarum humanis vocibus se aptabant, Gotthorum lin-
guam quam à matribus didicerant, in aliquibus imitantes. Et vt Priscus historicus refert,
in vltiori ripa paludis Mæotidis insidentes non aliis laboribus, sed tantum venationibus
& piscationibus insisteabant, nisi quod postquam creuit, fraudibus & rapinis vicinarum
gentium comoda perturbabat. Erat autem eis species pauenda nigredinis, & velut
ossa incomposita, & informis, non plene, vt facies [&] figurata, sed habens in facie quasi

Hunnorum.
Phalmer.
Hunni.
Phalmer.
Scythia.
Mæota.

[a]

puncta pro luminibus oculorum, & sæuitiam animi toruus prodebat aspectus: etiam in proles recenter natas impie sæuiebant. nam genas earum ferri calidi stigmatibus figurabant, ut ante vulnus, quam lactis fusciperent nutrimenta. exigui quidem forma, sed argutis motibus expediti, ad equitandum promptissimi, latis scapulis, ad arcus sagittasque parati, ceruicibus & superbia semper erecti. Quadam autem die dum venatores eorum in vltiori ripa Mæotidis circa venationis studia laborarent, cerua se obtulit improuisa, ingressaque paludem nunc progrediens, nunc subsistens, ut index viæ sollicita præcedebat, & venatores paludem imperuam quam ut pelagus existimabant, pedibus transierunt, moxque ignotis apparuit Scythia nunquam visa, & creduntur spiritus illi unde progeniem traxerant, id egisse. quod enim in tam modico tempore à non multis fœminis quocunque concubitu tantus populus processisset, tamque ferox, non videtur humana posse contingere ratione. Illi vero qui præter Mæotidem alium esse mundum penitus ignorabant, admiratione Scythiæ stupefacti, ut erant solertes, iter illud ostensum diuinitus crediderunt, & ad suos in Mæotidem reuertentes, gestum prout euenerat retulerunt, & terras Scythiæ laudauerunt. Et continuo * Hunnorum exercitus paludibus procreatus Scythiam adiuerunt, & quoscumque in principio inuenerunt, suæ victoriæ litauerunt, & ingentem paludem Scythiæ transierunt. Alpizuros, Lizuros, * Iumaros, Boiscos qui in ripa paludis Scythiæ insidebant, quasi cum turbine rapuerunt. Alanos quoque pugna sibi pares, sed humanitate, victu, formaque dissimiles, frequenti certamine subiugarunt. Nam quos bello forsitan minime superabant, terrore vultuum consternebant, & iam longa generatione veri hominis imaginem * natura scientes ferali sæuitia trahebantur. Hermanaricus autem Rex Gotthorum, qui (ut superius retulimus) multarum gentium exiit triumphator, aliquo vulnere faucibus egram vitam imbecillitate contraxit, & tunc * Voalamber Rex Hunnorum in Ostrogotthos qui iam à Gothis seiuncti manebant, fecit insultum, eosque prostravit. Hermanaricus autem dolore vulneris, & * Hunnorum potius vitæ suæ anno centesimo decimo est defunctus. cuius mors Hunnis occasionem præbuit præualendi, ipsosque Gotthos qui remanserant, & Ostrogotthos fere extinxit. Ostrogotthi autem & Gepidæ usque ad bellum Catalaunicum sub Hunnorum dominio remanserunt, à tempore Hermanarici Regis Gotthorum usque ad Voalamer Regem Ostrogotthorum, & Ardaricum Regem Gepidarum, qui tempore belli Catalaunici rati posse restitui libertati, se Gotthorum auxiliis addiderunt. Post quod bellum (de quo in superiori libro latius est expressum) Attila pro discessu hostium non restitutus præsumit gaudia, meditatur grandia, erigitur ad coronam, oppressioni inhiat, Romanis intonat, & inde reuertitur in Pannoniam, ut maiorem exercitum congregaret. Et cum cœpisset Alanos infestare, Thurismundus adueniens vicit eum: & licet fugatus, post Thurismundi discessum virtutem animi non abiecit, sed maiore exercitu congregato corde intimo reponens iniuriam Romanorum, perfectionem dirigit in excidium eorundem, habens secum quam prius exercitum ampliorem. Primum partes Aquilegiæ deuastravit, quæ erat in Metropolis Venetorum. Deinde ciuitatem obsidionis ambitu coarctauit. Cumque obsidio diutius traheretur, cœpit exercitus victualium penuria murmurare. Quadam autem die cum ciuitatem Attila circuiret, ut videret, qua posset facilius impugnari, inspexit ciconias in rostris filios deportantes egredi ciuitatem, & lætus auspicio dixit suis: Pugnate hilariter, quia transmigratio auium transmigrationem indicat obsessorum. & tunc fortius solito dimicantes obsessæ urbis muros & ianuas irruerunt. Et quædam domina nomine Digna, quæ in turre altissima habitabat, in Natissam fluuium se proiecit ne barbarorum ludibrio seruetur. Inde vrbe euersa, & penitus dissipata, vicina oppida diruit & castella. Concordiam, & Bellunum, & Feltrum, Vincentiam, & Veronam, Bergamum, Brixiam, atque Cunam, Mediolanum metropolin, Ligurum, & Ticinium, quæ nunc Papia, omnes diripuit & euertit, cædi tamen & * in medio paruus insistebat. Ipso talia perpetrante, & Liguriam & Venetias deuastrante, quæ erant quasi viscera Romanorum, proposuit Romam simili dispendio visitare, sed suorum consilio dissuasus timuit sibi, ut Alarico, si Romam inuaderet, euenturum, qui postquam Romam vastauerat, humanæ vitæ protinus sensit finem. Dumque inter consilia fluctuaret, venit ad eum cum legatione placida sanctissimus Leo Papa, in cuius aduentu sic furorem deposuit consuetum, ut sui & alii mirarentur in tantum, ut idem Papa recessum eius ab Italia impetraret. Fuerat enim Attila Dei territus potestate. viderat enim dum sibi Papa cominus loquebatur, alium prope stantem in similitudine sacerdotis tenentem gladium euaginatam, & mortem terribiliter comminantem, si nollet Papæ beneplacitis obedire. Cumque suis visionem huiusmodi reuelasset pacem, ut Papa petierat, suaserunt: & in loco vbi Ticinus Pado flumini admiscetur, ab inuicem discesserunt.

Hunnorum.

V. C.

Iymaros. V. C.

Iymaros, Tu-

carfos Boycos,

qui V. C.

Alpizuri.

Lizuri.

Iumari.

Tucarsi.

Boisci.

Alani.

nasciceres. V. C.

lego nanscentes.

res.

Voalamer.

Hunnorum.

incendio peius

insistebat. V. C.

nisi quod peius

f. penitus.

Roma direpta.

HONORIA autem Valentiniani germana Attilam incitauit per clandestinum eunuchum, vt eam sibi peteret in vxorem. Attila autem audito nuncio est gauisus, & statim ad Imperatorem Valentinianum internuncios destinauit, vt sororem eius peterent supra dictam: quod si renueret, interminans minitauit se in Italiam reuersurum; & grauiora prioribus patratuū. Igitur Attila Danubium transiens contra Alanos mouit arma. Quod cum Thurismundus Rex Gotthorum non imparis gloriæ præfensisset, in auxilium Alanorum exercitui Attilæ mox aduenit, confertoque prælio sicut in campis Catalaunicis, paucenda Romanis vexilla Attilæ effugauit, ipsumque Attilam fugientem coegit oblitus olim repetere mansiones. Et præter alias quas habebat, duxit vxorem quæ Ildico dicebatur, & inter conuiuia quæ sobrietatis terminos excefferunt, plus solito bibit vinum, & cum sanguis per os & nares cœpisset effluere, fuit continuo post breue spacium suffocatus. In ipsa nocte Imperator Martianus qui tunc Constantinopoli morabatur, vidit in somnis arcum Attilæ esse fractum, & intellexit eum mortuum, aut confractum. Vnde Etium patricium interfecit, eo quod in bello Catalaunico eius consilio quod Thurismundo dederat, Attila euasisset. Sed eorum prælia & processus in superiori volumine descripsi calamo latiori.

De Vandalis. C A P. IX.

VANDALOS autem Scythas fuisse superioris libri auctoritas protestatur, quos Gothi egressi à Scandia primo impetu prostrauerunt. Pars autem altera Vandalorum dicta Silingui per se exercitum faciebat, & speciali nomine vocabatur, licet à principio vtrique vna gens fuerint Vandalorum: Alani similiter ex Scythia oriundi, acti à Gotthis in Vandalorum coloniam transferunt, vt Gotthis impares possent cum Vandalis se tueri. Sueui etiam qui à Germanis processerunt, eam partem Scythiæ inuaserunt, quæ à Sueuis & Scythis Suetia nominatur, in qua est metropolis ciuitas Vbsalensis. Horum nomen & patria in Teutonia adhuc antiqui cespitis nomen habet, quæ Sueuia nominatur. Hi itaque genitale solum egressi, & in obtenta Suetia habitantes, & Gotthorum gladios formidantes, se Vandalorum & Alanorum cœtui miscuerunt, vt simul iuncti Gotthorum potentia obuiarent, quibus tamen semper in bellis impares sunt inuenti. Cumque enim Geberidus Gotthorum regeret principatum, & Vimar Vandalorum, quos iuuabant Alani & Sueui, tanta strage fuere prostrati, quod nunquam postea in Scythiæ sedibus præsumpserunt remanere, nec nobilitati Gotthicæ obuiare, sed à Constantino Cæsare Pannoniam petierunt, & per sexaginta annos terram vt agricolæ coluerunt, tributarii Romanorum.

Quod Barbari à Pannonia in Gallias transfugerunt. C A P. X.

DÈMVM Frigidernus Rex Gotthorum eis aduenit, sed morte præuentus eos non potuit obtinere. Verum ipsi timentes Athanaricum qui in Gotthorum regimine adhuc stabat, à Stilicone consule & patricio Gallias petierunt, vt Romano imperio rebellantes sua multitudine subiugarent. Cumque ad Gallias peruenissent, biennio ante irruptionem vrbs Romanæ, vastatis prouinciis interiectis, in Gallias peruenerunt, Burgundiones, & Francos, siue Gallicos, mirabili impetu prostrauerunt, & etiam Aquitaniam subiecerunt. At postquam tyrannus Eugenius interfecerat Gratianum, & Gallias occuparat, Vandali, Silingui, Alani, & Sueui cum tyranno Eugenio contra imperium rebellauerunt: Sed Theodosius progrediens contra ipsos, duxit de Gotthis plusquam viginti millia armorum, & Eugenio interfecto, prædictæ gentes fugaci compendio recesserunt, & Pyrenæis montibus se dederunt. Sed Didymus & Veranianus, ambo fratres, de nobilioribus & potentioribus Romanorum, se in eorum transitu obiecerunt, & fratrum obice potentatu à transitu sunt repulsi, & tribus annis per prouincias Galliæ vagabundi à Romanis & Gotthis cædes frequentissime sunt experti. sed prædicti fratres qui claustra Pyrenæi potenti præsidio tuebantur, fuerunt apud Constantinum Cæsarem accusati quasi rebellionem Eugenii consensissent, sed licet innoxii & insontes, à Constantino Cæsare sunt occisi.

De introitu Barbarorum in Hispaniam. C A P. XI.

MORS autem fratrum Vandalis, Alanis, & Sueuis occupandi Hispanias viam dedit, qui intrantes Hispanias, vastationes & neces cruentis incurfibus exercebant. Ciui-

incolis. V. C.

tates & oppida, villas & pagos * incendio consumentes, spolia occisorum diuisione cruentissima partientes, ad tantam cladem accolae perduxerunt, vt humanas carnes famis periculo attentarent. Bestiae quoque cadaueribus affuetae in viuorum interitum ferebantur: atque ita quatuor plagis, bestiarum scilicet, famis, pestis, gladii, Hispania misere lacerata diuini iudicii sensit iram. Tandem vero videntes Barbari terram extinctis cultoribus elanguere, & fructibus defraudari, & in ipsos penuriam redundare, non miseris incolarum, sed suae ceperunt penuriae condolere. Vnde & incolis conuocatis, cum eis prouincias diuiserunt, vt incolae terram colerent, tributa dominis soluturi: ipsi autem prouinciarum dominia sorte sacrilega partirentur. Alani itaque Lusitaniam & Carthaginensem prouincias habuerunt: Vandali, qui Silingui, in Baetica resederunt: alii Vandali Galleciam occuparunt: Sueui maritima & occidua Oceani tenuerunt, & partem Celtiberiae quae ad montana Oceani tendebatur. Tot faucibus indulta laceratio Hispanorum, cum supereminerent guttura voratorum carnibus occisorum, nec subiectione, nec officio mitigari potuit crudelitas dominorum.

*Lusitania.
Carthaginensis.*

De regno & fuga Vandalorum, & primo introitu Gothorum. C A P. XII.

POST QUAM autem Hispanias sunt ingressi, primus in Vandalis regnum obtinuit Gundericus, & in Gallecia posuit sedem regni annis decem & octo, & foedere interposito ipse & Sueui pariter ibidem corregebant. Alani enim qui Carthaginensem prouinciam & Lusitaniam occuparant, praeminebant Vandalis & Sueuis. Sed quia Alani Celtiberiam infestabant, quae sola in Hispaniis in potestate remanserat Romanorum, Walia Rex Gothorum qui erat in amicitia Romanorum, per Constantium patricium qui in Celtiberia residebat, in auxilium est vocatus, & intrans Hispaniam, adeo Alanos infestauit, vt Regem eorum Athacem extingueret, & relictis sedibus Carthaginensis & Lusitaniae ad Gundericum Regem Galleciae quem nuper prostrauerant, se transferrent, regni nomine iam obliuio. Omnes tamen in bello Walia superauit, & Silinguos qui in Baetica morabantur, bello simili coarctauit. Walia autem victoriis inclitus ad Galliam Gothicam est reuersus. Post cuius discessum Gundericus Sueuorum foedera violauit, vt eis subiectis ipse solus praesesset Vandalis & Sueuis: sed Sueui obstinatione solita pertinaces in Nerualis montibus restiterunt. Vnde cum eos Gundericus aliquandiu obsidisset, coepit de victoria desperare, sed ne videretur desperatione siue impotentia recedere ab obsessis, causam maioris negotii simulauit, & obsidione relicta, ad Baleares insulas se conuertit, & eas praedis & caedibus deuastauit. Inde rediens ad Carthaginem cismarinam (quae Spartaria dicitur) eam diruit & deleuit. Hanc olim Scipio Africanus deleta maiori Carthagine, vastatione simili dissiparat, & ibi fuit antiquitus dignitas ciuitatis. Sed postquam ipsa a Vandalis fuit euersa, Gothorum tempore dignitas ad Toletanam ecclesiam est translata, & adhuc hodie Carthaginensis dicitur prouincia Toletana. Euersa Carthagine, processit vt Baeticam deuastaret, non parcens Silinguis, qui erant cum Vandalis vnus populus & gens vna. Sed cum Hispalim diruisset, & acta caede diripuisset, in basilicam Vincentii martyris eius vrbs sacrilegas misit manus. Sed Dei sententia nolens tantum facinus tolerare, daemone impetu in foribus templi cecidit interfectus, aera quadringentesima sexagesima septima. Et tunc remanserunt in Hispaniis tria regna: in Carthagine & Lusitania Alatorum, qui ad Mansiones suas post recessum Waliae redierunt: secundum regnum in Gallecia Sueuorum: tertium in Baetica Silinguorum, quae regio a Silinguis Vandalis adhuc hodie Vandalia nuncupatur, quam Andaluziam corrupto vocabulo vulgariter appellamus, in qua est fluuius qui Silingius appellatur & ab Arabibus Guadaxelium Arabice nominatur, & incolas Andaluzes.

*Carthago Spartaria, cismarina.**Carthago noua pariter Toletana Ecclesia. Baetica. Hispalis.**Aera 457.**Sup. Rodericus lib. cap. Vandalis.*

De Giserico, & transitu eius in Africam. C A P. XIII.

MORTUO Gunderico, frater eius Gisericus successit in regno, & regnauit quadraginta annis. Hic cum esset catholicus in apostasiam Arrianae perfidiae est lapsus, & cum frater eius de quo diximus Gundericus verens vicinitatem Gothorum Regum qui in Gallia Gothica & Aquitania residebant, & partem Hispaniae veniente Walia occuparant, proposuit in Africam transfretare sperans* freti obice a Gothorum insultibus fore tutum. Gisericus autem propositi conscius cum omnibus Vandalis eorumque familiis, relictis Hispaniis, ad Africam transfretauit, & continuo obsedit Hipponam. Cuius obsidionis anno* primo beatus Augustinus, beati Ambrosii discipulus, eiusdem vrbs Episcopus migravit ad Christum inter impetus obsidentium Vandalorum, anno deci-

*dilapsus.**Turranis.**Hippona. primus. D. Augustinus moritur.*

mo post mortem Hieronymi, Episcopatus sui trigesimo quinto. Cum autem Vandalorum transitum Valentinianus iunior qui occidentali imperio præerat, audiisset, timuit ne totam Africam subiugarent, & cum obsistere non valeret, per Trigerium pacem misit, & partem Africæ, Hipponæ videlicet regionem, concessit ei pacifice possidendam, conditionibus interpositis, ne quid ultra inuaderent de Imperio Romanorum: & hoc ipsum firmavit iuramenti robore Gisericus. Sed fraternæ pertinaciæ non immemor obseruator, & sacramenti velocissimus violator, ilico pacta fregit, & festinauit Carthaginem obsidere, & id residuum quod reparatum fuerat post tempora Scipionis, impetu inuadens, Carthaginem pace* deceptam* diripuit & consumpsit. Carthago ante Romam fuit condita sex-
 10 ptuaginta duobus annis, & septingentis triginta septem annis, & diebus decem & septem a fundatione sua, à Scipione incensa in puluerem est redacta. Post centum & duos annos fuit denuo reparata, & post iterum à Giserico destructa, decimo quarto Kalendas Nouembris, & adhuc hodie simul irreparata. Et cum esset Arrianæ sectæ perfidus obseruator, statim in exordio sui regni cœpit persequi catholicos Christianos, & eorum Episcopos in exilium condemnauit, & eos qui ei resistere nõ timebant, pœna vltima condemnabat. Et tanta fuit tunc temporis persecutio in ecclesiis Africanis, quod vix poterat aliquis catholicus reperiri. Proscripsit etiam bona ecclesiarum, & seruitutem imposuit omnibus clericis, qui vtcunq; sub eius dominio latitabant: ecclesias profanabat, & iumenta sua tam
 20 in ecclesiis, quam in porticibus religabat: & adeo per totam Africam Arrianam hæresim seminauit, quod loca sacra & Deo dicata in habitacula suis domesticis conferebat, & viros sanctos Arrianam hæresim detestantes ipse detestabatur, & sine intermissione eorum sanguinem procubatur, & cum poterat effundebat, ita vt vsque ad os totam Africam sanctorum sanguine ebriaret. Per idem tempus quatuor viri Hispani in Arrianam sectam transire nolentes, diuersis mortibus interempti illustri martyrio consummantur: Arcadius, Præbus, Paschasius, & Euty chius: puer autem, Paulillus nomine, frater Paschasii, & Euty chii propter fidem catholicam damnatus est infimæ seruituti.

Carthago.
receptam.
f. disrupta.

Si hodie hæretici.

Proverb.

Arcadius & socii Hispani, martyres constantissimi.

De transitu Vandalorum in Siciliam & vastatione urbis. C A P. XIII.

VERVM quia nec sacrilegiis, nec cædibus hominum poterat satiari, Africam conculcata in Siciliam nauigauit, vt eam pari exterminio laceraret: & direptionibus iam peractis, obsedit Panormum eius insulæ regiam ciuitatem. Cumque hæc omnia Theodosius iunior qui Orienti præerat, percepisset, exercitum congregauit, vt Gisericum à Sicilia effugaret. Et dum hæc fierent, rumor aduenit, quod Hunni Thracias & Illyricum deuastabant. & hac necessitate Theodosius exercitum quem contra Vandalos destinauerat, reuocauit, vt Thracibus & Illyricis fieret in succursum. Martianus autem, seu Maiorianus, qui imperabat in Occidente, ab Italia in Hispaniam est profectus, & cum ad Carthaginensem prouinciam peruenisset, in eodem littore aliquantas naues ad transitum contra
 40 Vandalos præparauit: sed proditiõne suorum fuit Vandalis reuelatum, qui improviso nauigio venientes ex eis aliquas succenderunt, & aliquas abduxerunt. Sicq; Martianus dispositione frustratus in Italiam est reuersus, & Tertone à Richimiro patricio occiditur circumuentus, eo quod reipublicæ ignominiam intulerat & iacturam. Quod audiens Gisericus non contentus Africæ & Siciliæ vastatione, aggressus est patriam Romanorum. Romanæ autem ecclesiæ adhuc præerat Leo Papa. Romani vero timentes aduentum principis Giserici, relicta ciuitate ad montium ardua confugerunt, & veniens Gisericus ciuitatem habitatoribus vacuam, sed plenam diuitiis occupauit: sed nec incendere voluit occupatam, nec in eos qui remanserant, gladio desæuire. Nam Leo Papa in introitu ciuitatis occurrerat venienti, & diuini verbi pabulo Giserici tyrannidem sic sedauit, vt à ferro & incendio abstineret: & suasus ab Eudoxia Valentiniani relicta, quæ
 50 eius commercium cupiebat, vt Romam ingrederetur, Romanorum copias cupiebat, & per quatuordecim dies exhaustis opes, & thesauros absconditos eorundem, & Christiani* Valentiniani Eudoxiam relictam, & duas filias duxit captiuas cum multis millibus captiuorum. Roma itaque domina ciuitatum remansit vidua, quasi tremotu tertio conuassata, primo Alarici, secundo Athaulphi, tertio Giserici. Vandali vero Romam egressi se per Campaniam diuiserunt, omnia gladio & incendio dissipantes, Nolam, & Capuam, nobiles Campaniæ ciuitates, impetu subuerterunt, & incendio consumps-
 runt, & similia in aliis ciuitatibus, castellanis, & ruribus peregerunt. Sanctus vero Paulinus Nolanus Episcopus quicquid habere potuit pro redemptione captiuorum patriæ, erogauit. Supplicanti etiam viduæ vt vicum filium captiuum redimeret, cum nil haberet

Tetrone & Richimiro. V. C.

Roma, etiam ipsam Eudoxiam Valentiniani. V. C.

Nola. Capua. S. Paulinus. Nolanus.

omnibus erogatis, se ipsum in seruum vendidit, & filium viduæ liberauit, & cum aliis captiuatis ipse quoque in Aphricam est delatus, vbi sanctis operibus gloriosus, meruit obtinere sibi & omnibus concaptiuis qui à patria sua ducti fuerant, libertatem: & sic cum omnibus in Campaniam est reuersus. De hoc beatus Augustinus in libro Dialogorum plenius declarauit. Et sic Gifericus victor & inclytus ad Carthaginem est reuersus, & mox misit nuncios ad Theodosium qui præerat Orienti, & pace firmata remisit ei honorifice Valentiniani relictam, & vnam filiam, alteram retinens suo filio Hugnerico: & tamen ecclesiam persequi non omisit insistens hæresi Arrianæ. Paucis autem diebus interpositis, Gifericus iterum in Italiam voluit nauigare, sed repulsus à * Basiliſco patricio nauali victoria, in Aphricam inglorius est reuersus. Sicque vesaniæ suæ virus vbique refundens, frequenter victor, vltimo victus, quadagesimo regni sui anno vitam finiuit.

Basilis.

De Regno Hugnerici.

*De * Hugnerico. CA P. XV.*

MORTVO Giferico, filius eius Hugnericus succedit in regno, & regnauit annis octo. Hic habuit vxorem Valentiniani filiam, ex qua suscepit filium nomine Heldericum. Initium autem regni sui conspersit viru perfidiæ Arrianæ, & sicut in regno, sic patris in hæresi fuit hæres, & in persecutione catholicorum patre atrocior est inuentus, ecclesias infiscavit, sacerdotes & cæteros in ecclesiasticis officiis constitutos exilio condemnauit, monachos & laicos circiter quatuor millia durioribus pœnis arctauit, & eorū plurimos martyrio consummauit, plurimis confessoribus linguas abscidit, qui tamen linguis abscissis, Domino faciente, vsque in finem vsus loquelæ non amiserunt. Lætus etiam Neptensis Episcopus sub eo martyrio coronatur, & quia Arriani contagii labe noluit maculari, victor & martyr cœlesti consortio meruit adunari. Et quia Hugnericus calicem iræ Dei aliis propinauit, ea potione, qua & Arrius doctor eius, effusis visceribus impium spiritum suo restituit incentori regni sui anno octauo.

De Regno Gutamundi & Thrasamundi.

*De * Gutamundo, & Thrasamundo. CA P. XVI.*

MORTVO Hugnerico Gutamundus nepos ex filio Giferici succedit in regno, & regnauit annis vndecim, mensibus octo, qui statim pacem cum ecclesia reformauit, & omnes catholicos ab exilio reuocauit. Isto mortuo Thrasamundus frater eius successit in regno, & regnauit annis viginti sex, mensibus nouem. Iste infaniæ Hugnerici successor & hæres, statim in catholicos misit manum, & eos * abhortans, & euertens bona eorum fisci titulis assignauit, & ex omni Aphrica centum triginta Episcopos mittens Sardiniam exilio condemnauit: nec sui temporis hæresi fatiatus, Hildericum filium Hugnerici iuramento astrixit, ne catholicos exules reuocaret, ecclesiam restitueret aut foueret. Isto autem Thrasamundo impium spiritum Carthagine exhalante, Hildericus filius Hugnerici ex filia Valentiniani in regno substituitur Vandalorum, sed nolens transgredi iuramentum quod fecerat Thrasamundo, antequam regni culmine donaretur, Episcopos & cæteros catholicos ab exilio reuocauit, & ecclesiis restituit infiscata, & per totā Aphricam pacē datam ecclesiæ edicti præconio publicauit, & priuilegia quæ Thrasamundus abstulerat ecclesiis, redonauit. Cum enim mater eius esset catholica, fidei opera suadebat. Gilimerius autē de potioribus Vandalorum, contra Hildericum proditione & tyrannide insurrexit, & prælio victum cepit, & eum cum filiis custodiae carceris mancipauit, multosq; nobilium Vandalorum, qui in Aphrica vt indigenæ residebant, & Hilderico vt domino obediebant, & propter captionem eius tyranno indebito resistebant, sustinuerunt à Gilimerio persecutiones varias & iacturas, ita quod multos ex eis cum Hilderico in carceribus coarctaret: aliosq; proscriptis subiectis capitali sententia condemnauit, omniq; scelere inquinatus, & venundatus ad malum, nulli malitiæ se subtraxit. His miseriis Aphrica dissipata, sanctus Lætus Episcopus Neptensis, martyr eximius (de quo diximus) in visione apparuit Iustiniano Imperatori, vt succurreret tantæ cædi. quo oraculo incitatus Imperator confestim misit exercitum cum Belesario magistro militum contra tyrannidem Gilimerii, qui Belesarii aduentum verens, Hildericum Regem cum affinis sui generis & aliis nobilibus interfecit. Veniensque Belesarius Gutimirum & Gebanundum fratres Gilimerii primo prælio interfecit. Deinde prælio iterato ipsum Gilimerium fugæ exterminio propulsauit, sed insequens captiuauit, & ipsum captum cum diuitiis & rapinis nequiter conquisitis Imperatori Iustiniano Constantinopolim destinauit, & eo misso redegit totam Aphricā in prouinciam Romanorum anno nonagesimo septimo, ex quo Vandali Aphricā intrauerunt: & mansit postea

Vide Zonaram in Iustiniano.

adde sub peccato. Aphrica.

postea Romanorum subdita ditioni, donec per Mahometi astutiam fuit reddita hæreticæ
 * peruersitati, in qua peccatis exigētibus adhuc manet. Sicque regnum Vandalorum cum
 populo suo funditus extirpatur, quod à Gunderico Rege vsque ad interitum Gilimerii
 durauerat centum tredecim annis.

*prauitati.
 Vandali.
 Sup. in Ostro-
 gotthorum hist.
 cap. 4.*

De historia Alanorum. CAPVT XVII.

NVNC à Vandalorum historia liberatus, Alanorū me ingero seruituti. Eorum originē,
 processus, & acta, donec Gallias infregerunt, & Hispanias intrauerunt, superius enar-
 raui. Postquam igitur Hispanias sunt ingressi, in Carthaginensi & Lusitania prouinciis, su-
 perbo oculo, corde auido, crudeli proposito sedes altissimas collocarunt, ita vt Silinguis in
 Bætica, Sueuis in Gallecia, Romanis in Celtiberia præminerent, & Vandalos quos in vna
 prouincia concluderant cum Sueuis, potius impetuerunt, & incurfibus coarctauerunt.
 Romanis etiam in Carpetania quam a Carthaginensi prouincia defalcarāt, * intulerunt
 multas cædes, & * abstulerunt multas vrbes. quorum necessitate Constantius patricius (vt
 dixi superius) Gotthorum Regem Waliam inuocauit, qui mox veniens Alanos tanquam
 * acie duræ filicis hebetauit, & quam in aliis exercuerāt feritatem, venienti Walię relique-
 runt, & fegni nomine abnegato, se Gunderico quem deuicerant, subiecerunt, sed cum eo
 ad quem confugerant Gunderico, in conspectu Walię ceciderunt, & ciuitates suæ ditio-
 nis in Carthaginensi prouincia Walia tradidit Constantio præfidi Romanorum, & sic fuit
 in Hispaniis eorum potentia dilatata, & Regis nomine apud Alanos iam extincto, cessere
 Romanis Vandali & Sueui, qui fere totam Hispaniam occuparunt, & facti ignaui pro ma-
 iori parte, non militiæ, sed ascripti populo remanserunt, nec vt magnanimi ad sedes alias
 migrauerunt, donec post temporis interuallum Gotthis venientibus, vt accolæ peruene-
 runt. Et hic finis regni & gloriæ Alanorum.

*Vide cap. seq. 3
 pag. seq. inultr.
 abstulit
 aciem*

De regno Sueuorum. CAPVT XVIII.

LIBERATI ab ignauia Alanorum, transire restat ad historiam Sueuorum, Horum origi-
 nem & processum in superiori opere declarauit. Sueui autem cum Hispanias intraue-
 runt, Hermericum Principem habuerunt, & cum Vandalis Galleciam occuparunt, sed
 Vandalis nauigantibus in prouincias Aphricanas, soli Sueui Galleciam tenuerunt. Galleci
 tamen in aliqua parte proprio dominio utebantur, quos Hermericus assiduis incurfibus
 prædabatur. Tandem morbo chronico aggrauatus pacem inuit cum Gallecis, & tanquam
 insufficiens filium suum Recilam regni substituit successorem, qui armorum studiis pro-
 uocatus raro a præliis quiescebat. Cū autē Romani misissent quendam militiæ suæ ducē no-
 mine Andebodem cum multis copiis, vt Bæticiam occuparet, occurrens ei Recila ad fluui-
 um qui Silingius dicitur, in Bæticiæ regione, conferto prælio Andebodem vicit & interfe-
 cit, magnis auri & argenti copiis occupatis, & Romanorum exercitu dissipato Bæticiam suam
 subdidit ditioni, & volens Lusitaniam subiugare, obsedit Emeritam, & captam regno pro-
 prio adunauit. Hermericus autem pater ipsius interiit, postquam septem annis fuerat mor-
 bo diutino fatigatus. Regnauerat autem annis triginta duobus. Carthaginensem etiā pro-
 uinciam suam subdidit potestati & ita Gallecia, Lusitania, Bætica, Carthaginensi prouincia
 suo dominio subiugatis, erat in Hispaniis fere monarchus, & vt in hac quiete securior per-
 maneret, Carthaginensi prouinciæ regionem Carpetaniam, videlicet quam Romanis ab-
 stulerat, restituit facta pace. Cumque venisset Emeritam (prout fertur) sub gentilitatis erro-
 re vitam infeliciter consummauit, cum regnasset annis octo.

*Carpetania
 sup. 16.*

De Rheciario, & morte eius. CAPVT XIX.

Rheciario.

MORTVO * Recila Rheciarius filius, eius & factus catholicus successit in regno annis
 * IX. Hic duxit vxorē filiā Theuderedi Regis Gotthorū, & pro tanto coniugio eleua-
 tus est, suspicatus non tantum Hispaniæ, sed & Vasconiis imperare, & ad Theuderedum
 socerum suum in Galliam Gotthicam est profectus, & ab eo rediens honoratus Gotthorū
 auxilium secum duxit, & Tarraconensem prouinciam & Cæsaraugustam Carpetaniæ que
 Romano Imperio seruiebāt, impetēs occupauit, * Carthaginem, etiam regiones quas Ro-
 manis reddiderat Recila pater eius, prædæ incurfionibus deuastauit. Mortuo autem socero
 suo Theuderedo in bello Catalaunico, & eius filio Thurismundo, succedente Theodo-

*Ricila.
 8. V. G.
 Carthaginensib.*

*sup. in Roder.
lib. ni fallor pro
insolescere.
Rheciarius. V.
C. sempit.
De Masdra &
Franta, & aliis
regulis Sueuo-
rum.*

rico secundo filio, Rheciarius cœpit in Hispaniis insolescere. & Theodoricus Rex Gotthorum filius Theoderedi, qui regnabat in prouincia Narbonensi, contra eum citius properauit. * Rheciarius autem de suis viribus plus præsumens occurrit Theodorico, & prælio adinuicem inchoato, Rheciarius effugatur, postea capitur. postea interit interfectus.

De Suenorum Regibus. CAPVT XX.

Lucum V.C.

SVEVI autem bifarie diuisi, alii Masdræ filium in principem elegerunt, qui tantum duobus annis regnauit: alii Frantam. Masdra autem statim mortuo, pars Masdræ filium eius substituit Remismundū, qui cum Franta ilico pacem fecit: & ambo pariter fœderati partes Lusitanæ deuastabant. Post bienniū mortuo Franta, pars eius Frumarium sibi præfecit. qui cum Remismundo super regni præminentia litigaret, euerit Flauia, vastabit patriam. Remismundus etiam * Lucum, & Auriam, & maritima deuastabat. Sed post biennium Frumario decedente, Remismundus pace cum Gallecis inita, Sueuorū in Gallecia obtinuit principatum. Sueui enim eum sibi in regulum præfecerunt. Qui ad Lusitaniam transiens Coimbriam pace deceptam diripuit & exhaustit, Vlybonam etiam occupauit, Lusidio ciue & incola qui illic præerat, eam tradente. Post aliquot dies Remismundus his successibus eleuatus ad Theodoricum Regem Gotthorum nuncios destinauit, & pacem & amicitiam postulauit. Quos Theodoricus benigne recipiens annuit postulatis & in signum veri amoris coniugem misit ei per Sallanum quendam ex officio palatino cum adiectione armorum & munerum copiosa. Et recepta coniuge & muneribus, cœpit amplius superbire, & Sallanum muneribus honestatum remisit ad Theodoricum cum epistolis suæ laudis. qui cū ad Gallias rediisset, Theodoricū ab Eurico fratre suo reperit interfectū. Huius tēpore Ajax natione Galata, effectus apostata, Regis auxilio sectæ se contulit Ariana, & inuētus est fidei catholicæ inimicus, qui de Gallia Gotthorū adueniens hoc virus pestiferum genti Sueuorum infudit, Regibus in Ariana hæresi permanentibus. Catholici persecutionem & pericula pertulerunt, donec regnauit Theodomirus, qui prædicatione Martini Dumiensis Episcopi fidei catholicæ redonatus, eliminata spurcicia Ariana Sueuos restituit fidei vnitati. Hic Martinus Dumienfis Episcopus, religione, doctrina, & fide præclarus, multa docuit & firmavit in ecclesiasticis institutis, pro cuius memoria ecclesia Gallicæ adhuc gaudet. Regnauit autem Theodomirus annis decem.

Martinus Dumienfis Episcopus in Gallecia.

De Miro, & fine regni Sueuorum. CAPVT XXI.

POST Theodomirum Mirus princeps efficitur Sueuorum, & regnauit annis tribus. Hic secundo regni sui anno Rucconibus mouit guerram, & bellis attritos opibus spoliavit. Et dum Leouigildus Rex Gotthorum Hermegildum filium suum propter fidem catholicam Hispali obsedisset, Mirus processit in auxilium Leouigildi, & Hermegildo capto & interfecto Mirus ibidem terminum vitæ clausit. Huic successit Euricus filius eius in regno, quem in adolescentia constitutum Andeca per tyrannidem regno priuat, & coegit eum monachum fieri, & detonsum in monasterio inserauit. Sed quia malorum impietas non remanet impunita, protinus Rex Gotthorum Leouigildus ingressus Hispanias, bellū intulit prouinciæ Sueuorum, & Andecam deuictum regno priuauit, & regnum eius in prouinciam redegit Gotthorum. Ipsum autem Andecam post regni honorem fecit tondere, & presbyterii officio mancipari. Enimuero oportebat, ut quod Regi suo fecerat innocenti, ipse proditor congrua vicissitudine pateretur. Et sic Sueuorum regnum obtentum à Gotthis, expers gloriæ hic finitur, quod durauerat centum & septuaginta septem annis.

Hispaniæ

De Silinguis. CAPVT XXII.

Silinguis

EXPLICATIS regno & actibus Sueuorum, me cogit materia acta describere Silinguorū Equorum ratio cum Vandalis vna fuit, nisi quod illis in Aphricam transfretantibus isti in Bætica remanserunt. vbi experti cædes, & incurfiones, & pericula Romanorum, non euaserunt excidia Alanorum. Sed & Reges Galleciæ Sueuorum eos multis direptionibus subiecerūt, & Hispali eorū metropolis interdū diruta, interdū inuasa, nunquā fœlicitate stabili potuit efflorere, donec sub Leouigildo Gotthorum principe * filius captiuata, Regis & regni gloria viduata, & in Gotthorū prouinciā iam redacta. Et hic finē habuit principatus & potentia Silinguorum, quorum exterminiu à Gotthorū Rege Walia inchoauit, & per Leouigil-

sup. cap. XIII.

Leouigildum postea consummatū. Primus. n. Gotthorū Ataulphus Hispanias est ingressus sed Barcinonæ interfectus est. Post ipsum W alia, qui Vandalos & Sueuos, Alanos & Silinguos domuit & prostrauit, & in Silinguis prouinciis de Gotthorum maiorib. instituit principes populorum, nec tamen ibi sedem regni voluit collocare. Theodoricus etiam Sueuos suo domino subiugauit: & extunc cœperunt Gotthi in Hispaniis dominari, & regni sedem à Gallia Gotthica in Hispaniam transtulerunt.

10 NOTÆ IN HISTORIAM
RODERICI XIMENEZ, &c.
AND. SCHOTTI.

And. Schottus.

20 **C**ONTVLI cum veteri m. f. in membranis Ecclesiæ Toletanæ, cui plus fidei iure optimo tribuendū: quippe qui iam ab inde D. Roderici temporibus scriptus & hic collocatus esse videatur. Sunt & variæ lectiones seorsim ab alio codice m. f. in quibus non erat librorum appellatio atq; distinctio, nec per capita 1. 2. 3. 4. 7. mense Ianuario CIO. IO. LXXXIII. Hos sequebatur historia Romanorum nō edita, & mox Gothorum: & hunc Ostrogothorum, & post Arabum historia nunquam impressa.

De ætate Roderici lib. 1. c. 24. pag. lib. 6. c. 3. pag. cap. 5. fine lib. 6. Fuit in Gallia. 7. cap. 9. & cap. 14 & 24. 6 & 36. eiusdem lib. 7. & lib. 8. cap. 6. & 9. & 10. 12. & toto libro 8. c. 4. & 17. Lib. 9. cap. 1.

Ioh. Vaseus Chronici CAP. IV.

30 **R**ODERICVS Ximenez Nauarrus Archiepiscopus Toletanus, res in Hispania gestas nouem libris complexus est. Quibus subiunxit Ostrogothorum, Sueuorum, Alanorū & Vandalorum historiam. Eos libros mirè vitiatos, si quis exemplarium collatione mendis expurgatos atque emaculatos ederet, non aspernandum haberet Hispania rerum suarum monumentum. Scripsit præterea Rodericus Arabum Historiam ab excidio & origine Mahometi. De eius obitu & laude Marian. lib. xiiii. cap. v. pag. & Epitaphium rudis sæculi: Mater Nauarra, nutrix Castella schola Parisius: Sedes Toletum, Hortus Mausoleū, requies cœlum, obiit anno Christi 1245. alii adscribunt 1247. Augusti 9. aliis Iunii mensis die 10.

40 **I**ncipit historia Gothica edita à Roderico Toletanæ Ecclesiæ Sacerdote. V. C. Tolet. Vnde dubitari potest, an quæ post librum ix. sequuntur, sint Roderici, in quo nulla librorū nec capitum numerus est: sed perpetua series, quasi vnius libri, nisi quod argumenta capitū cum his & lemmata conueniant. Historiam Gothicam vocat ipse in historia Arabum cap. 32. & cap. 48. fine, & bis 49.

Ad Libri II. CAP. XI.

Primi Concilii Toletani nulla mentio in Roderico, sed vt ex libro Conciliorum colligas, Celebratum est sub Patrono Episcopo, & confirmatū auctoritate Leonis Papæ, nouendecim Episcoporum, at in libro Concil. xviii. tempore Honorii & Arcadii Imp.

Fludingius] *Fludinum* vocat Isidorus. Annales verò Gallorum Clodoneum. Gregorius Taronensis lib. 11. cap. 37. & Paullus Æmilius & alii.

50 **A**pod Pataniū] V. C. apud Pictauis lege apud Pictauos, Pictauium, vel ne quid dissimulem ita in Tolet. m. f. apud Regem Pictauis prælio interfecit, vel apud delendum sit: vel Regem apud Pictauos, qui iidem & Pictones sunt, leg. sit vel apud Pictauū, quod emendat Ioh. Vaseus Chronici anno 509.

Apod urbē Regiā] D. Isidorū Rodericus noster secutus est, ex quo hic celebratū apparet secundum Toletanum Concilium, & nō superius, nisi, vt Ioh. Vaseo placet, hic fuerit aliud Concilium celebratum, quod non exstat in lib. Conciliorum. Vaseus anno 530. ait quinto anno Amalarici celebratum, vel, vt Isidorus tradit, secundo anno Theudii, sed cum Amalaricus quatuor tantum annis regnauerit in Hispania, verius est tempore Theudii, & hoc sub Montano præfule Toletano: sed codici Conciliorum repugnare non possumus, qui v. anno Amalarici affirmat celebratum sub eodem præfule.

Ad CAP. XIV.

Animaduerto toto hoc cap. (excepta inscriptione) Leonegildum per n. non per u. vocari, vt hinc Leon ciuitas dicta videatur. Atque in m. f. semper Leouegildus.

Fuit sub Helladio] Helladium tertio concilio Toletano præsuisse nec subscripsisse legitur, sed è libris Conciliorum Mausonam Emeritensem Episcopum subscripsisse dicit Vasæus anno 589.

Leandri Episcopi] Scripsit & de virginitate ad sororem. Vidi Toleti in bibliotheca Tolet. & in Concil. Tolet. Ambros. Moralis lib. 12. cap. 3. pag. 3.

Ecclesiam S. Leocadiæ] Quidam putant Ecclesias duas, quæ hodieque Toleti visuntur, religiosæ, frequentantur, fundasse Sisebutum, alteram carceris, alteram sepulcri loco. S. Eulogius & Lucas Tudensis huius meminerunt.

Ad CAP. XXI.

Dignitatem primatiae] Quæ primatiae fuerat Hispali: vnde elicitur Isidorum fuisse primatem Hispaniarum. Isidorum autem fuisse primatem Hispaniæ, multorum testimonio comprobatur. Sed quod Hispali fuerit primatus Hispaniæ non satis constat: quanquam ex verbis Roderici in hoc cap. Hispali fuisse potest contendere, ita confuse Rodericus tradit vide lib. 3. cap. 24. pag. 29. b. & lib. 4. cap. 3. in fine pag. 31.

Ad CAP. XXII.

In festo gloriosæ virginis] Bene inferitur (vt Vasæo placet) hanc festi solemnitatem iam antea constitutam esse. nam in decimo Concilio Tolet. fuit instituta, & hoc sub Eugenio, Ildefonsi auunculo, & octauo regni Recensuindi anno, vt ipsemet Rodericus ait. Ildefonsus vero Archiepiscopatum suscepit anno 1x. eiusdem Principis. Vnde errant qui institutionem huius festi Ildefonso tribuunt. Quod vero ipse librum virginittatis in eadem die in honorem virginis Mariæ pro lectionibus matutinis fecerit recitari, probatur multorum testimoniis: etsi Rodericus hoc prætermittat.

Ad Lib. III. CAP. XII. *sub finem.*

Ibi creditur tumultatus] Non in basilica S. Leocadiæ Toletanæ, vt quidam putant. In m. f. biblio. hecæ, vt quidam putant Toletanæ reperi adscriptum alia manu. Hunc transtulit rex Alfonso ad Capellam S. Leocadiæ, quam ipse construxit in vrbe Regia Toletana, iuxta castrum suum.

CAPVT XIII.

Iulianus Episcopus] Vasæus in Tomo 1. Chronic. ait quod noster Rodericus hallucinatur, significans hunc Iulianum alium fuisse ab eo, qui interfuit concilio Toletano. nam ex historiis Hispaniæ constat eundem fuisse ac discipulum Eugenii 3. Archiepiscopi Toletani. Alius fuit Iulianus Pomerius presbyter, qui floruit circa annos Domini 450. qui falso creditur à Trithemio Archiepiscopus Tolet. De hoc secundo Pomerio scribit Gennadius Iulianus Pomerius presbyter, decies citatur à nostro Diuo Iuliano in libro qui inscribitur Prognosticon futuri seculi. Creatur Archiepiscopus Tolet. anno primo Prugii regis, Christi. 681. obiit anno 690 fuit huius nominis secundus. Vide Ambrosium de moral. lib. 12. Chronic. Hispan. cap. 58.

Ad CAPVT XIV.

Episcopi suffraganei &c.] Hæc omnia desunt in aliquibus V V C C. in quodam sanctæ Ecclesiæ Toletanæ in margine habebantur, à qua fortasse in contextum migrarunt. Vt cunque sit: quod dicitur, vbi sanctum eius corpus requiescit: neque ad tempora Roderici neque eius qui ea ad marginem scripsit, referri potest, cum multo ante fuerit translatum. Cæterum id desumptum est ex principio 17. Concil. Tolet. vbi ita habetur. Dum in Ecclesia gloriosæ virginis & confessoris Christi S. Leocadiæ, quæ est in suburbio Toletano vbi sanctum eius corpus requiescit, plerique Hispaniarum & Galliarum Pontifices conuenissemus.

Ad CAP. XVIII. Lib. 5.

Inuitam corrupit] Alii Tharasiam intactam & integram remissam scribunt. Vasæus.

Ad monasterium S. Pelagii] Ergo Monasterium S. Pelagii non est quod quidam autumant, sed Oueti, quo se transtulit Tharasia, vbi vixit sepultaque est.

Ad Lib. VII. CAP. I.

Verum Rex Aragonum Aldefonsus] Rex Aldefonsus Aragoniæ Vrracæ coniux non debet inter reges Castellæ numerari, licet cum vxore sua Vrraca quatuor annos regnauerit, quia iam natus erat & superstes Aldefonsus v. i. dictus Imp. & hæres, & dici potest non regnasse sed gubernasse.

Ad CAP. XXIII.

Æra 1208] Huius lectionis veritas ex cap. xi. & xii. colligitur. Æra namque 1197. Ferdinandus patri successit regnavitque annis 31. obiit ergo æra 1228.

Ad CAP. XXIV.

Accingit similiter cingulo militari] Hunc morem suspicor fuisse nobilitandi ob illustre militiæ factum, ut apud Burgundiones gladio à Rege feriri.

Charta Illustrissimi Domini Henrici Regis Castellæ super tertiis Ecclesiarum non accipiendis.

10 Notum sit omnibus, quod ego Henricus Dei gratia Rex Castellæ & Toleti, considerans me peccare grauiter in accipiendis tertiis Ecclesiarum in meis vsibus expendendis: salubri consilio doctus promitto Deo, & beatæ Mariæ eius genetrici, & sanctæ Ecclesiæ, quod nunquam eas de cætero accipiam: neq; violentiam super eis inferam Ecclesiis, nec super his sustineam eis iniuriam inferri. Facta charta apud Soriam Rei exp. æra 1254.

Charta Comitis Domini Aluari super tertiis Ecclesiarum.

20 Notum sit omnibus hanc chartam videntibus, quod ego Comes Dominus Aluarus Nunii cum consilio Magistri de Veles, & Prioris Hospitalis, Domini Gonsalui Nunii & Domini Gonsalui Roderici, & Domini Ordonii Martini, & totius curiæ: promitto Deo & beatæ Mariæ eius genetrici & sanctæ Ecclesiæ, quod nunquam de cætero tertias Ecclesiarum, in Regiis vsibus expendendas accipiam nec consulam illas accipere, nec iniuriam nec vim inferam in illis accipiendis, nec alicui dandis nisi vbi ius diuinum præcipit illas dari. nec pro posse meo consentiam iniuriam inferri ab aliquo, quamdiu Regem dominum Hericum in custodia mea habuero. Facta charta apud Soriam ip. exp. 15. die Februarii Æra 1257.

30 NOTÆ IN RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI OSTROGOTHORVM HISTORIAM.

Ostrogothorum Historia] In m.s. Toletano hæc Hunnorum historiæ subiunguntur: & post hæc historia Arabum

Ioh. Vassæus Chronic. putat esse Seueri Sulpitii aut sed hi multo antiquiores. Ambros. Moralis negat esse Roderici Chronic. lib. xi. cap. xii. In m. f. Tolet. quo vsus sum, Annales sequuntur, nisi quod de Romanorum origine quædam præmittantur, & Gotthorum Historia præcedat Ostrogothorum. Cuius & antiqui sane scriptoris, & Roderico, ut apparet, antiquioris, vnde & D. Isidorus in Gotthicis multa ad 40 verbum exscripserit. Ex fine sup. lib. ix. apparet integrum librum esse, nec de Gotthis suam historiam nusquam citat, præter ea quæ libro i. à cap. viii. leguntur. Sed Roderici esse colligo ex cap. xxxii. Historiæ Arabum, vbi Historiæ Gothicæ caput aduocat, de insolentiis Veremundi & Victoria Almanzori: quod exstat lib. v. cap. xiv.

Ad Prologum eiusdem.

50 Prologus in Historia Hugnorum, Vandalorum, Sueuorum, Alanorum & Silingorū V. C. Tolet. in quo hic libellus præmittitur historiæ Ostrogothorum & Arabum: & præcedunt quædam de statu Hispaniæ sub Romanis, repetito altius principio, inde ab vrbe condita.

Ad CAP. XI.

Sub finem ibi [appellamus] adde, in qua est fluuius qui Silingius appellatur, & ab Arabibus Guadaxelin Arabice nominatur: &c.

Rodericum esse legitimum auctorem apparere ex cap. XXXXI inf. § 49. cap.

RODERICI XIMENEZ ARCHIEPISCOPI TOLETANI HISTORIA ARABVM.

Incipit Prologus in libro Arabum post principium Machumeti.

f. acerbino



u. & regibus f. vero vel numero quinq. regibus f. aperuit.

alia. explicauit

*Q*ua calamitatum * acervus Hispania dispendia sit perpeffa, in superioribus, ut licuit, explicauit. Nunc de excidiis Arabum: qua utinam sint postrema, à quibus nihil fuit in Hispaniis intentatum, finem imponere dignum duxi, Si diuina potentia velit de cetero à gladiatorum dissecationibus custodire, que iam à quingentis triginta duobus annis & ultra, repetito gladio dissecata, nec a filiis euasit viscerum sectionem: nunc* nostro ve. regibus dispartita ab eis, & transfugit ad Sarracenos, intestini vulneris supplicia non euasit. Verum diuina clementia miserante à tempore nobilis Aldephonsi, qui prope vilche Amiramomeninum cum Arabibus campestri pralio effugauit, & Arabum gladius hebetatus & Gothorum strenuitas restituta, talionis semitas* apparuit Christianis: & sicut a principio Christianos incolas sub tributi onere coegerunt, sic & modo restitutis munitioibus principibus Christianis, degunt seruitute solita sub tributo. Eorum itaque successiones & tempora volens posteris conseruare, eorum exordium à Machometi tempore inchoauit: qui eorum secta fuit conditor & inuentor, de eius origine, prædicatione, & regno, & eorum scripturis ad detegendam gentis illius versutiam, & scuitiam, satis breuiter* explicabo. Aduertat autem lectoris studium qualiter mentita reuelatio versuti hominis Machumeti ex corde finxit virus pestiferum, quo libidinosas animas, quasi nexibus colligauit: ut discant paruuli à fabulis abstinere, Adæ funiculis colligati, & trahi vinculis charitatis.

DE ORIGINE ET EXORDIO Machumeti.

CAPVT PRIMVM.

1 Sequitur auctor opinionem eorum qui Leouegildi regem cepisse Æra 100X. id est, anno 10LXXII. Christi affirmant. Et in Chronico lib. 2. cap. 14. 2. Leg. 100XVIII. An enim in mortuum ara 100LXVI. cum tantum dixerit quadraginta nouem annis. Ioan. Vasam. 3 pro Genethliaca.



*A*lly Leouegildi regis Gothorum nono. Æra de prima, in villa quod Hiatrib dicitur, prope Meham, erat homo Aly nomine, filius Abdelmutalib, & vxor eius Æmina; nomē patris Æminem Bayab, & matris eius Halima: quæ concepit & peperit filium, quem vocauit Mahomath. Et cum Arabia & Africa inter fidem catholicam & hæresim Arrianam, & perfidiam Iudaicam & idolatriam diuersis studiis traheretur, Arabs prædictus Aly familiaritate cuiusdam Iudæi, qui erat geneaticus inter fidem catholicam & Iudæorum perfidiam fluctuabat. Cumque Æmina concepisset, facta est sterilitas magna per totā Arabiā adeo ut pane deficiente, herbis duntaxat siluestribus vescerentur: Cum autem tempus partus Æminæ aduenisset, Iudæus ille, ut erat geneaticus, captauit consistentiam planetarum, & horam natiuitatis infantis. Aly autem in sanctam Ierusalem ierat ad orandum & rediens inuenit filium suum natum: & quicquid ille geneaticus de infante perceperat, reuelauit & prædixit eum in regno & lege mirabiliter exaltandum, Aly autem apud Hiatrib post tempus modicum vitam finiuit. Cum autem esset infans annorum quatuor, ut ipse mentitur, uenerunt duo angeli, & sciderunt cor eius, & extraxerunt inde coagulum sanguinis denigrati, quod postea niuis lauaacro abluerunt, & ponderauerunt cor eius cum decem cordibus gentis suæ. Post cum mille & maioris ponderis est inuentum, & vnus angelus dixit alteri. Si cum omnibus Arabibus in trutina poneretur, omnibus præualeret. Hæc mentitur in visione se à Gabrielo angelo audiuisse. Cum autem esset annorum quinque, mater sua tradidit eum auix suæ Halimæ nutriendum.

De instrum

A NNO septimo mater sua recepit eum & se transtulit ad propinquos & post paucos dies ibi mortua fuit *Æmina* mater eius, & suscepit eum alia mulier, quæ *Daymen* dicebatur, & transtulit eum in *Mecham*. Octauo anno mortuus est *Abdelmutalib* auus eius, & recepit eum *Abutalib* patruus eius in curam: & iste tradidit eum prædicto geneatico instruendum, qui eum instruxit in naturalibus scientiis, & lege Catholica, & Iudaicæ perfidiæ documentis: vnde & ipse postmodum aliqua de fide catholica, aliqua de lege veteri in sua sectæ subsidium vsurpauit. Cum autem *Mahomath* esset annorum tredecim, *Abutalib* duxit eum *Ierusalem*, eo quod templum sanctimonix erat ibi. *Mahomath* autem cum ad annos adolescentiæ peruenisset, & in doctrina noui testamenti ac veteris, & naturalis scientiæ profecisset, iterum fame Arabiam opprimente, ipse ad cuiusdā diuitis viduæ, quæ *Hadeya* dicebatur, familiam se conuertit, & circa operationes domesticas industrius est inuentus: & ea quæ vehiculi onere abducebat, reduci sœnore sibi gratiam & viduæ diuitias cumulabat: & factus est in oculis viduæ graciosus, adeo vt eum in filium adoptaret. Cum autem esset annorum viginti quinque, duxit vxorem quæ *Abdiga* dicebatur. Demum etiā viduam, quæ eum exhibuerat, superduxit & procedēte tempore alias cumulauit: ita quod decem & octo vxorum libidine, immo adulterio sœdabatur. Prima autem causa suæ ostensionis in Arabia sic euenit. Ecclesia nobilis apud *Mecham* inundatione fuit penitus dissipata: in qua erant formæ argento, & auro, & preciosis lapidibus decoratæ, quam seniores *Mechæ* cupientes vnanimiter reparare, nauem regis *Ægypti* Christiani, qui in *Æthiopiā* ecclesiam cæperat ædificare, oneratam lignis in *Arabix* littore acceperunt, & ex istis lignis deiectam ecclesiam reparauerunt, quæ *Alcahaba* dicebatur. Et cum esset ecclesia consummata, erat lapis niger in angulo apponendus (quem & hodie ob reuerentiam Arabes osculantur) cumque maiores populi dissiderēt quis consummationis lapidem adaptaret, ultimo conuenerūt, vt qui primus in porta, quæ *Bayssayba* dicitur, appareret, ille lapidē collocaret. Accidit autem *Mahomath* per portam prius cæteris aduenire, & concesserunt, vt ipse esset supradicti lapidis coaptator: & ipse extendens chlamydem, texit petram & vocatis ad se quatuor de *Coraxinis*, tulerunt lapidem ad structuram & ipse, vt cemetarius collocauit: & viderunt omnes, & miraculum reputarunt & cum omnes crederent esse Prophetam, inquit quidam. Cum tot seniores & viri probabiles in vestro concilio habeantur, miror quare hunc adhuc iuuenem omnibus prætulistis: & iurans & interminans, hic sine dubio vos disperdet. E contrario alii resistebant dicentes, à diabolo sic locutum. Viri autem seniores & populus reparatam ecclesiam iuxta dignitatem pristinam ornauerunt, & tunc *Mahomath* suasit eis, vt semper versus illam ecclesiam adorarent. Erat autem *Mahomath* annorum triginta quinque. Post hæc *Mahomath* fecit moram per quinquennium apud *Mecham*, & ibi multis dissensionibus cum his, qui erant de genere *Coraxinorū* & idola adorabant, frequentius concertabat, vnum Deum tantummodo prædicans adorandum: sed quia illi potentia præminebant eum à *Mecha* in *Hiatrib* fugere compulerunt.

V. G. Corradi.
De instructione
& prima offensione Machometi. Tabul. Cod.

De Prædicatione & Rebellionē eiusdem.

CAPVT III.

POST quinque autem annos, cum esset annorum quadraginta, *Mecham* intrauit, & ibi latuit per tres annos, nolens se ostendere Prophetam, & ibi mentitur sibi datum ab Angelo librum, qui dicitur *Alcoranus*: & quia adhuc *Mecha* pro maiori parte à *Coraxinis* idolorum cultoribus tenebatur, ipse quasi humiliter cedens, in villam suam *Hiatrib* declinauit, & postea resumptis viribus, intrauit in *Mecham*, & eos qui erant de genere *Coraxinorum* & ei resisterant, vi & potentia captiuauit: & quasi impropers dixit eis: Quid de vobis faciam. At illi dixerunt, Bene: quia estis largus, & curialis. & ipse continuo dimisit eos, & deinceps humiliter subfuerunt. Tunc præcepit vt in turribus, vbi consueuerant campanæ pulsari, *Sarracenus* quispiam proclamaret. Sicut & adhuc hodie proclamatur à cultoribus sectæ suæ. Præcepit etiam vt in mense *Ramadam* ieiunarent triginta diebus, & aliis triginta diebus in mense, qui dicitur *Almoharram*: & domum, in qua ipse natus fuerat, fecerunt *Mezquitam*.

Anno autem imperatoris Heraclii VII. Sisebuti regis Gothorū quinto natiuitatis suæ quadragesimo Mahomath vidualibus diuitiis inclytatus: & falso miraculo lapidis à populo approbatus, cœpit grandia cogitare, & rebellia contra Romanorum imperium procurare: & clanculis suasionibus populos concitare, ostendens eis qualiter seruitutis amaritudine premerentur, & exinaniti censibus, & tributis paupertate continua vexarentur, & sola ignauia tenebantur, cum vi & numero possent repellere potentiam Romanorum.

De victoria Machometi contra Romanos. C A P. IV.

CVMOQUE plurimis taliter suafisset, accidit quod Heraclius Imperator mitteret nuntios pro tributis, sed Mahometh cum suis complicibus hoc prenosens eis occurrit, & negatis tributis, fultus audacia, interfecit: & sic assumptis viribus interdum furtim, interdum publice, prout negotium exigebat, Syriam Arabiam & Mesopotamiam, fraude potius quàm virtute, suo proposito inclinavit: & adeo ciuitates & oppida stimulauit, vt iugo seruitutis abiecto, iam aperte inciperent rebellare. Eisdem diebus Heraclius somniauit, quod mures è terra nascentes, sibi extrema vestium corrodebant: & tunc misit amplio rem exercitum cum Theodoro fratre suo: sed victi ab exercitu Machometi ad Heraclium redierunt, amplio rem exercitum collecturi. Tunc Heraclius fratri suo Theodoro visionem murium reuelauit, & restaurata multitudine bellatorum, Romanorum exercitus cum Theodoro iuit contra exercitum Machometi. Sed adeo inualuerat rebellium multitudo, quod Romanæ legiones verentes à facie Machometi ad Gabatam oppidum secesserunt, rebellium exercitu subsequente vbi pugnae periculo crebescente, succubuit exercitus Romanorū & Theodoro interfecto, cæteri strage & gladio perierunt, præter paucissimos, qui fuga & latebris euaserunt: & ex tunc fuit iugum imperii Romanorum excussum à ceruice Sarracenorum.

De sublimatione Machometi in Regem, & de visionibus mendaciter excogitatis.

C A P. V.

ET continuo superba victoria eleuati, Damascum adeunt nobilissimam & regiam Syriæ ciuitatem: in qua attendentes, quod per eum adepti erant libertatem cum in principem elegerunt, & regni solium concesserunt. Quo adepto, verens Mahomath ne de populis sibi subiectis, qui Christianis legibus subiacebant, Romano Pontifici obedirent, & reconciliati imperio adhærerent, legem statuit qua, quasi funiculis, peccatorum damnandas animas colligaret, cœpitque fabulis detestandis seducendas animas mulcere. In eius secundo libro reperitur scriptum quod Mahomath insidebat vni bestia, quæ dicitur Abborac, & præponebat pedem posteriorem super pedem anteriorem, & talibus bestiis prophetae consueuerant insidere: & in tali bestia Mahomath Ierusalem est profectus, & vt ipse in libro suo mentitur, inuenit ibi Abraham, Moysen, & Iesum, & prophetas alios, ex antiquis, qui ibi conuenerant ad orandum, & obtulerunt Machometo tria vasa, vnum lacte, aliud vino, aliud plenum aqua: & audiuit vocem cælitus hoc dicentem. Si vas aquæ acceperis, cum populo tuo submergeris. Si vas vini, cum gente tua peribis: Si vas lactis, tu cum populo tuo dirigeris. Et ipse accipiens scyphum lactis, bibit ex eo. Tunc Gabriel Angelus dixit ei. Nunc es directus, tu & omnis qui crediderit legi tuæ: & oratione facta cum Ierosolymis recessisset, quod viderat, discipulis reuelauit, & addidit, quæ sequuntur. Cum vidi, inquit, Abraham Moysen, & Iesum, oculi corporis dormiebant, sed cordis oculi vigilabant & vidi quod Abraham similis erat mihi: Moyses autem erat rubeus atque crispus. Iesus autem Mariæ filius, flauus capillis, nec longus, nec paruus: sed dispositione & statura media coaptatus, & videbatur aqua ab eius capite proflire, veruntamen aqua non erat ibi. Addidit etiam in hoc libro: Ad primum cœlum Gabriel me perduxit, & me benigne Angeli in isto cœlo receperunt, cum risu, & gaudio respexerunt, dicentes communiter, bene, bene, orantes mihi prospera, & iocunda. Vnus solus inter Angelos consistebat, qui nec mihi orauit prospera, neque risit. Cumque quæsissem ab Angelo quis nā esset, respondit: nunquā risit hic Angelus, custos ignis, & dixi Angelo: est hic Angelus qui à Deo dicitur nimis dilectus. & respondit Angelus: hic est ille. Tunc dixi ei, Præcipite, inquit, vt ostēdat mihi ignē. Iubente itaque Gabriele remouit regimen ollæ ignis: & ignis ascendens, timui ne omnia quæcumque videram concremaret, & rogavi Gabrielem, vt ignis iterum tegetetur: & ignis rediit in locum suum, & videbatur, vt sol cum occidit in occasu: & tristis Angelus, vt prius

vt prius fuerat, textit ignem. Similiter cum intraui cælum, inueni hominem venerandum in sede sedentem, & ostendebantur ei animæ omnium mortuorum: & cum videbat animas, quæ sibi non placebant, ab eis intuitum auertebat, improperans eis: Peccatrix anima ab infœlici corpore exiisti, & cum ostenderetur ei anima, quæ placebat, applaudens animæ inquebat: O fœlix anima à bono corpore exiisti: Et interrogavi Angelum de viro tantæ reuerentiæ, quisnam esset: & Angelus dixit mihi, Adam est, qui bonis sui generis congau- debat, & à malis faciem auertebat, & pœnas peccantium ostendebat. Vidi etiam in eodem cælo, qui carnes pingues, & optimas manducabant: & alios qui post positis pinguibus de fœtidis comedebant. Cumque quæsissem, isti homines quinam essent, respondit Angelus:

10 Primi sunt qui vxoribus legitimis adhæserunt. Alii qui legitimas non curantes fœdis com-
merciis vetitis mulieribus se dederunt. Postea duxit me Gabriel ad secundum cælum,
& inueni ibi Iesum filium Mariæ, & Hyaya, quem nos Ioannem dicimus, filium Zachariæ,
qui erant consobrini. Postea Gabriel in cælum tertium me induxit, & inueni hominem,
cuius forma erat, vt plenæ Lunæ & Gabriel dixit mihi: Hic est Ioseph filius Iacob Patriar-
chæ. Postea duxit me in cælum quartum, vbi inueni hominem venerandum, & Gabriel
dixit mihi: Hic est Aaroh, & erat ibi cum eo Iduz, qui cælum ascendit. Post hæc duxit me
Gabriel in quintum cælum & inueni ibi hominem senem, & pulchrum, & dixit mihi: Hic
est Aaron, filius Abrahæ. Postea duxit me in sextum cælum, & inueni ibi hominem ru-
beum, & procerum, & dixit mihi: hic est Moyses. Postea fecit me ascendere in septimum

20 cælum, & inueni ibi hominem canum, sedentem in sede apertæ domus, quæ à pluribus
Angelis habitabatur, & intrauerant in ea LXX. millia Angelorum & non redierunt, vs-
que ad diem iudicii, & Angelus dixit mihi: Hic est Abraham pater noster. Post hæc intro-
duxit me in Paradisum, & inueni ibi puellam formosam quæ multum placuit in oculis
meis, & interrogavi eam, cuius esset: quæ respondit. Hic seruator Zayt filio Hyarith: & cum
descendissem de Paradiso nunciaui hæc Zayt filio Hyarith, qui de meis confortibus vnus
erat. Et in omnibus cælis, ad quos ascenderam, interrogabant Angeli Gabrielem, & ipse
dicebat eis: Hic est Mahomath, & interrogabant cum gaudio: Est iam missus? & ipse in-
quit: Iam est missus: & ipsi omnes orabant, vt Deus adderet mihi vitam, tanquam fratri
suo & amico. Postquam autem transieram septem cælos, Gabriel me proposuit ante Deū,

30 & mandauit mihi, vt quolibet die dicerem quinquaginta orationes. Ego autem conuer-
sus ad Moysen amicum meum optimum, dixi ei qualiter Deus mihi mandauerat, vt quo-
libet die dicerem. L. orationes, sed tot orationes graues esse ad dicendum, cum gens
conuersa nouiter non posset tantum onus quotidie tolerare: & Moyses conuersus ad
Deum, obtinuit, vt decem orationes relaxarentur: Et iterum à me rogatus, obtinuit al-
ias decem: & sic paulatim descendens omnes abstulit, præter quinque. Itaque quicum-
que quolibet die quinque orationes dixerit, remunerabitur quasi pro quinquaginta. Ma-
homath autem anno ætatis suæ quadragesimo apud Mecham frequentius morabatur &
ibidem prædicta omnia, & multa alia ridicula & nefanda sibi dicta à Gabriele Angelo mē-
tiebatur, vt populos, quos ad rebellionem concitauerat, sectæ suæ mortis funiculis colli-
garet: & vt virus malitiæ suæ occultaret, prædicabat omnibus vnum Deum. Mecha autem
40 tenebatur cultu plurium idolorum. Cognatio autem Coraxinorū conuenerunt in domū
Abutalib, qui erat patruus Machumeti, conquerentes de eo, quod eorum legem, & Deos
patrios aboleret: sed quod ipse & ipsi in suis ritibus remanerent & iam Mahomath habebat
aliquos de suis consanguineis coniuuentes.

De disceptatione legis cum Coraxinis & morte eius

CAPVT VI.

50 PRÆDICTVS autem Abutalib conuocauit Mahomath, & alios Coraxinos, super lege
& idolis querelantes, & dixit ei Abutalib: Ecce isti habent aliqua aduersum te. Maho-
math autem respondit ei: Sustine me modicum perorare. Tunc ille, non est, inquit, Deus
alius præter vnum: & recedite ab idolis, quæ hætenus coluistis. Tunc illi, manus manibus
collidentes, indignati animis, responderunt: Cur Deos nostros vis à patria extirpare, &
dixerunt: Iste homo à proposito non cessabit, & nos ritus patrios obseruemus, & tunc ab
inuicem recesserunt. Abutalib autē dixit Mahomath: Bona videtur oratio, quam dixisti
Tunc Mahomath: Dic inquit verbum quod prædicaui, & conuertere ad legem meam. A-
butalib autem respondit ei, libenter facerem, sed diceret genus nostrum, quod metu
tui & timore mortis talia proferebam. nec volo perdere gratiam propinquorum. Ex
tunc Mahomath cœpit sectam suam publice prædicare, & ad rebellionem

*alias Iohara.**f. inebriati.*

101XVI.

populos concitare, & aliquos seducebat, quia vnum Deum tantummodo prædicabat, & mentiens Gabrielem angelum ad se missum; quæ deceptis populis prædicabat, dicta sibi ab angelo afferebat: & frequenter in contemplationem inuisibilium se rapi simulans, quasi destitutus sensibus, se in terram, vt exanimem prosternebat: & stulti populi cum angelo loqui æstimabant. Demum autem quasi restitutus spiritu præcepta aliqua proferebat, quæ sub vno cõpacta capitulo* Zoara appellabat: & per tales Zoaras distinguitur liber eius, qui dicitur Alcoranus. in quo tot ignominiosas Zoaras prædicauit, quod puderet dicere, nedũ sequi: quos tamen viru diabolico* debriati, & libidine dulcorati, infelices populi receperunt, & adhuc in sua perfidia permanent obstinati, nec legem vitæ & disciplinæ desinunt infestare. Mahomath itaque fraudibus, & incurfibus, & infami doctrina corda gentium in sua pertinacia solidauit. Annis autem decem expletis, ex quo apud Damascum regni susceperat principatum, moritur, & sepultus est in inferno. Æra D C. sexagesima sexta Anno Eraclii XVI. & Suintille regis Gothorum VII.

De Abubacar, & Omar, & Moabia, & eorum praliis.

CAPVT VII.

10CLXIX.
ergo primus
annus Arabũ
est Æra 655. i.
mo 656.
Christi 617.
Regni Arabum
XIII.

Regni Arabum
XXXV.

Africa

MORTVO Mahomath, Abubacar eius gener, & contribulis in regni folio subrogatur Huius tempore Romani Persidem reliquerunt, quam Abubacar bellis in desinentibus occupauit, Æra DCLXVII. Anno Heraclii XX. anno Arabum XIII. Et incipiente anno Arabum decimoquarto mortuo Abubacar Omar in folio regni Arabũ collocatur & 20 decem annis regnauit, hic fuit rigidus, & in præliis valde constans. Hic obsedit Alexandria in Ægypto, & captam constituit sub tributo, & totam Ægyptum ditioni suæ, & sectæ subdidit Machometi: & tam de partibus Orientis, quam de partibus Africanis, triumphum victoriæ reportauit. Et dum quadam die orationi instaret, fuit à quodam suo clientulo interfectus. Post mortem Omar Autuman successit in regno & regnauit annis XI. Hic Libiti, Marmorichin, Pentapolim, Gazaniam, & Æthyopiam quæ supra Ægyptum plagis adiacent Sarracenorum, suæ sectæ, & suæ subdidit ditioni. Plurimas etiam ciuitates Persarum, quas Omar non potuerat obtinere, obtinuit, & posuit sub tributo demum à suis est interfectus. Mortuo Autuman Moabia qui & Maula, successit in regno anno XXXV. Arabum & regnauit annis XXV. sed quinque annis (quia regnum eius turbatum variauit) 30 contra suos prælia multa gessit. Post quinquennium suis sedatis feliciter rexit regnum: sed aduersus eum Constans Augustus plusquam mille naues aggregans, infeliciter transfretauit. Cum enim bellatorum discrimina inchoassent, Moabia præcedente quodam, Abdalla nomine, qui in exercitu Arabum principatum militiæ tunc tenebat, cœperunt acriter decertare: sed victus Augustus vix cum paucis per æquor aufugiens læsus euasit, & plures de suis captiuitate, & gladio ceciderunt: & Moabiæ & Abdallæ nomen & gloria accreuerunt. Abdalla autem volens victoriam ampliare, Tripolim Ægypti venit, & eam & Cidamis suæ victoriæ subiugauit: & post desolationes plurimas diuersis patriis subiugatis, & multis prouinciis domitis, & vastatis, & captiuis: plurimis in fide receptis Africam attētauit cum multis phalangibus bellatorum: cumque ex aduerso Comes Gregorius aduenisset, vtrinque fuit prælium inchoatum, sed pars Afrorum morti & fugæ penitus derelicta, 40 infeliciter est deleta: & sic omnis decor gloriæ Africanæ in Arabes est translatus. Abdalla itaque spoliis & diuitiis inclitus, cum suis cohortibus reuersus est in Ægyptum. Moabia autem peragebat decimum regni annum, qui cum vidisset in Africa prospere sibi successisse, centum millia bellatorum in obsequium Izit filio suo dedit, vt cum eis Constantiopolim festinaret: qui illam adiens, parauit obsidionem, & per totum vernum tempus bellis indefinentibus infestauit: sed quia vrbs magnificentia obsistebat, & fames, & pestis laborem impugnantium fatigabat, vrbe relicta, oppida plurima expugnarunt, & adiacentē patriam deuastarunt. & onusti prædis & diuitiis, post biennium Damascum regiam vrbe redierunt, Postea autem partes Orientales bellis indefinentibus suæ sectæ & dominio susceperunt, & expletis XXV. annis in regno naturæ debitum soluit. 50

De Izit & Maula & Abdelmelic filio eius & victoriis eorum

CAPVT VIII.

Scit. V. C. Tol.
f. VII.

Regni Arabum
LXI.

ANNO imperii Arabũ sexagesimo primo, * Izit natus Moabiæ obtinuit patris regnum & regnauit iucundissime tribus annis. Hic subdidit sectæ suæ vicinas vndique nationes, eo quod cunctis gratissimus habebatur: nunquam enim, vt moris est hominũ, regalis fastigii

fastigii gloriam appetiuit: sed curialiter cum omnibus se habebat, & communiter omnibus conuiebat: & expleto regni triennio vitam finiuit, & reliquit Maulam filium successorem Anno imperii Arabum L XI. Hic patriis moribus similis, cum ad regni fastigium peruenisset, tertiam partem tributi omnibus condonauit: qui anno dimidio in regno expleto, vitam finiuit. Post eius mortem exercitus Arabum, per quatuor fere annos, bifarie est diuisus & innumerabiles cædes Arabibus prouenerunt. Alii enim Maroan, alii Abdallam sequebantur. Sed Maroan Constantino Cæsari mille solidos auri probati & variam suppellectilem annis singulis impendebat, ut ei adiutor fieret, aut saltem non adimpediret: & quæ Arabes à Romanis euicerant, fuit præteritorum temporum captiuitas relaxata. Hoc tempore Eruigius præficitur regno Gothorum. Cumque inter Maroan incidisset, & Abdallam longa concertatio, tandem Abdalla qui fuerat princeps militiæ regis Moabiæ, & multis diuitiis, quas ab Africa tulerat, abundaret, eiecto Maroan, solus obtinuit principatum: Anno imperii Arabum LXVI. & 4. annis regnauit. Post quos Abdelmelic iunioris Maule filius, contra Abdallam Arabum regnum intentat, & fauore * patrum ad successionem debitam eleuatur Anno imperii Arabum LXX. regnauit annis XXI. Hic Abdallam æmulum suum persequens, apud Mecham Abraxædomum ut ipsi autumant, quæ est inter Archas & Carram Mesopotamiæ, interfecit. Post quod sapientissime bella ciuilia compressit. Huius anno quinto ad regnum Gothorum Egica sublimatur & iterum eius XVI. anno Vitiza in regno substituitur Egicæ patri suo. Abdelmelic autem consummatis in regno XXI. annis, vitam finiuit.

De Vlit. CAPVT IX.

ANNO autem imperii Arabum XC I. * Vlit eius filius ad regnum Arabum sublimatur. Huius quinto anno Rodericus seditionibus procuratis regnum Gothorum inuasit. Vlit autem per quatuor annos bella peragens, imperium Arabum mirabiliter dilatauit: erat enim vir magnæ prudentiæ, & in disponendis exercitibus valde cautus: & quia futurus erat virga furoris domini, in populos Hispaniæ pestilentes, diuino auxilio ferebatur, ut vicinas gentes suo imperio subiugaret, Romaniamque & multas prouincias Romanorum, vastatione assidua conculcauit. Insulas etiam & fines Indiæ domuit, deuastando ciuitates plurimas, oppida, & castella obsedit, & occupauit. In Libyæ anfractibus omnem * Mauritaniam subiugauit. In occidentis partibus regnum Gothorum antiqua soliditate firmatum obtinuit, & afflixit: quod à tempore Leonegildi per annos. CXL. pace continua fuit lætū. Hic per ducem exercitus sui Muzam, Hispanias domuit, & regni abstulit dignitatem, & constituit vectigalia. Anno imperii Vlit quarto, Muza Abennocayr, princeps militiæ Vlit regis, misit Tharic Abezarca cum exercitu citra mare, qui & Rodericum vltimum regem Gothorum bello fugauit, & Hispanias subiugauit. Demum veniens in Hispaniam Muza ciuitates plurimas occupauit, & infinitas diuitias congregauit, inter quas mensam lapideam, coloris viridis, immensæ magnitudinis, aduenit, quæ habebat CCC. LXV. pedes, & mensa & pedes ex vno lapide erant. Hæc mensa dicitur inuenta in villa quadam, quæ Arabice dicitur Medina Almeyda: Latine autem interpretatur, ciuitas mensæ: & erat iuxta montem qui adhuc hodie dicitur, Gebel culeman, & imminet burgo Sancti Iusti. Hanc Taric cum multis aliis diuitiis dedit Muze. Muza itaque Taric & Mogeit Hispanias deuastantibus, præcepto Vlit ab Hispaniis reuocantur: Cumque oporteret eos ad edictum principis festinare, Muza dimisit filium suum Abdulaziz principem citra mare, qui apud Hispalim constituit sedem suam, & fertur vxorem regis Roderici nomine Egilonem sibi in coniugem assumpsisse & ab vxore suafusus, more regum Gothorum, sibi imposuit diadema: vnde & Arabes Christianum putantes, consilio Ayubaben halib dum in oratione persisteret, occiderunt: regnauerat autem tribus annis & Ayub, eo quod erat in secta Machumeti prudentissimus, in regni solio subrogarunt: & ab isto dicitur Calatayub fuisse ædificata: & iste Curiam Arabum ab Hispania transtulit, & Cordubæ instaurauit.

De morte Muze & Vlit, & regno Zuleman & morte eius.

CAP. X.

MUZA autem cum Taric & Mogeit, ducens secum infinitam pecuniam & ex Christianis triginta millia captiuorum, & mensam viridem & plurimos lapides preciosos,

al. ciuilitat.

Arab. regni LXIII.

In V. C. L. XI.

sed LXIV. di-

xiste oportuit,

sed mox rursus

numerantur

66 additis 4.

Eruigius

Regni Arabū

LXVI.

forte, partium.

Regni Arabū

LXX.

Vitiza

alias Walis

Regni Arabū

XC I.

alias Mauri-

niam

V. C.

hodie la cuesta

de Zulema ca-

be alcala sed i-

pse Rodericus

ponit in historia

cabe medina

celi

*Regni Arabū
XCVII.*

*Regni Arabū
XCVIII.
V.C. Pergramū*

f. interfuert.

peruenit in Syriam ad regem, vbi Vlit tunc temporis residebat: sed Taric qui odium conceperat contra Muzam, præuenit Muzam & se regis conspectui præsentauit, accusans Muzam, eo quod de diuitiis Hispali plurima occultaret, & modica differebat. Cumque Muzam se regis conspectui præsentasset, male receptus cum ignominia est eiectus, priuatus potestate & honore. Demum condemnatus in mille millibus, & in decies centum millibus solidorum, & dolore vario circumseptus, vitam finiuit anno Arabum *xcvii.* & quia Ayub, de quo diximus, Muze consanguinitate aliqua attingebat Amiramomeni fecit eum à regno Hispaniæ remoueri, & Alohor filium Abderramē in regno Hispaniæ subrogauit: qui duos annos & nouem menses in regno expleuit. Vlit autem omnia prospere gerens, receptis copiis immensarum gentium, & diuitiis, quas gens misera vomuerat Hispanorum, vitæ termino consummato, cum regnasset annis *xi.* vitam finiuit. Mortuo Vlit Zuleman frater eius successit in regno Arabum anno *xcviii.* & tribus annis regnauit. Hic misso exercitu Arabum, Romaniam grauitè deuastauit. * Pergamum antiquissimam & florentissimam minoris Asiæ ciuitatem, vltimè incendio concremauit. Misit & Alohor, quem Hispaniæ præfecerat, vt Narbonensem Galliam deuastaret, & citeriorē Hispaniā, in qua Christiani aliqui rebellauerant, subiugaret, qui & prædictam Galliam & vtramque Hispaniā, vi, fraude, & deditione receptans, vectigali subdidit seruituti. Zuleman autem filius Abdelmelic, nepotes suos, filios Vlit scilicet, Omar & Izit, sibi ad regni regimen sociauit. Inter hæc Alohor Cordubā retentaui & Christianos ibidē degentes, emunctos vsque ad exinanitionē extremæ virtutis, tyrannide coarctauit. Arabes autem qui * fuerant primæ vastationi, carceris ergastulo & ciliciorum asperitate, & fame & inedia maceravit, adeo vt vermes siue pediculi in ciliciis scaturirent, & quæstionibus eos afflixit, vt absconditos thesauros reuelarent. Hoc tempore eclipsis ab hora sexta vsque ad horam nonam durauit, & stellæ, vt in tenebris apparebant. Verum quia Izit ob sanctimoniam suæ sectæ ab omnibus amabatur, & sanctissimus habebatur, Omar frater ipsius, eum in tutelam regni adsciuit. Omar autem benignitate nimia præditus, à præliis, quantum poterat, abstinebat. Tantæ enim dulcedinis & patientiæ fuit in regno, vt tantus honor ei exhiberetur, & tantæ laudis præconio effloreret: quod non solum à suis, sed & ab exteris præ cunctis principibus laudaretur. Tanta etiam Sanctimonia ei adscribitur, quanta nunquam vlli Arabum fama veridica recognouit, qui & princeps paucorum dierum vitam finiuit.

De Ixit & Ixit, & obsidione Tolosa, & principatu Ambizæ. CAPVT XI.

electorum.

*Vrbano
Euancius.*

Alia Azam.

*Azam.
Regni Arabū
CII.*

EO mortuo Ixit regni gubernacula cepit solus. Tunc quidam alius Ixit nomine, qui de genere suo erat, & apud Persas tutelam gerebat, rebellionem molitus, bella ciuilia procurauit: sed Ixit misit quendam Muzillima nomine cum infinito exercitu, vt rebellionis iniuriam edomaret, & in campis Babylonicis supra Tygrim turba rebellantium dilabatur fuga magna, & actor sceleris comprehensus veniæ referuatur. Tunc etiam in occidentis partibus multa illi prospera prouenerunt: nam Zama qui tribus annis ducatum tenuit, in Hispaniis proprio stylo descripsit vectigalia Hispanorū, & quod prius indiuisum ab Arabibus habebat: ipse partem reliquit militibus diuidendam, partem fisco de mobilibus & immobilibus assignauit, & Galliam Narbonensem diuisione simili ordinauit, & Francorū gentem bellis frequentibus stimulauit, & Narbonæ ob tuitionem patriæ * electos milites collocauit. Ipse autem bellis plurimis Tolosam veniens, obsidionis ambitu circumcinxit, & coepit eam variis machinis impugnare. Gens autem Francorum cum Eudone exercitus sui duce in obessorum auxilium superuenit. Cumque vterque exercitus cepisset acriter dimicare, Franci Zamam ducem Arabum cum parte multitudinis peremerunt, reliqui obsidione relicta se fugæ patrocínio commiserunt: & qui euaserant Abderramen super se principem elegerunt, donec principalia iussa venirent. Post idem tempus Frodoarius Accitanæ sedis Episcopus, & Urbanus Toletanæ sedis, Veteranus Melodius & Euancius eiusdem Toletanæ sedis Archidiaconus doctrina, sapientia, sanctitate in fide, spe, & charitate ad confirmandam captiuam Dei ecclesiam clari habentur. Ixit autem misit præfectum in Hispanias * Adhā filium Melic: & præcepit ei, vt ciuitates, oppida, & castella, quas primū Arabes expugnauerant subiiceret, sub tributo videlicet, vt quintam partem omnium prouentuum fisco regio soluerent annuatim: quæ autem se sponte reddiderant, decimum tantum soluerent pro tributo, & hi & illi in suis possessionibus liberi remanerent. Iste Adham pontem Cordubæ, fecit fieri anno imperii Arabum *cii.* Adham cum duobus annis & dimidio Hispaniis præfuisset & à vastatione Tirafone rediret, fuit à suis perditionaliter interfectus & Ixit Amiramomeni præfecit Hispaniæ quendam, qui dicebatur Ambiza anno regni

Regni Arabum c. III. & quatuor annis & dimidio, principatum Hispaniæ apte rexit. Gen-
 tes Francorum prælia meditando sæpius intentavit, & per directos Satrapas insequendo in-
 foeliciter decertavit, nihilominus tamen furtivis obreptionibus nonnullas eorum ciuita-
 tes & oppida stimulavit & pro huiusmodi infestationibus Gallicorum super Christianis
 vectigalia duplicavit. Cumque honorum fascibus in Hispaniis triumpharet, postremo per
 se expeditionem ingeminat contra Francos, & incursionem in eos assumpta audacia me-
 ditatur. Sed cum cœpisset cum exercitu proficisci morte prope vitam finiuit. Ipse autem
 Ambiza in ultimo constitutus, quendam qui Odra dicebatur, Consulem patriæ sibi com-
 missæ, & principem exercitus repedantis voluntate propria ordinavit. Sed Arabes in con-
 10^o tinenti Amiramomeno Ambizæ obitum nunciarunt, & Odrem pariter successionem.
 Ixit autem in continenti misit eis quendam qui Gabye dicebatur & erat filius Zalemè
 anno regni Arabum c. VII. & fuit terribilis potestator, & regnavit duobus annis & di-
 midio: Homo acris ingenii, crudelis domini, tamen Iusticiæ intendebat: nam Arabes si-
 ue Mauros, qui res pacificas abstulerant, Christianis coegit debite restaurare.

Regni Ara-
 bum 103.

Regni Ara-
 bum 107.

De Regno Hyscam. C A P. XII.

HVIUS temporibus Ixit quarto regni sui anno completo, vitam finiuit & fratrem pro-
 prium Hyscam nomine instituit successorem, tali pacto, vt filius eius proprii seminis
 Abulic nomine fratri succederet in honorem. Hyscam autem in suæ primordio potestatis,
 20^o anno regni Arabum c. VII. satis modestum & pacificum se ostendit, & regnavit annis
 XXI. & in partibus Orientis ac Romania prospere multa gessit, non personaliter, sed per
 duces, terra, & pelago destinatos. In occidentis partibus nil gessit præclarum: demum tan-
 ta cupiditate fuit illectus vt de nullo, nisi de collectione pecuniæ, cogitaret: adeo vt omnes
 reges qui eum præcellerant præcelleret in diuitiis congregatis, * vnde quia emunctionis
 iniurias nõ poterant tolerare, multæ provinciæ sibi subditæ vota sua ab eius * proposito fe-
 re per annos quatuor retraxerunt, strage plurima subsequente nec discessum huiusmodi
 potuit reformare. Provinciæ autem eius dominio subditæ, & Secta Mahometica inquinata,
 dignum est vt propriis nominibus exprimantur. Videlicet Iconia, cuius Metropolis
 Iconium, Lytria cuius metropolis Lytris, Alapia cuius metrop. ciuitas eiusdem nomi-
 nis, Chaldæa cuius metropolis, Babylon destructa, Assyria cuius metropolis, Niniue: Me-
 30^o dea cuius metrop. Ecbatanis: Hyrcania, cuius metropolis Anthiolos. Persis, cuius me-
 trop. Sufa: Mesopotamia, cuius metropolis. Aram siue Carra: Syria superior cuius me-
 tropolis, Damascus: Coeles Syria siue Phœnicia cuius metropolis. Tyrus: Syria infe-
 rior, cuius metrop. Antiochia: Iudæa, cuius metrop. Ierusalem, Ægyptus, cuius metrop.
 Alexandria, Arabia maior cuius metrop. Baldac, Æthiopia, cuius metropolis Nadauer:
 Africa, cuius metrop. Carthago: Hispania, cuius metrop. Tolerum. Has omnes provincias
 subiuugavit Secta & gladius Mahumeti: Aliquando etiam Siciliam cuius metrop. Panor-
 mum, & Calabriam, cuius antiqua metrop. Rhegium, & partem Appuliæ, & Galliam Go-
 thicâ, cuius metrop. Narbona, & Vasconias, cuius metrop. Auxis & Burdegala suæ poten-
 40^o tiæ subiuugavit. Anno itaq; regni Arabum c. XI. Hyscam vero sexto, suscepit regnum Ara-
 bum in Hispaniis Odoysa Alcayci auctoritate, à duce Africano recepta. Hic fuit vir leuita-
 te plenus, & vacuus grauitate. præ paucitate autem temporis nil dignum memoria legitur
 peregisse. Isto à regno repulso Hyscam Amiramomeni Hyemen filium Abinaze ad regi-
 men Hispaniæ destinavit, anno regni Arabum c. XI. Hyscam vero sexto, hic quinque men-
 sibus Hispanias gubernavit: Post quos vitam finiuit, & missus fuit alius, Autuman nomi-
 ne, hic per quatuor menses rexit terram. Post quem Hyscam substituit alium nomine Al-
 haytam filium Obytq; veniens in Hispaniam sigillum & auctoritatem principis, quam fe-
 rebat patenter & strenue demonstravit: & per decem menses turbidus terram rexit, &
 intellexit aliquos de Arabibus in depositione eius colloquio clandestino conspirare: vnde
 50^o & eos capiens conspirationis propositum flagellis exterfit. demum iussus ab æmulis trans-
 marinis quos pœnis afflixerat, capitibus detruncavit. Inter quos Zath Sarracenum sangui-
 ne nobilem, facundia clarum, diuersis rebus & diuitiis opulentum pœna afflictum, flagris
 illusum, colaphis, cæsum, inhumaniter flagellavit.

Regni Ara-
 bum 107.

V. C. Snum F.
 Serum.
 Proponito V. C.

Iconia.
 Iconiam.

Plinius: Toletum
 capus Carpetanorum
 vocat.

Regni Ara-
 bum 111.

De Zath & Abdalla & Abderramen & eius victoriis. C A P. XIII.

ZATH autem manus eius euadens ad petitionem gentis eorum quorum sanguinem ef-
 fuderat, inhumane Amiramomeni se cõspectibus præsentavit: & cum eo * Maranem
 mittitur Sarracenus cum relatione auctoritatis absconsa vt absque cunctatione aliqua
 F. Maranem.

Imperii Ara-
bum. 113.

preparauit.

Anabadum Epi-
scopus.

affluentis aqua
abundantia
regeritur.

vni autem c. 8.
lati presentant.

F. fruticosa.
F. fugaci.
Ab. nouentes.

Abdelrama alhaytan eiecto ad regni regimen subleuetur. Sed cum Mammen Cordubam peruenisset, Abderramen non potuit inuenire & statim Mammen Alhaytan captum carceri mancipauit: nec mora fortiter flagellatum, turpiter iudicatum, capite decaluatū, post terga manibus colligatum cathenis ferreis alligatum, ab asino deportatum per ciuitatem attractū tantis ludibriis referuatū iterum carcerali custodię deputauit, & ibi vitam finiuit. Post quem regnauit Mahomath Auenab dalla duobus mēsis quibus cōpletis Abderramen inuenitur anno imperii Arabum cxxiii. Hyscam autem nono, Abderramen vir belliger ad potestatem eligitur Hispanorum & regnauit fere tribus annis. Cumque de animositate & gloria superbiret, vnus ex Mauris Munniz nomine audiens, suos temeritate iudicium indebite aggrauari, pacem cum Francis illico procurauit, & rebellionem aduersus Arabes * procurauit: & cum esset in præliis expeditus, multi eius desiderio paruerunt: vnde & fuit status palatii conturbatus, & non multis diebus interpositis Abderramen expeditionem agitans, rebellem insequitur conturbatus & in Cerritanix oppido conclusit obsessum. Hic multorum Christianorum effudit sanguinem innocentem, & Anabadum Illustrem Episcopum virum floridæ iuuentutis incendio concremauit, & sic sanctorum sanguine crapulatus siti meruit laborare, nam quamuis oppidum Cerritanix * affluentibus aquis, rigaretur, Munniz vndique circumclusus sitis ardore præuentus, non inuenit quo aufugeret moriturus, sed vt manus euaderet persequentium desperatam animam morti offert & dum per anfractus rupium conaretur aufugere, manus persequentium non aufugit: nam dum in scissuris petrarum latebras quæreret, præcipitio animam exhalauit, ne viuus odioso principi traderetur. Nuper etiam Eudo præpositus Gallicorum huic Munniz filiam suam, causa fœderis, in coniugio copulauit: & ad suos libitus tradidit inclinandam ob persecutionem Arabum differendam, quæ simul cum oppido Cerritanix fuit capta. * Viri autem exercitus caput Munniz præcipitio iam collisum cæde secūda detruncant, & cum filia Eudonis regi suo * lato præsentatur. Abderramen autem de rebellium interitu iocundatus, vxorem eius, cum esset pulcherrima, summo regi trans maria honorifice destinauit. Tunc Abderramen victoriæ gloriam prosequi non desistens, cum vidisset terram sua multitudine esse repletam, * fretosa dissecans & montana præcalcās Rodanum etiam dissulcauit; verum cum Arelatum in multitudine exercitus obsidisset inferioris fortunæ Gallici sunt inuenti, nam fugati periculo se * nouentes sequaci victoria sunt præuenti quorum cadauera vorax Rodanus occultaui, & terra suscipiens reuelauit, sed & eorum tumuli adhuc hodie in Arelatensi cæmiterio ostenduntur.

De morte Abderramen & fuga suorum & Carolo Martello. C A P. XIII.

ABDERRAMEN autem lætus victoria, elatus potentia, ratus est Francorum patrias deuastare. Cumque annes Garonæ & Dordonix pertransisset, Eudonem, de quo diximus, inuenit ad prælium præparatum: sed infelicitate præterita comitatus, in fugam dilabatur fugitiuus, & tot ibi de eius exercitu ceciderunt quod eius numerus humanæ scientiæ occultatur. Sed cum Deus concluderit hostiis mare, & ei dixerit, hucusque venies: & vndas fluctuum hic confringes Abderramen nō à Deo sed à sua potentia extimans prouenire, proposuit interiorem Galliam penetrare, & Eudonem ducem persequi non desistēs per Petragoneam & Sanctoniam & Pictauiam ciuitates, oppida, & ecclesias deuastando & igne continuo consumendo, & Turonis ciuitatem, ecclesiam & palatia vastatione & incendio simili diruit, & consumpsit. Eudo autem, de quo diximus, ad Consulem Franciæ, & Germaniæ, nomine Carolum, virum belligerum, & rei militaris expertum fugit, infelicitatis Francorum excidia relaturus. Carolus autem dictus Martellus, Germanos & Gepidas secum ducens, cum Francis, qui remanserant, Abderramen se obtulit * deuastanti. Cumque per septem dies bellis particularibus exercitus sese impeterent, demum dispositis aciebus generali prælio dimicantes alternis cædibus seleserunt: sed gens Austrię, membrorum præeminentia valida, & gens Germana, corde & corpore præstantissima, quasi in ictu oculi, manu ferrea & pectore arduo Arabes extinxerunt: & ipsum gladio peremerunt, sicque nocte prælium dirimente ad castra sua exercitus redierunt. Mane autem diluculo apparente, viderunt Germani Arabum tentoria, vt heri fuerant ordinata, & putauerunt Arabes velle prælium restaurare & cum exploratorum officio vacua percepissent, ruerunt ad spolia & manubia diuidenda, & verentes, ne Arabes forte in stratis vel semitis insidias procurarent, Germani & Franci in patrias redierunt. Arabes autem qui euaserant per compendia ad Galliam Gothicam sunt reuersi.

deuastantis
V. C.

Germani pro
ceri.

ANNO Arabum cxi. Hyscam Amimorameni misit quendam Abdelmelich nomine, de nobili genere, qui dum in Hispaniam peruenisset, post tot clades & pericula inuenit eam opulentiam non oblitam, & bonis omnibus abundantem & quasi malogranatum augustalibus deliciis efflorentem. Ipse autem quatuor annis regnans, qui dispensator esse debuerat, inuentus est dissipator discolor & petulans, & prosperitatem patriæ reputans, inopinam flagrantis petulantiam malitiam propalauit, & patriæ iudices blandiendo [pro iure iniurias, pro pace angarias] pro regimine nocua cepit in Hispaniis exercere, ut rediuitæ plagæ angustias reparatas mordaci tyrannide renouaret, nec aliquid vtile, aliquid strenuū
 10 exercuit in patriæ vastatore: vnde cū relationem summi principis accepisset, ut Francorū insultibus obuiaret, volens iuga Pyreneica penetrare, multis suorū perditis, in planis Celtiberiæ refugus se recepit, Vox enim Christianorū quæ ad aures Domini ascendebat, cōtra tyrannum diuini iudicii sententiam impetrauit: moxq; Amiramomeni remouetur iussu, edicto, & successor ei mittitur Aucupa siue Ocha anno Arabum c. xix. Hyscam vero anno xv. & quinq; annis regnauit. Hic potestate præcelsa genealogia & legis suæ custodia ab omnibus timebatur, & Abdelmelich qui ante eum regnauerat vinculis alligauit, iudices & præpositos quos ille instituerat, condemnauit: Sectæ suæ ceremonias cogebat Arabes exacte seruare, & tributa ardue exigebat. Fiscum diuersis occasionibus augmentauit, peruersos Hispaniæ & diuersis vitiis implicatos ratibus impositos, coegit ab Hispania exulare: neminem non per Iustitiam legis proprie condemnauit. Expeditionem Francorum cum multitudine exercitus attentauit. Deinde ad Cæsaraugustam classe peruenit, vbi recepit epistolas à partibus Africanis, quod Mauri Hispaniæ ei resistere intentabant: quibus perlectis quanta potuit velocitate Cordubam remeauit, & in transductiuis promontoriis sese recepit, ibique naues ab Africa præstolatur: quibus receptis in Africam transfretauit & assumptis auxiliis continuo cisfretauit, & contradictores bifarios & rebelles, quos reperit, interfecit: Sicq; omnia disponendo sedi propriæ inclytus redonatur: qui post paululum peracto quinquennio infirmitate correptus Abdelmelich quem captum tenebat, consensu omnium restituit in regni sedem: infirmitate eius vitalia penetrante, vitam finiuit, & regnauit secundo Abdelmelich anno, Arabum c. xxiiii. Hyscam xx.

Regni Arabum 116.

Regni Arabum 119.

Regni Arabum 124.

30 De insolentiis Hyscam & infelicitate eius & de Belgi & morte Abdelmelich.

C A P. XVI.

IGITUR Hyscam iniquitatem & rabiem diu conceptam, & cupiditatis termino relaxato, coepit in suos plus solito debacchari, & insolentius se habere: vnde & gentes suæ subditi potestati in bellum prosiliunt intestinum: nam & illa vasta solitudo vnde Arabia oritur, & occidentalis plaga, & ea quæ ad meridiem extat zona, impietatem iudicum non feretes ad inuicem colligati, à suis ceruicibus iugum Arabicum excusserunt: Sed vbi rumor ad aures Hyscam peruenit, misit Cultum cum centum millibus bellatorum, quem præfecit exercitui Orientis, cum quo veniens in Africam se recepit, & definito consilio statuerunt, ut Maurorum patrias discursando & gladio feriendo ad Tingitanum pelagus properarent: sed ut Maurorum rebellio hoc percepit, pannis circumpendentibus duntaxat pudendis obtectis, nudi prosiliunt à montanis, nigri specie, crispi crine, albi dentes. Cumque ad fluuium, qui Mafan dicitur, aduenissent, vtroque exercitu ex opposito collocato, Mauri tetrum colorem equis pulchrioribus venustantes, & albis dentibus subridendo, aduersi exercitus multitudinem deterrebant: vnde & pars * Cultum & Arabici equites, & equi
 40 Egyptii cum sua & ascensorum * interneccione subito terga vertunt: & dum per deuia & fretosa cursitant transfretando absq; retinaculo vltra reparationem virium multitudo illa deperit in heremi vastitate: Sicq; omnis illa collectio Orientis & Occidentis per fugam dilapsa, vndiq; dissipatur, dum dux exercitus * Cultus nomine cum sociis territis iugulatur, & pars vna fugientium persequentium gladio præuenitur. Et pars alia vagabunda per viam qua venerat, redire cogitans trucidatur. Tertia pars quo deuenit ignoratur. Exercitus itaque rebellantium habebat super se ducem Belgi Abenben & tribus annis regnauit homo magni generis & armis exercitatus. Ille, proh dolor, in Hispanias cisfretauit: Cumq; præsensisset Abdelmelich de quo dixeram, iuit ad portum, ut portum nauibus impediret: sed vbi Mauri Hispaniæ cognouerunt Belgi volentes auxiliari cōtra Abdelmelich, ad prælium conuenerunt, & in tres partes diuisi vnam mittunt cōtra Toletum, aliam Cordubam, ut Abdelmelich interficerent in eadem. Tertiam ad portum dirigunt
 50 * Septitanum, ut reciperent nauigantes, quos Belgi in Hispaniam destinabāt, vel si forte de Arabibus qui è prælio euaserant, aduenirent in eos acriter desquarent. Sed Abdelmelich

Culdam. V. C. Intentione V. C.

Cultum. V. C.

Septitanum. V. C.

contra procedens partem illam quæ Toletum per xxvii. dies obsederat, extinctiuo gladio dissecauit: aliam partem per Almuzar Arabem, licet cum magna exercitus internecione, ense belligero refrenauit: & pars ista ad partem aliam declinavit, quæ ad portum iuerat: tertiam partem simili excidio dissipauit. Tunc Abdelmelich de tantis successibus gloriosus, epistolari alloquio Belgi admonuit, ut in pristina insula se reciperet. Belgi autem audies indignanter misit Abderramen principem militiæ ut coerceat obsistentem: qui Cordubam veniens, penetrat ciuitatem & Abdelmelich captum grauibus iudiciis, & sudibus arundinum, cruciatum demum gladio interfecit, & tanta in Oriente & Occidente ab utrisq; sunt prælia peracta quod vix lingua sufficit enarrare.

De Alulit Pulchro & Albulcatar & Thobam. C A P. XVII.

Regni Arabum
125.

ANNO Arabum cxxv. Africani & Arabes concorditer consenserunt, ut Alulit Pulcher, filius Izith, Sobrinus Hyscam in eius folio locaretur: qui regnauit annis duobus. Nec mora Doran rebellia suadente, omnes Hispania conturbatur, & anno primo Alulit, Albulcatar mittitur in Hispaniam ad iussa principalia exequenda, qui veniens extinxit scandala, & sedauit: & sollicitate commissam patriæ gubernauit, & omnes superbos Hispaniæ sub specie exercitus in Africam destinauit. Sed Hispani Arabes, per Zimacl, virum gentis suæ auctoritate præditum Albulcatar, à regni folio remouerunt. Cumq; congregari voluissent, Zimacl Celatam posuit in occulto, & dum Albulcatar fugientem sequitur Zimacl, incidit in Celatam, & hi qui cum eo erant, fuerant Zimacli coniuratione clandestina obligati. Cumq; eum in periculo reliquissent, victus succubuit, & occisus, & * Toban qui valida ad victoriam præbuerat Zimacli, ad regni folium sublimatur. Iste diuisa prælia attentauit, ad quæ se & suos infeliciter præparauit: demum dura internecione succubuit cum multitudine occisorum. Alulit autem defuncto omnes homines patriæ, Ybrahem fratrem eius in

Al. Proba.

Regni Arabum
127.

Al. Maroan.

Amiramomeninum & dominum receperunt, Anno Arabum cxxvii. Sed * Mardan vnus ex Arabibus in scandalū suscitatus dum eum cū paucis in palatio reperisset, gladio interfecit, sicq; rei huius causa intestinum discidium suscitatur, & quinquennio perdurauit Azali

Anno Arabum
128.

Thoaba. V. C.

sup. Toaba.

quodam Arabe dissensionis scandalo procurante, Anno Arabum cxxviii. Mazoan 2. qui cum Ybrahem regnauerat duobus annis * Toaba Hispanis præfecit regnans, anno vno. hic fuit vir belliger, & magni generis, sed annus vnus vitam eius & regnum finiuit. Quo defuncto ab omni senatu palatii Arabum Yuceph in Hispania mittitur ad regni regimen

Anno Arabum
129.

F. ut quos.

Sic V. C. Tolet.
F. pallentes cum
fucibus, ita ut
ad sales Verba
referantur. &
max. procedebant.

sublimatus, anno Arabum cxxix. seu incipiente xxx. Maroan vero 3. Yuceph, ut senior & longæuus ad regimen Hispaniæ sublimatur. cui non post multos dies diuersa rebellia Arabes per Hispaniam molientes plurimos occiderunt. Iste ad suggestionem residui populi, qui mortem euaserant, descriptionem publici codicis innouauit: * & quos de Christianis vectigalibus dempserat, gladius vastatorum à fisci codice demerentur. Hic licet petulcus, tamen sollicitate rexit regnum: Sexto anno regni istius hora 1. 2. & 3. omnes Cordubiæ habitantes, tres soles lucis mirificæ conspexerunt, & quasi psallentes cum fascibus igneis, & smaragdineis præcedebant ex quorum ortu angli deuastantes fines Hispaniæ, nutu Dei fame intolerabili affecerunt.

De Abdalla Benallabeci & Abderramen. C A P. XVIII.

Anno Arabum
133.

Al. Azimum

HOCTEMPORE anno Arabum cxxxiii. Abdalla Benallabeci contra Maroan, qui tumultuose, ut diximus, imperium Arabum occupauerat, manu valida attentauit. Quod Maroan cum præsentit tumultu gentium animo minoratus cum thesauris publicis à palatio fugies, ire in Libyam meditatur, ut ibi prælium rapararet. Sed Abdalla nil veritus, seniorum instinctu in sede regia se locauit, & statim post Maroan cū infinito exercitu Arabum & Persarum suum patrum Zali nomine destinauit, qui Maroan de loco in locum insequeretur. tot enim mala intulerat Sarracenis, quod nusquam receptaculum inueniret, & Nilo transiecto, cum ad locum, qui lingua eorū * Azunum dicitur, peruenisset, insecutores cū Maroan sese adeo valide iacularunt ut per binos dies ex utraq; parte plurimi cederentur: & die tertio Maroan victo, & interfecto, insequentes à gladio cessauerunt. Tunc capita magnatorum ad Abdallam dirigunt, quasi xenia præciosa, & de residuo spoliiorum remunerant bellatores, digna pace patriæ terminos disponentes, & à Mahomath vsq; ad hæc tempora cismarini, & vltamarini Arabes vnus Amiramomeni dominio regebantur: & qui de Benelabeci progenie descendebant, eos qui de Abenhumeya descenderant, à sede imperii expulerunt, cognationem eorum ad necem vsque inuestigantes, Humeya autem & Alabeci, ex duabus Mahometi procefferant filiabus: vnde & inter domos eorum diu contentio perdurauit. Alii dicunt Mahomath non nisi vnam filiā reliquisse, quæ Fatima dicebatur, & nupsit Aly abnetalep, qui scriptor fuerat Machumeti, & post Mahomath quartus regna-

10

20

30

40

50

regna-

- regnauit annis 4. & diebus 8. & ab isto & fatima duæ domus concertantium processerunt Post Mahomath Aben Alabeci cismarini ab Africano imperio discesserunt, & sedem regni Cordubæ statuerunt. Deinde particularibus dominiis excidia patrauerunt, vsq; ad tempora Almoravidum, qui sibi Hispanias subiecerunt, & fuit Monarchiæ vnitas restituta, sed & Almoades tam ab Africa quam ab Hispaniis Almorauides eiecerunt, & sibi regnum totaliter subiecerunt, vsq; ad tempora regis Fernandi: sub quo Abenfut Almoades ab Hispaniis effugauit, & fere Monarchiam obtinuit citra mare. Vnus autem Abderramen abenmeyya, qui Abderramen Adahil postea fuit dictus, clanculo in Hispanias transfretauit, & misit quempiam de clientulis, vt volūtates omnium exploraret, & inuenit quam plurimos Abderramen beneplacito inclinatos: quod cum ad Abderramen notitiam peruenisset, statim ad Hispanias cisfretauit, & continuo Malaca, * Assidona, & Hispalis eius dominio se dederunt: & Hispalim ad eum fere de omnibus Hispaniæ partibus aduenerunt, eius dominio se spondentes, & inde exercitu congregato processit contra Yuceph Halhacri, qui Cordubæ præerat, pugnaturus: & prælio inuito fugit Yuceph ad præsidium Toletanum & Abderramen interim * Belam obsedit. Tunc Yuceph furtim ingressus est præsidium Cordubense, & inde dominas tres educens, in Granate confugio se recepit: quem Abderramen insecutus, tandem in deditionem eum recepit, & cum * Abderramen Cordubam inde venit, sed culpæ conscius, sibi timens, Emeritam adiit fugitiuus: vbi fere 20. millibus hominum congregatis, terram Abderramen cœpit vastationibus laceffire, & dum incurfibus desæuaret, bellatores de Hispali & eius partibus venientes continuo fugauerunt, & ipse credens Toleti, vt in præsidio liberari, à quibus vitā sperauerat, est occisus, & incōtinenti Abderramen dominio se dederunt, & tunc regno in Hispaniis confirmato Amiramomeni statuit se vocare, Anno Arabum cXLII. Et tunc fecit obfirmari præsidium Cordubense, & hortum nobilem, qui Razapha arabice nuncupatur. Tunc vnus qui Girat Alhadra & alius, qui * Bere, & multi alii contra eum in vnum factitii surrexerunt: sed omnes cæde & prælio subiugauit, & vrbes rebelles simili dispendio coarctauit, multos suspendio, multos nece, multos gladio eliminauit. Anno autem Arabum cLXIX. cepit Cordubense Mezquitam ædificare, vt prærogatiua, opere omnes Mezquitas * Arabum superaret. Regnauit autem annis xxxiii. & mortuus est, anno Arabum cLXXI. & sepultus est in præsidio Cordubense.
- 1^o Reliquit autem xi. filios, & nouem filias.

* De Issem. C A P. XIX.

- Vnus ex filiis, Issem nomine, successit in regno. Frater autem eius dictus Zulema qui à patre successor fuerat institutus, præerat principatui Toletano. Hic cum audisset quod eum pater instituerat successorem, contra fratrem exercitum congregauit, & sibi mutuò occurrentes apud castrum, quod Bilche dicitur, acriter dimicarunt: sed Zuleman inferior est inuētus, & Issem victoria animosus, Toletum adiit, & obsessam post modicum occupauit. Zuleman autē victus & fugitiuus, Murcia se recepit, anno Arabum cLXXIII. Post hæc Issem emit à Zuleman, quicquid in Hispaniis possidebat, pro sexaginta millibus aureorum, & Zuleman relictis Hispaniis, mare trāsiens iuit in Barbariam, & quieuit Issem ab eo, & obtinuit Issem Toletum, & cætera loca, quæ Zuleman consueuerat obtinere. Similiter cum altero fratre Abdalla, interposito discidio, aliquando demū concorditer conuenerunt, vt relictis Hispaniis in Africam transfretaret, & sic duobus fratribus effugatis ab eorum scandalo in regno Hispaniæ conqueuit, & totam terram Iustitia & dilectione pacifice gubernauit, & à suis plurimum amabatur.

* De actibus Issem. C A P. XX.

- ANNO autem Arabum cLXXVII. misit quendā à suis, qui Abdelmelic dicebatur: cum magno exercitu, vt Christianorum patriā deuastaret. Hic Narbonam & Gerundam, & loca cætera interposita cepit, & subiugauit, & tot spolia secum duxit, vt in quinta parte Issem suo principi * Morbetinorum XLV. millia prouenerunt: ex quibus Mezquitam Cordubæ, quam pater suus inceperat, consummauit. Narbonenses autem, & cæteri Christiani tanto exterminio ferebantur, quod pactis concordie interiectis, vt à Narbona vsq; Cordubam humeris & vehiculis terram ferrent; ex qua in suo præsidio Mezquitam ædificauit. Construxit etiam Mezquitas alias, & veteres renouauit. Quicquid autem acquirete poterat, liberaliter diuidebat, & ita viriliter restitit Christianis, vt cum quadā vice diues quispiam pro redemptione Maurorum magnam summam pecuniæ diuisisset, vix potuit inueniri, quem redemptio liberaret, & cum suorum aliquis morte propria vitam aut gladio finiebat paternum stipendium filio, quantumlibet paruulo, erogabat, donec ætate perfectus militiæ * adscriberetur. Hic pontem constituit qui Cordubæ adhuc extat: fuerat

*Almoades.
Sede de Gothis
sup.**de Assidonn.**Alj. Belam.**V. C. Abderramen.
bium.**Anno Arabum**142.**nunc arricafa.**Al. Beie.**Anno Arabum**169.**Anno Arabum**171.**De Actibus Issem
Tolet. cod.**Anno Arabum**174.**De prognostica
mortis eius**Tolet. cod. sed
capite sequenti.**Anno Arabum**177.**Morbunorum.
cod. Tolet.**scriberetur.
V. C. Tolet.*

enim ibi pons altus, qui sub isto inferior subsistebat, & est indirectum portæ maioris, & prope præsidium, quod in lingua sua dicunt, Alcazar: & tanta diligentia pontis fabricam procurauit, quod ipse personaliter operibus assistebat, & fabricæ ordinem dirigebat.

Prognostica.
V. C.

De Prognostico moris eius. C A P. XXI.

Ad Tolet.

Anno Arabum
175.
Veremudus.

Anno Arabum
179.

TANDEM aduocauit quendam in arte Astronomiæ valde peritum, & quæ fuit ab eo, quid de regno, vita, vel eius operibus suæ artis indicio percepisset: At ille, licet timidus, minis territus, quæ perceperat, reuelauit: dicens ei, Eris præ regibus fortunatus, & manus tua opprimet inimicos, sed in regno octo annorum numerum non complebis. quod rex audiens diu tacuit: Astronomum autem remunerauit. Exinde autem cepit se virtutibus politicis exercere, & se omnibus beneficium exhibere, & pauperibus Iustitiam conseruare. Hic Galletiam deuastauit, Anno Arabum CLXXV. & in reditu obuium habuit Veremudum. Deinde, vt diximus, Narbonā obtinuit, & Gerundam, Anno Arabum CLXXVII. & plura bella exercuit cum rege Galetiarum Aldefonso, & cum quadam vice Galetiam intrauisset, Anno Arabum CLXXIX. Christiani in montanis loca deuia seruauerunt, & transitu occurrentes, pluribus captis ex Arabibus, plurimos occiderunt.

De morte Issem, & regno Alhacam. C A P. XXII.

ad. ann. 7 men.
9. di. 8.
Anno Arabum
179.

rebellauit F.
bellauit.

Anno Arabum
184.

HISSEM autem cum regnasset * annis VII. mensib. VII. diebus VII. vitam finiuit & filium suum Alhacam nomine regni substituit successorem, anno Arabum CLXXIX. & regnauit annis XXVI. mens. X. diebus XV. Hic fuit sapiens, & strenuus in agendis, & vt legis eorum ratio asserit, fortunatus, & seruorum quinque millia ad sui custodiam deputauit: tria millia de apostatis Christianis & duo millia de Euanuchis, qui secum ibant, alii præsidium obseruabant; & ipse etiam personaliter pauperes iudicabat, & maleficos inquirebat, vt compesceret delinquentes, & quod gentis illius impietas vix admittit, eleemosynas liberaliter erogabat. Cum autem fratres Issem Zuleman & Abdalla, qui à facie fratris, vt diximus, fugerant ultra mare, audissent Issem mortuum, & Alhacam filium eius in regni regimine substitutum, conati sunt regnantis initia perturbare, & fugæ infamiam festino reditu palliare, & contra nepotem vela reducia erexerunt, & in Hispaniam transfretantes, regnum nepotis inuadere præsumperunt: & Abdalla agnomine Valentinus, cum barbaris Valentie * rebellauit & Zuleman fratrem suum à Tangia accersiuit, & ambo à Valentia nepotem suum Alhacam nomine, bellis indefinentibus impetebant: demum collatis vexillis ad inuicem dimicarunt, & Zuleman inibi interfecto Abdalla fugæ opprobrio derelictus, Valentiam est reuersus. Hoc fuit anno Arabum CLXXXIII. Anno regni Alhacam V. mansit autem Abdalla Valentie prælio refrenatus & auxilio destitutus. Nepoti autem per nuntios supplicauit, vt securitatem & victualia indulgeret. Alhacam autem malitiæ iam oblitus, cōcessit ei vt Valentie moraretur, & mille aureos mense quolibet & per annum quinque millia sibi daret. Abdalla autem iam pacificus filios suos misit regi, & rex eos benigne recipiens eorum vni sororem suam matrimonio copulauit, & sic terra à præliis conqueuit.

De Rebellionem Toletanorum. C A P. XXIII.

Regni Arabum
189.

ANNO autem regni Arabum CXC. regni autem eius XVII. populus Toletanus confidēs de fortitudine ciuitatis, & in multitudine incolarū, & copia victualium rebellauit, & ei iura regalia negauerunt: quos copia, otium, & securitas fecit à dominio aberrare. Rex autem, licet familiari stimulo arctaretur, sustinuit patienter, & scelus scelere studuit callide vindicare, & vocauit Ambroz, quem Osee præfecerat, & CasarAugustæ: & erat carus & fauorabilis Toletanis. Regi autē Alhacam semper extiterat vtilis, & fidelis. Hunc misit Tolerum cum epistolis suasiis, quæ talia continebant: Cum misissem aliquos qui mea negotia procurarent, & vos in deuotione regia conseruarent, intellexi eos vos stultis operibus prouocasse, & regia negotia minorata. Nunc autem mitto vobis Ambroz, qui vestris beneplacitis condescendet: cum sit vester amicus, & contribulis: Quem ipsi cum gaudio receperunt, & ad sua consilia admiserunt, & diebus aliquot interiectis promisit eis rebellionis participem velle esse, & præter regium præsidium aliud in ciuitatis medio se facturum, vt ibi regis familiares secum haberet, ne possent in populum malignari: & statuerunt ei locum in monte vbi Ecclesia sancti Christophori nunc est sita, & præcepit suis, vt domus circa idem præsidium fabricarent & eductione terræ ad parietes erigendos ex industria in medio præsidii profunda voragine foueam dilatauit, & ommissis præsidiis ciuitatis in isto statuit mansionem & placuit regi, sciens hoc ex industria procuratum.

TUNC Rex Alhacam mandauit his qui tabernaculorum castris vel ciuitatibus morabantur, vt à Rege auxilia implorarent, quia Christianorum incurſibus grauabantur & per ſe vel per alios ſuccurreret impugnatis. & hæc relatio venit Toletum, & ad cæteras ciuitates. Rex autem præcepit vndique exercitus congregari, & miſit cum eis filium ſuum Abderramen, & etiam de maioribus ſeniorum, vt adoleſcentem, qui XIII. agebat annum, in conſiliis cuſtodirent. Cumq; veniſſet Toletum caſtrametatus eſt ab Oriente, & continuo venit nuncius, qui treugam firmauerat cum Christianis, & dimiſſo exercitu quod redirent. Ambroz autem vt fuerant facta cuncta percipiens Toletanis ſuaſit, quod Abderramen inſtantiffime ſupplicarent, vt eorum ciuitatem ingredi dignaretur: qui tandem precibus vix coactus, annuit poſtulis. Ingreſſus itaque, in præſidio Ambroz voluit hoſpitari, vt inueniretur. communior quaſi in medio ciuitatis, & vt apud eos gratioſior haberetur. De conſilio Ambroz potiores vrbs fecit ad conuiuium inuitari, & ſolemniſſimis epulis inſtauratis, cum veniſſent, qui fuerant inuitati, ſpiculatores cum enſibus præparati ingredientiſſimos hoſpites capitibus mutilabant, & retentis capitibus equitatos per oppoſitum hoſtium dimittebant, ſanguine in voragine foueæ elicatus. Cumq; quiſpiam vaporem ſanguinis aſcendentem odoratu narium percepiffet, & non ex carniſſis, vel vapore conuiuii inualere, quaſiuit de his qui introierant, quidnam eſſet, & reſponſo accepto, quod in epularum ſedibus diſcumbebant, odore ſanguinis ſtimulatus, factionis interitum promulgauit: quia fere ſuccubuerant quinq; millia occiſorum. Populus autem deiectis animis conſternatus, Alhacam & Abderramen ſeruituti capita ſubiecerunt, & rebellionis opprobrium conſuſione debita ſuſtulerunt, & hoc fuit anno cxc. Arabum.

De victorijs Alhacam, & morte eius. C A P. XXV.

POST hæc actis ſœlicibus eleuatus, miſit quendam de ſuis magnatibus Abdelcarim nomine, cum ſuo exercitu Calaguriam. Abdelcarim autem cum aliquandiu obſediſſet Calaguriam, & cum vſque ad mare emiſſis phalangibus plurima deuſtaſſet, cum prædæ gloria copioſa in mittendis dominium eſt reuerſus, Anno Arabum cc. regni autem Alhacam XXIII. Poſtea anno Arabum ccii. Arabes de ſuburbio Cordubenſi. inceperunt contra Alhacam dominum rebellare, quia diuitiſſis & delitiſſis eleuati iugum domini abhorrebant. Alhacam autem rebellionem adueniens, cum Abdelcarim, qui ſtrenuitate militiæ erat carus, per portam, quæ noua dicitur, ciuitatem ingreſſus eſt Cordubenſi. & rebellium indebitam factionem cæde & ſuſpendio domuit, & ſedauit: & iuxta portam, quæ pontis dicitur, in ripa fluminis ccc. & amplius inſurcauit: Qui autem potuerunt euadere, fugæ ſubſidium elegerunt. Rex autem ſolita pietate decreuit * rebus, paruulis, & mulieribus indulgendum. Hic Alhacam fuit ſtrenuus in agendis, & rebelles compeſcuit, vi bellorum. Dum autem bella cum ſuis patruis exerceret Christiani Barchinonam acquiſierunt, & Arabes vaſtationes & incendia ſunt perpeſſi: Cumque Alhacam ſedatis ſuorum diſſidijs ad recuperandas terras quas amiſerat, ſe pararet, mortis imperio eſt præuentus, Anno Arabum ccvi. regni ſui xxvii. reliquit filios xix. filias autem xxi.

De regno Abderramen & Nauibus aduentantibus. C A P. XXVI.

POST Alhacam regnauit filius eius Abderramen. xli. annorum erat cum regnare cepiſſet, & xxxi. annis regnauit, & ſeniores Curia fratres Abderramen. & conſanguineos conuocauit, qui venientes libenter noui regis dominium receperunt. Abdalla autem qui Valentia, vt diximus, morabatur, vt olim fecerat, rebellauit, ſed Abderramen continuo exercitum congregauit. Abdalla vero fugam iniiit, veritus expectare, & poſt fugam paucis diebus interpoſitis exſpirauit. Tunc Abderramen vxores & filios Abdalle fecit ad ſe adduci, & eis in neceſſariis liberaliter prouideri, & ex tunc apud Arabes parentibus filii ſucceſſerunt. nam antea fratres conſanguinei vel propinqui, & etiam de alio genere ſucceſſebant, & fuit Abderramen plurimum fortunatus, vt gentis eius * geneatici dogmatizant. Hic Barchinonam nuper Christianis obtentam, per Abdelcarim ſuum principem ſubiugauit, & terras alias quas Christiani tempore ſchiſmatis occupauerat. Ipſe etiam per ſe plurima bella geſſit, Anno autem Arabum ccxxix. regni autem eius xxiii. nunciatum eſt ei liiii. * Galeas in Vlixbonæ littore * appuliſſe, & Abderramen reſcripſit eis, vt prout poſſent, ſui cuſtodia prouiderent. Sequenti anno plures naues & maior potentia Hiſpalenſi littori aduenerunt, & diebus xlii. Hiſpalim obſederunt, & congreſſus cum Arabibus habuerunt, & pluribus interfectis captiuos & ſpolia plurima abduxerunt: inde Zelziram,

Regni Arabum
200. & 202.forte ſenibus
aut rebus i. ſu-
cultatibus.Regni Arabum
206.ſub hoc dicitur
Eulogio.pro geneſi
et ſup. cap. 1.F. Galeras.
V. C. applicaſſe.

forte alhadra
ut fol. seq.

Cadiz, & Assidonam, cum suis classibus adierunt, & confectis præliis, pluries cum Arabibus pugnaverunt, & terras eorum cæde & incendio vastauerunt, & prædas multiples abduxerunt, & iterum Hispalim sunt reuersi, & transferunt *Ingelzira captel, & impugnatam tribus diebus, eductis spoliis incenderunt. Deinde per hortos & vineas, & terminos Hispali transeuntes, omnia vastauerunt, Arabes occidentes, & quæq; vtilia secum ferentes. Deinde mane Hispalim venientes, congressum cum Arabibus habuerunt, in quibus tot de Arabibus occidebant, quod vix posset industrius numerare, & Arabes ab vtraq; vrbis facie effugati, vix vitæ relicti ad muri ambitum confugerunt; gentes autem, qui nauigio venerant, ciuitatem per diem & noctem grauer affligerunt, & sequenti die ad stationem nauium redierunt cum multitudine spoliiorum, quæ ab suburbio & suburbanis iuxta vortum qui-
libet abducebat. Cumq; ad Abderramē rumor huiusmodi peruenisset, fecit magnum exercitum congregari, quem in auxilium Hispalens. destinauit, & venientes cum gentibus nauium commiserunt. Sed nec hi, nec illi, vincere potuerunt. Gentes autem in villam quæ tablata dicitur, prope Hispalim intrauerunt: & Arabes eos machinis impugnantibus à tablata egredi compulerunt, & in conflictu vsq; ad cccc. amiserunt. Ipsi autem diebus aliquot ibi commorantes confinia Hispalens. vastauerunt & cum audissent quod Abderramen xv. naues & exercitum alium in eorum externum destinaret, reuersi sunt Vlixbonam & exinde cum aliis, qui illuc aduenerant, ad propria remearunt.

De morte Abderramen & regno Mahomath. C A P. XXVII.

Anno Ara-
bum 236.

Regni Ara-
bum 238.

Ranimirus.

Ordonius.

Regni Arabum
240.

Gallecia.

Celes.

ANNO Arabum CCXXXVI. regni autem sui xxx. præcepit plateas Cordubæ pavimento solidari lapideo, & aqua à montanis plumbeis, fistulis deriuari & fontes iuxta Mezquitam, & iuxta præsidium, & in aliis locis eductione nobili emanare. Et cum hæc fecisset, mortuus est Abderramen, anno Arabum CCXXXVII. incipiente anno regni sui xxxii. & reliquit XLV. filios, & XLII. filias. Anno Arabum CCXXXVIII. Mahomath filius Abderramen, successit in regno, eo anno mortuus est Ranimirus, filius Veremundi, rex Galetia, & filius eius Ordonius successit in regno, & regnavit annis xxxv. Anno Arabum CCXL. regni autem Mahomath 2. Toletani contra Mahomath dominum rebellarunt, & Ordonium qui in Asturiis & Gallitia tunc regnabat, in adiutorium vocauerunt qui misit eis Germanum suum cum multitudine Asturum, & Nauarrorum. Tunc Mahomath collecto exercitu iuit Toletum, & cum propior esset vrbi, in alveo qui Celet dicitur insidias occultauit, & cum ad ciuitatem propius accessisset, spiculatores exterius positi, venire cum paucis bellatoribus existimarunt: quod cum Christianis & ciuibus intimassent contra eum volentes congregari, exierunt, & cum prælium inchoassent, insidiæ, quæ latuerant, accurrerunt, & succubuerunt cum suis complicibus Toletani, & de Christianis vsque ad octo millia; de Toletanis vsque ad xii. millia perierunt, & fecit rex Mahomath multa capita detruncari, quæ Cordubam, & ad maritima, & in Africam pro victrici gloria destinauit. Sequenti anno Calatrauam, Talaueram, & Curitam, multis militibus stabiliuit, vt Toletum & eius confinia infestarent, & tertio anno misit Almondar, germanum suum cum exercitu copioso, qui circa Toletum residens, messes, & fructus, & vindemias penitus deuastrauit. Post cuius recessum, Toletani Talaueram inuadere præsumperunt, sed egressus princeps qui præerat Talaueræ venientes congressu obui debellauit, & pluribus captis & interfectis, vsque ad dcc. capita occisorum regi Cordubam destinauit. Sequenti anno rex personaliter super Toletum exercitum congregauit, & eam obsidens pontem præcipitavit, & multi de ciuibus qui pontem ascenderant, defensuri cum *pontis præcipitio corruerunt ex quo fuit populus Toletanus, valde animo consternatus. Anno autem septimo regni sui, cum iterum exercitum congregasset, Toletani incolæ Mahomath potentiam non ferentes, se eius dominio reddiderunt, qui eos benigne recipiens pacem dedit, anno Arabum cc. XLV. anno VII. regni eius.

Pons dirutus.

Regni Ara-
bum 240.

Regni Ara-
bum 241.

Fortunius
Lomgatus.

De nauibus Normannorum. C A P. XXVIII.

EODEM anno LX. naues à Normannia aduenerunt, & Gelzirat, Alhadra, & Mezquitas, vndq; deductis spoliis, cæde & incendio consumpserunt: deinde in Africam processerunt, vbi exterminia graua exercuerunt, & reuersi in maritimis Hispaniæ hyemarunt, & in vere ad propria redierunt. Sequenti anno rex Mahomath contra Nauarros exercitum adunauit, & circa Pampilonam messes & vindemias deuastrauit: & obtinuit tria castra, in quorum vno inuenit militem, qui *Fortunius dicebatur: quem captum Cordubam secum duxit, & elapsis 20. annis suæ domui restituit cum multis iunioribus liberatum: & vixit hic Fortunius cxxvi. annis. Sequenti anno filium suum Almondar cum exercitu contra Alauam destinauit, qui Christianos crudeliter debellauit, & multa eorum capita Cordubam

dubam deportauit. Sequenti anno Emerita rebellauit, cui adueniens fecit destrui arcum pontis, & ciues deditioi se offerentes, milites eum filiis & vxoribus obtulerunt, vt obfides Cordubam duceretur: quod rex annuens fecit destrui muros vrbis: præter præfidium, quod suis bellatoribus inuestiuit.

Item de rebellione Toletanorum, morte Mahomath & regno Almondar.

C A P. XXIX.

ANNO Arabum ccl. septimo regni eius, Toletani iterum rebellarunt, & quendam, qui Mahomath Auenlop dicebatur, super se regem & principem statuerunt, & rex Mahomath, filius Abderramen, duxit exercitum super eos: sed ipsi animis minorati se mandatis eius, datis obsidibus, obtulerunt, quod rex acceptans præcepit obsides Cordubæ custodiri, & hic secundo accepit obsides à Toletanis anno cclxvi. præcepit Rex naues fieri Cordubæ, Hispali, & in aliis locis, vbi lignorum materia abundabant. Audierat enim in Galleria ciuitates, & oppida, pagos, & villas, quæ nullo murorum ambitu clauderentur; & nauigio instaurato, præfecit eis quendam, qui Abdelhamit dicebatur: sed fractis nauibus in contrario tempestatis naues & homines totaliter perierunt. Abdelhamit cum paucissimis vix euasit, Anno cclxvii. fuit terræmotus in tota Hispania generalis, & cum Rex Mahomath federet in Mezcoriguscationes, & lampades turbatum populū deterrebant. Anno autem Arabum cclxxiii. mortuus est Mahomath, ætatis suæ anno lx. regni autem xxxv. qui regnum suum humane & prouide gubernauit, & dum quodam die per regale viridarium perambularet, miles quidam de astantibus, dixit ei: Quam pulchrum viridarium, quam pulchra dies, quæ dulce sæculum, si mortis sententia non veniret. Tunc rex inquit, Erras in verbo, Quia, si mors non esset, ego nullatenus hic regnarem. Reliquit autem xxxiiii. filios, & xx. filias. Eo mortuo anno Arabum, quo supra, filius eius Almondar apud Alhamam degebat, quæ Almeriæ balnearia nuncupatur: & audito patris discessu, Cordubam festinauit, & mox eum ad regni solium sublimarunt, anno ætatis suæ xliii. & cum esset liberalis, in principio regni sui Cordubens. decimas relaxauit: sed immemores beneficii contra eum continuo rebellarunt. ipse autem agens exercitum vitam finiuit, cum regnasset fere duobus annis, & reliquit sex filios, & septem filias.

De regno Abdalla. C A P. XXX.

ANNO autem Arabum cclxxv. exercitus germanum suum Abdallā fratri mortuo subrogarunt, qui noua gloria inclytatus, ab omnibus, etiam Cordubens. est receptus, & fratrem suū Cordubæ honorifice sepeliuit, Regnauit autem annis xxv. diebus xv. Sequenti anno contra eum Homar haben habzon, vnus de principibus rebellauit, & cum eo contra regem gentes plurimæ surrexerunt. Stepa, & Vlixbona, & alia multa castra similiter rebellauerat, inclinauit, & rex Abdalla petenti veniam concessit. Hispali autem, quæ similiter rebellauerat, in se bellis ciuilibus excitatis, se mutuo sanguine cruentarunt: & qui in Hispali totale dominium est adeptus. Homar autem haben habzon pro facilitate veniæ eleuatus iterum rebellauit, & Giennium veniens, præsidii principem interfecit, & procedens per oppida & castella eiusdem officii principes factione simili decollauit: & rex Abdalla adeo eum fuit variis incurfibus infecutus, quod coactus fuit, etsi non animo, fide saltem profiteri. Rex autem Abdalla, præcepit Loxæ præsidium obfirmari, & cum magnis & minoribus æquo iudicio iustitiam exhiberet, apud Cordubam vitam finiuit, anno ætatis suæ lxxii. Regni autem xxv. Sepultus est autem in præsidio Cordubensi, & filios XI. & XIII. filias reliquit.

De regno Abderramen, & Albacam. C A P. XXXI.

MORTVO Abdalla, nepos eius Abderramen, filius Mahomath, filii Abdallæ, successit in regno: & non successit aliquis filiorum, quod in præteritis non inuenitur. xxiiii. annorum & quinque mensium erat, cum regnare cœpisset, anno Arabum ccc. & l. annis regnauit, & fecit mutato nomine se vocari * Almanzor ledinele quod interpretatur, defensor legis Dei, & fecit se communi nomine appellari Amiramoni. quod, rex creditum, interpretatur. Hic fuit rex potens, & honoratus, & gentes suas iustitia, & iudicio gubernauit: & quia dissensio erat inter domum Abenhumeye & domum Abelabeci, qui nepotes

fuerant Machometi, vixerat locus, quem schismata non vexarent: ipse autem quosdam pace; quosdam terroribus reconcilians, vt pacifice viuerent procurauit: & quosdam rebelles bellis & incurfibus sic afflixit, vt federent solitarii, & tacerent, & per 20. annorum spacium à bellis & exercitibus non cessauit, donec tota terra sub suo dominio complanata, omnes ei vnanimiter subfuerunt. Hic præcepit ædificare castrum prope Cordubam, quod hodie adhuc extat, & nauigio *Septe adueniens, obtinuit ciuitatem, & de suis in ea principem stabiliuit. Præterea Cordubens. Mezquitam, & multas alias adornauit, & opera regalia dilatauit. Mortuus est autē anno ætatis suæ LXXIII. regni vero L. Anno Arabum CCCL. Alhacam, filius prædicti Abderramen, patri suo successit in regno, & imposuerunt ei nomen *Almuztar bille quod interpretatur, defendēs se cum Deo: & regnauit annis XVI. & duobus mensibus. Hic inuenit terram à patre suo pacifice complanatam, quam & ipse paterno moderamine cōseruauit: nec necesse habuit bellis vel exercitibus exerceri. Mortuus est autem anno ætatis suæ LXIII. regni autem XVI.

De Issem & de eius Alhagib Almanzor & Abdelmelich. C A P. XXXII.

Regni Arabum 366.

ANNO Arabum CCCLXVI. Issem filius Alhacā, patri suo successit in regno. Decem annorum erat & octo mensium, cum regnare cœpisset, & regnauit prima vice annis XXXIII. mensibus quatuor, & imposuit sibi nomen Almuhayat bille quod interpretatur Nitens cum Deo: & cum esset puer, datus est ei à suis principibus coadiutor, vir strenuus, industrius, atq; prudens; qui Mahomat ibne Abenhamir proprio nomine dicebatur, nunc autem dictus fuit Alhagib, quod interpretatur, Vicerex. Postea autem, quia fere semper in præliis fuit victor, Almanzor fuit appellatus, quod defensor interpretatur: & licet multi pro hac potentia laborassent, ipse consensu omnium omnibus est prælatus, & sic ad se totius regni negotia recollegit, vt rex Issem tantum regali nomine præmineret, & nomen Issem in moneta, & pannis, & epigrammatibus & epitaphiis ponebatur, & fiebat oratio super eū, & expers potentię agebatur, & quasi clausus in præsidio Cordubensi quidnam fieret ignorabat: nec accessum alicuius permittebant, nisi quod tantum omnibus dicebatur: Ista præcepit vobis Issem. & talibus internunciis credebatur, & cum Almanzor cū exercitu recedebat, custodes regis custodię deputati, sic eius *exercitum obseruabant, vt cū ad regale viridarium equitaret, nullus esset eius auribus appropinquans, nec ausus cum clamore aliquo propulsare, & sic vxorum contuberniis interceptus, reputabat sibi pro regni dominio satisfactum, & durauit Almanzor huius regiminis potentatus annis XXVI. & in isto annorum spacio quinquagesies & bis exercitum Christianorum finibus super duxit, & eos multis afflictionibus coartauit; & suis adeo fuit carus, quod sepe voluerunt ei concedere regni thronum, sed ipse nunquam voluit Issem priuare. Et cum quadam vice Castellæ terminos deuastrasset, & hyemali instantia proponeret remeare Christiani in montium transitu restiterunt, quos asperitas niuium adiuuabat, & ipse intelligens transitum præpeditū, in planitie castra fixit, & cum bobus prædæ aratra instaurauit, semina terræ mandans. Interim autem tot incurfibus, & tot cędibus Christianorum patrias deuastrauit, vt cogerentur hostibus supplicare, & impeditum transitum expedire, vt Almanzor exercitus pertransiret, & etiam pro agricultura & semine precium obtulerunt: quod Almanzor non necessitate, sed pietatis clementia acceptauit: & sic Cordobā est reuersus. Cætera quæ in finibus Christianorum perpetravit superius in historia Gothica disserui diligenter, sub rubrica, De insolentiis * Verēmudi & victoriis Almanzori. Fuit autem factus Alhagib anno Arabum CCC. LXVII. & præfuit annis XXVI. Mortuus est autem anno Arabum CCC. XCIII. prælationis suæ XXVI. Cui successit anno, quo supra filius Abdelmelich cognominatus Almodofar, & sex annis & octo mensibus tenuit regiminis principatum. Sicut tenuerat pater eius, & anno sequenti cum super Legionem exercitum congregasset, à Christianis turpiter effugatus, turpius est reuersus, nec adiecit ultra inuadere Christianos: Sed regni negotia vtiliter dirigebat. Mortuus est autem anno Arabum CCC. & sui regiminis VI. Huic successit frater eius Abderramē, qui derisorie Sanciulus dicebatur. Hic pessimus & peruersus, fornicationibus, & ebrietatib. insistebat, & * Issem à regno expellere nitentibus, mortem minitans, nisi eum regui institueret successorem, qui metu annuit postulanti. Cum autem Abderramen quatuor mensibus & dimidio præfuisset, eum ob suam nequitiam peremerunt. Hucusq; Issem regnauerat annis XXXIII.

De intestinis discidiis super Regimine principatus C A P. XXXIII.

Obtinuit Ibis pro cepit vel Scythoriam est consecutus concise.

IGITUR Abderramen, vt diximus, interfecto, cœperunt vbiq; contra Issem rebellia procurari. Primus autem fuit quidam qui Mahomath Almahadi dicebatur, & Cordubæ cum

Cum **XI**. complicibus insurrexit, & sumptis armis præsidium occupauit, & **Issem** captum in domo cuiusdam sui complicitis occultauit, & eum mortuum omnibus publicauit, & quædam Christianum, **Issem** simillimum, interfecit, quem mortuum senioribus, & aliis demonstra-
 uit, & decepti similitudine, crediderunt, & statim honore Regio sepelierunt. **Mahomath** autem **Almahadi** iniuriose circa populum se gerebat, & eorum vxores ludibrio prouoca-
 bat, & quia circa **Issem** taliter se habuerat, eum odire & persequi inceperunt, & propter
 alia, quæ subditis inferebat vnde & seditiones vndique fuerunt ortæ, & surrexit quidam,
 qui **Issem** **Araxit** dicebatur, & cum **Almahadi** quadam die cum suo exercitu **Cordubam**
 egrederetur, illi qui erant in ciuitate cum prædicto **Issem** **Araxit** coniurarunt, & multos de
 fautoribus **Almahadi** occiderunt. Sequenti die contra **Almahadi** egressi sunt ciuitatem, &
 cum aliquandiu conflixissent, obtinuit **Almahadi**, & multos ex eis cepit, & aliquos inter-
 fecit, & de prodicione reputans, **Issem** & multos alios capitali sententia cõdemnauit. Tunc
 quidam de **Barberia**, nepotem **Issem**, qui **Zuleman** dicebatur, super se principem leuaue-
 runt, & extra **Cordubam** peragrabant. Verum quædam pars eorum de **Barberia** iussi sunt
 sibi præficere **Marhuan** consobrinum **Zuleme**, & dederunt ei equum & enses, vt si **Zu-**
leman interficeret statim constitueret eum regem. * Quod cum **Zuleman** per quempiam
 percepisset, illos barbaros fecit decapitari, & consobrinum suum **Marhuam** in vinculis
 detineri, & treugam cum **Sancio** filio **Comitis Garciz Fernandi**, **Castellæ** comite obfir-
 mauit. Postmodum pecunia magna data eum contra **Almahadi** in adiutorium euocauit.

De aduentu Comitis Sancii in auxilium Zuleme, & de victoria habita contra Almahadi.

C A P. XXXIIII.

COMES autem **Sancius** cum magno exercitu veniens factus est **Zuleme** in adiutorium
Almahadi autem cum audisset **Zuleman** cum **Comite Sancio** aduenire, de **Medina**
cælim, & aliis locis, quos potuit, conuocauit. Erat autem **Alhagib** **Almahadi** quidam, qui
Alhameri vocabatur. Qui autem erant in ciuitate contrauentem exercitum aggredi
 proponentes, vt faciliorem exitum præpararent fossata in circuitu repleuerant, quamuis
Almahadi, ne hoc facerent prohiberet. Cumque extra urbem veniente exercitu commi-
 sissent, **Zuleman** obtinuit, instante fortiter exercitu **Comitis Sancii**, & cæsa fuerunt ex
 parte **Almahadi** vsque ad xxxv. millia **Sarracenorum** & **Christiani** suburbium inuaden-
 tes, abductis spoliis & interfectis plurimis, & pluribus captiuatis, cætera vastauerunt.
 Et cum vidisset **Alhagib** **Alhameri** tantum excidium suæ partis, vocatis qui de **Medina**
cælim aduenerant, in eadem **Medina** cum fugæ comitibus se recepit. **Almahadi** autem fugit
 ad præsidium ciuitatis **Zuleman**, cum **Christianorum** exercitu, urbem exterius obsiden-
 te: Tunc **Almahadi** eduxit **Issem** regem, quem olim mortuum simularat, & ostendit eum
 omnibus manifeste suadens, vt eum in regem reciperent, potius quam **Zuleman**: sed tan-
 tis terror inuaserat audientes, quod nulla suasio poterat demulcere, Et **Almahadi** iam de-
 sperans abscondit se in domo cuiusdam **Arabis**, qui **Mahomath Toletanus** dicebatur, & inde
 cum eodem **Arabe** **Toletum** fugit. **Zuleman** autem ingressus est **Cordubam** violenter, &
 præsidium occupauit, & in regali **Solio** se locauit & mensibus septem regnauit. Hoc bel-
 lum fuit apud **Arabes** nominatum, & dicitur victoria de **Cantiche**. **Zuleman** autem de
Cordubensibus non confidens, egressus est ciuitatem, & in vicinis locis morabatur cum
 exercitu **Christiano**. Cumq; quadam die ad regem seniores **Cordubæ** exiissent, **Comes**
Sancius dixit eis: Quomodo huc existis: tria enim stultitiæ signa in exitu præstendistis, vnũ,
 quia timidi eo quod in primo congressu, complures essetis, terga dedistis. Secundo, quod
 securitate non habita accessistis. Tertio quia in Deum grauiter peccastis, cum vxores ve-
 stras & filios homines legis vestræ quos gladio cepimus in seruos emere voluistis. Et mira-
 ti sunt vniuersi super prudentia **Comitis Sancii**. Cumq; **Zuleman** verbis & muneribus ci-
 uium animos complanasset, & in ciuitate tutius resideret, quidam barbarus suasit ei, vt per-
 mitteret eos occidere **Christianos** ne forte, vt ei adhæserant, alii regi adhærerent, & ei
 cederet in periculum & iacturam, præsertim cum prædis **Arabum** locupletes, de cætero
 familia assuescerent. Cui **Zuleman**, in securitatem mex fidei aduenerunt, & ideo nunquam
 hoc facinus perpetrabo, & timens **Zulema**, ne eis fieret quicquam mali datis muneribus
 licentiam tribuit redeundi. At illi cum multis diuitiis reuersi sunt in **Castellam**.

V. C. Castellæ.

Quod Almahadi denicit Zuleman, & obtinuit regnum eius.

C A P. XXXV.

PAUCIS autem diebus interpositis, **Alhagib** **Alhameri** plures ex plurib. partib. congregauit,
 & etiã **Christianos** & duos magnates, quorum vnus **Armongandus**, alter dictus est **Vere** v. c.

mudus, & veniens ad Almahadi, qui tunc temporis Toleti degebat, & procurato exercitū ampliori contra Cordubā processerunt. Quod cū Zulemē innotuisset, Cordubenses sollicitavit, ut cum eo occurrerent venienti, sed ipsi factionis solitæ non obliti, se causis friuolis excusarūt. * Barbarii autē regi dixerunt pro Cordubensib. Non formides, quia nos tibi usq; ad mortem strenue, & viriliter assistemus. Tunc Zuleman de eorum promissione confusus occurrit Almahadi contrario aduentanti, & procedens fixit tentoria in loco qui * Accauatal bacar nominatur, qui distat à Corduba decē leucis, & antequā Almahadi exercitus resedisset, in eum barbarii irruerunt, & ex eis multa millia occiderūt, adeo quod succubuisse Almahadi exercitus videretur: sed resumptis viribus prælium restaurarunt, & instantibus Christianis, succubuit pars Zuleman & Zuleman cedens hostibus, fugit ad Acafram, in qua fuerat aliquandiu demoratus, & sumpta supellectili, quæ potuit asportari, Citanam abiit fugitiuus, Cordubenses autem Acafram communiter inuasērunt, & eos qui non fugerant, peremerunt, & cætera rapuerunt, & in ciuitate quicquid Barbaricorum fuerat, occuparunt & à Mezquita maiori lampades aureas, & coronas, catheras, & omnia alia ornamenta vestes & libros, quæ omnia Barbarii dimiserant, abduxerunt: & hoc bellum apud Arabes adhuc hodie est famosum, actum anno Arabum cccc. iiii. & fertur Almahadi in exercitu habuisse xxx. millia Sarracenorum, & ix. millia Christianorum, & inde Cordubam veniens, in regem ab omnibus est receptus, & Issēm, qui rex fuerat, & etiam obediuit & quia Alhagib Alhameri felicitatem huiusmodi procurarat, suo officio restitutus, omnia disponebat. Almahadi autem solo nomine præsidebat.

F. Barbarii vbi que legend. Nunc albacar. 4. leucis distat à Cordoba.

Regni Arabum 404.

De proditione Eunuchorum, & morte Almahadi. C A P. XXXVI.

ET cum in regem fuisset receptus, recepit nuncios Arabum & Eunuchorum quod eius fierent, si vellet offensas præteritas indulgere, & audita relatione hilarior est effectus, & datis muneribus & petitione admissa, dimisit eos: qui post paucos dies Cordubam venientes cœperunt turbare incolas ciuitatis. Erat autem cum eo Raymundus quidam Comes Christianus, non ille qui fuit pater Imperatoris; qui notans scandala, & quod rex fretus Barbariis & eunuchis, ciuium pecunias auferebat, & quod erga ciues insolentius se habebat, præsertim cum à quopiā audiuisset, quod sicut Cordubenses barbarios extinxissent, sic conarentur Christianos & Comitem demoliri: & à rege accepta licentia, quia iam pacta inita compleuisset, licentiatus à rege ad propria feliciter est reuersus. Rex autem cœpit fossatis circumdare ciuitatem, pacto cum ciuibus inito, ut ipse tertiam partem ciuitatis, ciues residuum consummarent. Interim autem Barbarii, qui à cæde superstites remanserūt, ciuitates & villas vndique infestabant, adeo quod plures fuerunt habitatoribus destitutæ. Arabes autem & Eunuchi, qui à Citana venerant, consilium inierunt, ut Almahadi interficerent & restituerent Issēm olim regem, & hoc consilium Alhagib Alhameri communicarunt. In die autem Paschæ eorum miserunt quendam Eunuchum, hambar nomine, & cum eo alios Eunuchos, qui regale præsidium occuparent, & captum Almahadi tenuerūt & educentes Issēm, olim regem, in regali folio locauerunt, & ei Almahadi captum præsentauerunt, & dixit ei: Tu es proditor Dei & mei, quia Sarracenos interficere procurasti, & bona eorum amitti fecisti, & prodiones sæpius tractasti: & fecit eum per Alguazilum statim decapitari, & reseruato capite, mandauit corpus à muro in plateam præcipitari, & Eunuchi, & alii frustatim dilacerantes, & in corpus exanime lanceas defigebāt. Caput autem fecit per totam ciuitatem in lancea deportari, quod erat iucundum fere omnibus intueri, eo quod eius iniurias recolebant: & post triduum quidam supplicarunt, ut infelix corpus traderent sepulturæ, quo obtento in Mezquitæ angulo est sepultus. Caput autem misit Issēm Zuleman qui Citane morabatur, sperans quod eo viso ei fieret in vasallum, filius autem Almahadi qui Obegdalla dicebatur, erat Toleti, & à Toletanis plurimum amabatur: cui Zuleman caput receptum misit cum mille * Morabinis, quod & Toletani in Mezquita sepelierunt.

Hodie Hispani liberos vocant Alguazilum, ab Al & auxiliium. Vide inf. cap. 39.

Hodie Morandus.

Quod Issēm secundo regnavit, & de insolentiis Barbariorum. C A P. XXXVII.

ALMAHADI mortuo, Issēm obtinuit regnum suum, & fecit Alhagib Alhameri sicut fuerat ante tempore Almahadi; & regnum pacifice stabiliuit, & statuit milites per oppida, pagos, & villas, ut introitus hostium obseruarent; & ciuibus ut essent attentis, cum clamorem inuadentium peraudirent, & equitabat per ciuitatem quod omnibus erat carum eo quod vice alia regni sui ad eum accessus hominum non patebat, & quia erat sic se hominibus

minibus exhibebat, vt ei obedirent, & ab omnibus amaretur, & cum per præsidium deambularet, inspiciebat loca regalium tumulorum, & cum vidisset tumulum patris & aui sui, vidit tumulū in quo sepultus fuerat ille sibi simillimus Christianus, de quo superius fecimus mentionem: & ait: Ego hanc eligo sepulturam, Barbari autem, de quibus diximus, non desinebant Cordubæ confinia infestare, Ecigam & Carmonam, & Bethis, & socii incolas deuastare: nec Cordubenses milites vltra villā quæ secunda dicitur, & alia loca, in quibus excubantium militia subsistebant progredi præsumebant: & sic barbari insistebant, quod multa loca habitatoribus caruerunt & relicta à profugis barbari occupabant, & vix aliqui in ciuitatem victualia inferebant: vnde fuit in vrbe grauis * caristia subsecuta, pro annonæ Caritas.

10 propter quam ciues apud Issem dominum institerunt, vt egrediens contra eos, bello decideret, quorum incurfus damnosa patientia tolerabat. At ipse Cordubensium constantiam iam expertus fingebat se internunciis detineri, per quos sperabat eos suo dominio inclinari, & sic eos blandis sermonibus * illudebat. Post hæc duo Eunuchi venerunt ad eum, & hi fuerant cum Zuleman, dixeruntq; regi Issem, scias quod illi de genere tuo Zuleman & Barbariis nunciantur, vt Cordubæ aduenirent: quia eis procurantibus obtinerent & Zulemā iterato regni dignitas perueniret, & continuo * Atamoribus propulsatis ciuium multitudinem conuocauit, & eos qui de Abenhumeye Machometi maioris nepotis successione processerant, fecit capi, & vinculis colligari, & bona eorum à ciuibus occupari, & die, qui sibi fuerat assignatus, Barbari aduenerunt: pro quorum aduentu inter ciues magna turbatio fuit orta, & rex armis viriliter sese accingens cum ciuibus consentientibus in idipsum egressus est, in occursum, vsq; ad locum, in quo Barbari confederunt. sed regis aduentu territi abscesserunt. Rex autem milites misit expeditos, qui eorum vestigia obseruarent, sed nec consequi potuerunt. Barbari enim à bello profugi, incursum institerunt nec à cædibus & incendiis cessauerunt. Rex autem speculatores, & excubias in patriæ finibus stabiliiuit. inde Atamor

De confederatione inter Issem & Comitem Sancium datis castris.

CAPVT XXXVIII.

30 **H**is itaq; ordinatis Rex egressus est ciuitatem, expeditionis effigie insignitus si posset de aduersariis aliquem inuenire. Omnes autem in eo belli instantiam mirabantur, quæ olim viderant præsidio interclusum. Nihilominus tamen ferè cotidie Barbariis nuncios destinabat, & dona plurima promittebat, si suo dominio obedirent, sed ipsi Zuleman eius aduersario confederati, petebant pacta grauiā, & inepta: propter quod elegit periculum potius, quam petita Zuleman autem de pactionibus iam desperans ad Sancium Comitem ex Castella nuncios destinauit, spondens pecunias, & honorem, si eum vellet contra Cordubam adiuuare: qui responsionis oraculum elongauit, donec Issem petitionem Zuleman insinuaret, addens se in Issem auxilium libentius aduenturum, si pari remuneratione respiceret adiutorem: ita vt sex castella, quæ quondam Almanzor abstulerat, restitueret Christianis. Et cum Issem petitionem Comitis suis consiliariis intimasset, fuit petitio grauis visa, sed quia discriminis instantia perurgebat, visum fuit castella cedere, eo quod nouiter acquisita, & minus vtilitatis, quam oneris secum ferrent. Rex Issem petitioni Comitis acquieuit, & præcepit castella protinus sibi dari.

De rebellionem Toletanorum, & discursu Barbarorum.

CAPVT XXXIX.

50 **I**nterea Toletani filium Almahadi qui Obeydalla dicebatur, regem super se eleuarunt: quod cum ad Issem noticiam peruenisset, misit Alguazilum suum, vt Toletanos tam diu obsideret, & impugnaret, donec sibi redderent ciuitatem: qui veniens tam diu eos cædibus & impugnationibus infestauit, donec apertis ianuis eum cum exercitu ad præsidium admiserunt, & occupata penitus ciuitate Obeydalla, regem cepit, quem regi Issem Cordubæ viuum misit, & Issem eum capite multauit, & fecit in flumen præcipitari. Interim autem Barbari Cordubam vndiq; infestabant. Erat autem Cordubæ magna caristia, adeo vt summa panis xxx. aureis venderetur. Inualerat etiam grauis pestis, ex qua plurimi moriebantur: vnde, qui poterant, ad montium ardua confugiebant. Alhagib autem qui Hua de Alhameri dicebatur, epistolari nuncio Zuleman, & Barbariis nunciauit ac intimauit se ad eos iturum cū omnib. quæ habebat: sed hoc nō latuit Issem regē, qui missis apparitoribus fecit eum suo conspectui præsentari: & visis epistolis, quas receperat à Zulema, iussit

cum decapitari, & caput eius vndique circumferri, vt qui in prodicionis armario prodicionis iacula occultarat, eius iudicium fieret omnibus manifestum. Cum autē Barbarii terram cultoribus denudassent, æqua penuria intrinsecos & extrinsecos opprimebat: vnde & Barbarii relicta Corduba Hispalim adierunt, & vias omnes vactas viatoribus & incolis inuenerunt, & intrantes loca arborum, quod Axarab dicitur apud eos, vastationes & incendia exercebant. Demum Hispalim obsederunt. Tunc Rex Issem misit Zabor Iusticiarium, qui apud eos dicitur Alguazilus, & quendam alium, Hambor nomine, cum bellatoribus, quos potuit congregare, vt fines Hispalis tuerentur. Tunc Barbarii in aduentu istorum relicta Hispali, ad partes alias migrauerunt, & Calatrauam impetu inuadentes, ibi victualia inuenerunt, & inde cædibus & incurfibus, & rapinis, loca adiacentia infestabant. 10

Quod Zuleman Cordubam acquisiuit, & de fuga Issem in Africam.

CAPVT XL.

Medina alfarayelque & Guadalafaiara.

pro parte prodicionaliter

POST hæc Zuleman vocauit Mundir, qui præerat Cæsaraugustæ, & alium, qui præerat Medine Arfaragel, quæ nunc dicitur Guadalafaiara: & Barbarii quos poterant, vndique inuitabant, vt Zuleman fierent in succursum, & tali pacto ad Zuleman omnes concorditer conuenerunt, vt cuilibet habita remanerent, & simul conuenientes contra Cordubam properarunt, & castrametati sunt intra Acafram, & Cordubam obsederunt: & ciues monuit, vt ei traderent ciuitatem: qui acquiescere noluerunt, & ipsi urbem vndiq; 20 impugnarunt. Barbarii autem fossata humo, & lapidibus complanabant, & ibi ex vtraque parte plurimi ceciderunt, & tamen nihilominus impleuerunt, & sic partem vrbis, quæ Xarquia dicitur, inuaserunt: sed & ciues protinus erumpentes Barbarios repulerunt, & ex eis plurimos occiderunt, & iterum ex aliis partibus impugnantes quodam homine* aperte secunda ianua* perditionaliter referante ingressi sunt Barbarii ciuitatem, & omnes stationes vendentium & domus plurimas combusserunt, & sine numero occiderunt, & preciosa quælibet rapuerunt, & qui gladium euaserunt, e in Xarquia post gladium receperunt, & per triduum infestati demum Zuleman dominio se dederunt. Tunc obtenta vndique ciuitate Zuleman præsidium est adeptus. Barbarii autem domos vrbis ad libitum dimiserunt. Ciues autem Issem extra Cordubam deducentes, abire libere permiserunt, & ille 30 fugiens in Africam transfretauit.

De regno Zuleman, & discidiis intestinis.

CAPVT XLI.

Alcauele

al. Hayram

Oriola

ZULEMAN autem regno potitus, fixit Cordubæ thronum suum, & regnauit hac vice annis tribus, & mensibus tribus, & mansit Cordubæ in delitiis, & honore, vsque ad diem interfectionis. Cordubens. autem in miseria & penuria & ærumna. Barbarii à Zuleman concorditer postularunt, vt daret eis villas & oppida, quæ hereditate perpetua possiderent: & cum essent sex cognationes, quas ipsi* Alcauelas dicunt, dedit vnicuique certa 40 loca perpetuo possidenda, Eunuchi autem qui Issem consueuerat adhærere dolebant quia Zuleman prospera succedebant, & ideo vnusquisque vbi potuit, rebellauit. Erat autem potentior inter eos quidam qui* Hayram Alhemari dicebatur, & hic fugerat à facie Zuleman, quando, Cordubam occuparunt, & dum fugeret, fuit à Barbariis grauiter vulneratus, & pro mortuo derelictus. Sed quidam ciuis eum in domo sua clanculo occultauit, donec plenam obtinuit ciuitatem: alii vero eunuchi, qui euaserant, obtinuerant Oriolam, quam venienti Hayram illico tradiderunt, & inde cepit loca Zuleme prout poterat infestare, & congregati sunt ad eum plurimi bellatores cum quibus à Barbariis plurima acquirerebat. Et venit ad eum quidam ab Almeria, qui Habenhamyt dicebatur, & se ei reddidit 50 in vasallum cum magna multitudine bellatorum. Erat enim quidam Afla nomine qui contra Habenhamyt rebellabat, in præsidio Almeriæ, venerunt itaque Hayra, & Habenhamyt pariter Almeriam, & Hayram obtinuit ciuitatem, xx. autem diebus cum machinis præsidium impugnantes, quamuis fortissimum expugnarunt & Afla, cum filiis suis in maris voragine proiecerunt & felicitate homini succedere expulit Hayram Barbarios à Gienio, Beatra, & Ariona. Hayram autem diligebat Issem, & quicquid acquirebat, eius nomine acquirebat, & pro eo orationem quæ pro regibus solet fieri, faciebat, & intendebat eum à Zuleman iniuriis vindicare. Illi autem qui ab Issem receperant villas, & ciuitates Hayram pro viribus adiuuabant.

ERAT autem quidā dictus Haly Abenhamith apud Septam, quem Issem præposuerat
 Eciuitati & huic Hayrā nunciauit, vt Malacā adueniret, & vbi rex fieret, procuraret qui
 veniens Malacam bene receptus, continuo Rex est factus, Hayram autem Granatenfes &
 Murcienses, & villarum incolas aliarum, vt venirent, & Haly iam regi Malacæ obedirēt, &
 nunciauit Haly, * quasi de negotiis tractaturi: qui & venit & consilio habito discesserunt
 congregaturi subditos, & fautores: vt contra Cordubam dimicarent: & Hayram conuen-
 nit cum consiliis Murciae & Granatæ, vt statuto die omnes concorditer cōuenirent; & Ha-
 ly ex Malaca, Hayram, ex Almeria, Gifeya ex Granata & consilia ex Murcia & locis aliis in
 campestribus. Cordubæ conuenerunt: & egressi sunt ad eos Zuleman cum Barbariis, & cæ-
 teris incolis ciuitatis & campestri prælio inchoato victi sunt Cordubens. & captum Alqua-
 zilum Adub nomine decollarunt & de barbariis plurimos occiderunt. Zuleman autē cum
 patre & fratre, Haly regis conspectui præsentarunt. Alguazilus suus qui proditionaliter eū
 ceperat, duxit eum. Rex autem Haly impropere ei proditionis culpam eum cum patre &
 fratre manu propria interfecit. Erat tamen pater Zuleme homo innocens, & benignus, &
 eius anima non venerat in consilium filiorum, & ideo dicitur perditus sine causa. Haly au-
 tem timebat, si Issem viueret, regno priuari, & ideo Zuleman citius interfecit, quia dixerat
 Issem viuum. Alii etiam, qui sciebant Issem viuere dicere formidabant.

Haly, & ve-
nient.

HIS igitur factis vocauit ad se omnes, etiam eos, qui Zuleman adhæserant, dum viuē-
 bat, & hi & alii ei obedierunt, & sic habuit totum regnum. Hayrā autem verēs ne Haly
 vellet in eum aliquid machinari, reuersus est Almeriam & Ecigam & Granatam. Post mo-
 dicum autem temporis, quia Haly non seruauerat pacta quædam Hayram indignatus scri-
 psit Mundar, filio Hyaye domino Cæsaraugustæ, vt ambo contra Cordubam aduenirēt, &
 Haly à regni folio remouerent & apud Accium quæ nunc Guadix dicitur, conuenerūt: &
 inde Cordubam exierunt, sed in prælio ceciderunt, & plures ex suis gladio perierunt: sed
 dissensione inter Hayram & Mundar filium Hyaye accidente, ab inuicem discesserūt, Ha-
 yram autem quæsiuit si in genere Abenhumeye dignus regno posset inueniri quispiam: &
 inuenit quendam, qui Abderramē Almortada dicebatur: cuius mātio erat Gienny, hic bo-
 nus paciens & quietus ab omnib. amabatur, hunc Hayram cogitauit ad regni fastigiū sub-
 limare, quod cum ad Haly notitiam peruenisset de castro in castrum, de loco in locū Hay-
 ram sequebatur, mala irrogans sibi & suis: sed Hayram vt Abderramen præficeret, labora-
 bat. Et dum Hayram esset Gienny, nunciatum est ei, quod Gifeya de quo supra fecimus
 mentionem, inerat contra castra quæ Hayram detinebat, & continuo Hayram insequens
 procedentem fecit transitum per Guadix, & Gifeye, cum suo exercitu obuiauit, & pugna
 commissa Hayram exercitus fuit victus, & multi ex eis temulēta ignauia perierunt. Cum-
 que de Hayram, quid acciderat, nesciretur, & Almeria ciuitas turbaretur significauit eis se
 esse in Canilibus castro vaste & domum, in qua latuerat nominauit. Tunc illi eum instan-
 tissime vocauerunt: & illis diebus quatuor Hayram fautorib. in conflictibus male cessit: q̄
 Haly factus hilarior cum audisset, falces & alia vastationis vasa ferri præcipiens, iuit Gienn-
 num, anno Arabum CCCVIII. & cum iam vexilla & tubæ & cæteri apparatus existerēt ex-
 tra urbem ipse intrauit balneum, quod in præsidio habebatur & intrarūt cum eo aliqui Eu-
 nuchi qui eum in balneo occiderunt & continuo recesserunt.

f. trafo

Regni Ara-
bum 408.

VMQVE exercitus foris expectans moræ dispendium causaretur, aliqui ad præsidium
 Credierunt, & cum eum quærent in balneo mortuum, inuenerunt capite cōquassato.
 Tunc concilium ciuitatis præsidium obseruarunt, donec veniret germanus eius Alcazim
 nomine, qui Hispali morabatur, quem in regem illico eleuarunt. De interfecto-
 rib. Eunuchis nonnisi duos pueros inuenerunt, quos protinus occiderunt. Regnauit autē prima vi-
 ce Alcazim annis trib. mens. 4. dieb. 26. Hayram autem semper instabat, vt Almortada pro-
 mouerent, & misit nuncium Mundar principi Cæsaraugustæ, & misit Citanam, Valētiam,
 & Dertusam, vt veniret omnes, & Abderramē Almortada obedirent: qui cōmuniter con-
 cesserunt, & venientes Giennum in regem pariter promouerunt. Venientes autem occi-

derunt, quicquid de Barbariis inuenerunt & à Giennò proficiscentes Murciam adierunt, quam rex statim acquisiuit, & introiuit, vidensque quod sibi prospera succedebant, cœpit consilia ciuitatum deligere, & fouere: & eos qui eum receperant, honorare: Ab Hayram autem & Mundar oculos auertebat, nec ex corde recipiebat, nec vt consueuerat, honorabat, & dum quadam die causa videndi ad eius palatium accessissent, fecit eis introitum denegari & diu exterius expectare: qui merito indignati ad inuicem loquebantur: Merito patimur, quia tanto studio, vt rex fieret, procurauimus. Et tunc odium conceperunt. Rex autem Abderramen, collecto exercitu, iuit Granatam, & in monte qui Secustar dicitur, fixit castra; qui distat sex leucis à Granata: & cum Granatam appropinquasset, inter viros exercitus dissensio fuit orta, & vt dicitur Hayram & Mundar cum Granatæ domino hoc tractarant, propter iniuriam sibi factam. Cumque Granatam Abderramen exercitus impugnaret, qui interius erant extra congregari attentarunt, & quia dissensio exteriorum animos diuidebat; sibi fugæ, aduersariis victoriæ causam dedit: & fuit ibi Abderramen Mortada interfectus, & sic ingratitude pœnas luit: & Granatenses prædæ copia occupata, cum capitibus occisorum Cazim regi Cordubæ præciosa donaria transmiserunt: & hac victoria Alcazim recuperauit de his, * quas perdidit plures villas. Tunc Alcazim Hispalim est profectus, & statim ibi in regem est eleuatus.

De regno Hyahye. CAPVT XLV.

Regni Arabum. 412.

CORDVBENSES vero nepotem Cazim, Hyahyæ nomine, in regem sublimarunt Anno Arabum 412. Hyahyæ autem blandiebatur omnibus, & se munificum ostendebat. Exinde autem iuit Malacam, vbi olim fuerat dominus, & morator: & dū esset ibi Alcazim ad Hispalim pernoctauit, & Cordubam veniens, secunda vice in regē iterum est receptus, & regnauit secūda vice mensib. 7. dieb. 3. Anno Arabū 414. Verū quia Barbarii à rapinis & dirptionibus, & iniuriis quiescere ignorabant, & stationes vendentium euertebant, ciues

Regni Arabum. 414.

conqueri non cessabant: sed nec poterāt tolerare. & quadam die dum ad orationem cōsisteret in Mezquita, insonuit vox clamoris, & ciues muro & turrib. occupatis cū barbariis vsq; ad noctem congregari non cessarunt: & cum ciues præsidium inuassent, Cazim fugiēs in vrbs angulo cū Barbariis se recepit, vbi diebus aliquot resisterunt, donec ciues vniuersaliter concurrentes, & plus mori, quā viuere optantes, insultu acerrimo eos à loco refugii abegerūt, & eos obstinatis animis insequētes pro magna parte cæde & interitu extinxerūt. Cazim autem fugæ prodigus, filiis suis qui erant Hispali intimauit, vt præpararēt Barbariis mille quingētas domos de meliorib. ciuitatis. Cumq; Cazim Hispalim aduenisset, ciuitatis ei ianuas serauerūt, propter domos quas iusserat præparari: filii autē eius ad eū cum paucis complicib. exierunt. Cazim autē inde recedens huc & illuc ferebatur incertus, donec cœpit eum Hyahye, filius fratris sui, & in castro quod * Hanax dicitur cōpediuit. Viri autē Hispalis rogauerunt quendam iudicem Mahomath filiū Habeth, vt vrbi & populo præsideret: & ille licet inuitus eorū paruit voluntati, timens ne forte vrbi periculū immineret. Cordubens. autem fecerunt regē quendam qui Abderramen dicebatur: germanum Mahomath filii Abdeliabar qui olim regnauerat apud eos, & hoc, quia erat de genere Abenhumeye, & priori statui restitui cupiebant: sed quia ante eum in Regem elegerant Zulemā Amortada nec tamen res peruenerat ad effectū: in sua promotione Abderramē pepersit senioribus, qui consenserant in Zuleman, sed securitatis præstitæ post oblitus seniores cepit & carceri mancipauit, Et cum ciues factum huiusmodi percepissent, carcerē adierunt & seniores effractis ostiis eduxerunt & inde ad præsidium ascenderunt, & ianuas confrugerūt ducētes secum quendam, qui dicebatur Mahomath, & præsidium perscrutantes inuenerunt Abderramen in furno balnei latitantem, & repertum continuo occiderunt, & in quadā domo suburbii sepelierunt: & hic tantum vno mense & diebus 17. regnauit.

Hanax Tolet.

pit eum Hyahye, filius fratris sui, & in castro quod * Hanax dicitur cōpediuit. Viri autē Hispalis rogauerunt quendam iudicem Mahomath filiū Habeth, vt vrbi & populo præsideret: & ille licet inuitus eorū paruit voluntati, timens ne forte vrbi periculū immineret. Cordubens. autem fecerunt regē quendam qui Abderramen dicebatur: germanum Mahomath filii Abdeliabar qui olim regnauerat apud eos, & hoc, quia erat de genere Abenhumeye, & priori statui restitui cupiebant: sed quia ante eum in Regem elegerant Zulemā Amortada nec tamen res peruenerat ad effectū: in sua promotione Abderramē pepersit senioribus, qui consenserant in Zuleman, sed securitatis præstitæ post oblitus seniores cepit & carceri mancipauit, Et cum ciues factum huiusmodi percepissent, carcerē adierunt & seniores effractis ostiis eduxerunt & inde ad præsidium ascenderunt, & ianuas confrugerūt ducētes secum quendam, qui dicebatur Mahomath, & præsidium perscrutantes inuenerunt Abderramen in furno balnei latitantem, & repertum continuo occiderunt, & in quadā domo suburbii sepelierunt: & hic tantum vno mense & diebus 17. regnauit.

De regno Mahomath, & Hyahye, & eorum discidiis, & de Ydriz. CAP. XLVI.

Regni Arabum. 414.

HOC extincto regnauit Mahomath vno anno, mens. 4. dieb. 22. anno Arabū 414 & cū regni cōfinia peragraret, fama insonuit apud suos, quod pecūnias & margaritas, & preciosos lapides secum ferreret: & vt hæc auferrēt mortis poculo dominū occiderunt. Et cum mortem eius Cordubæ audiuisent, Hyahye Haly filium regi mortuo subrogarunt, & regnauit Hyahye mensibus tribus & dieb. 2. & iuit Malacham, vbi quōdam fuerat cōmorator, & viri Malachæ se ei protinus reddiderūt. Abuz autem Granatæ dominus Hyram & Muzeit de suorum maiorib. Cordubam destinauit, & cum eorum aduentū viri Cordubæ præno-

præno-

prænouissent, de his qui in vrbe remanserant, vsque ad mille barbarios occiderunt: & venientes principes admiserunt, & Alguazilus, & scriptor, & familia hyahye prorsus Malacam confugerunt, & breui termino vix incepto Hizmael filius Habeth yahyan interfecit, & caput eius * Hisse, qui erat Hispali, destinavit. Cum autem audiisset Ydriz frater Haly, de quo diximus, qui Septe dominabatur, fratris interitum & regni imitationem Malacam cisfretavit, & obtento præsidio regem statuit se vocari. Ibi venit ad eum Abuz qui Granatæ dominabatur, & Ydriz, vt regi & principi obediuit, & sumpta secum multitudine armatorum, iuit Carmonam, & inde Hispalim, vt eos Ydriz dominio inclinaret, & in Alcalá iuxta Hispalim, resederunt, & sequenti die Trianam, quod est suburbium Hispalis combusserunt, & in castro præsidii viri Hispalis chirographum obedientiæ conscripserunt quo Ydriz in dominum receperunt; eodem modo se ei subdidit Almeria.

De schismatibus, & disidiis citra mare.

CAPVT XLVII.

Nunc ad historiam Cordubæ reuertamur. Cum Hiram & Mogeit occisis Barbariis Cordubam intrauissent, zelus incidit inter eos, & vterque mortē ab alio metuēs præueniri, ambo Cordubam exiuerunt, & ab inuicem discesserunt. Cordubens. autē quædam, qui * hyssem dicebatur, non ille, quem quondam ad culmen regiminis eleuarunt, & *Issem sup.* regnavit Cordube annis duobus, dieb. quatuor. In Frontaria autem annis duobus, mensib. ²⁰ 7. diebus octo. Cordubens. vero eū pro causa huiusmodi remouerunt. Habebath Alhagib, qui plus domino potens erat, & hic erga ciues crudelissime se habebat: & cum esset vilis genere, vilitatem in potentia ostendebat, eo quod conditionis non immemor in omnibus excedebat, & cum nemine concordabat, & falsis occasionibus immerito offendebat, & bona ciuium barbariis erogabat vnde & ciues Alhagib occiderūt, & regem à regni solio expulerunt. Quidam autem Humeya nomine, assumpto secum iuuenum comitatu, præsidium est ingressus & vt se regem facerent postulabat: & dixerunt ei, vides quod ciuitas iam turbatur, & quod te interficient, formidamus. at ille respondit: Mihi hodie obedite, & me in crastino interficite. Ecce quanta est ambitio dominandi. Ciues autem Hyssem, & isti sub interminationis periculo præceperunt, vt præsidium relinquentes, se recipere ³⁰ perent quocumque vellent, & ciues ad inuicem condixerunt, vt nemo de genere Abenhumeye, Cordubæ remaneret. Hyssem autem valedicens filiis, & amicis, iuit ad quoddam castrum, quod in montanis Cordubæ erat situm Cordubens. vero castrū post modicum temporis obsederunt, & Hyssem captum custodiæ tradiderunt. Sed inde subiugali vehiculo noctu effugiens Zuleman auen hut regem Cæsaraugustæ in asylum sui periculi prælegit. Qui suscipiens liberaliter & benigne, dedit ei castrum, quod dicitur Acvela, in quo *al. al. uela.* deguit quoad vixit.

De regno Almoravidum in Hispania, & de morte Auenhabeth.

CAPVT XLVIII.

ET illis diebus non fuit Rex in Hispania de genere Abenhumeya, sed vnusquisque in loco cui præerat, rebellabat. Cordubens. autem cum regem alium non haberent, moneta pannonum * & granate literas sub Hyssem nomine conscribebant, & hic finis *al. granatum al. Grammat.* regni Cordubæ quia fere in singulis locis, qui potuit, dominium vsurpauit, donec monarcha Africæ, qui erat ex Almoravidis omnia occupauit. Cordubæ insurrexit Alguazilus nomine Lahuar filius Mahomath. Hispalis insurrexit iudex quidam, qui Albucazim dicebatur, & obiit anno Arabū 433. post eum filius eius Habeth, & obiit anno Arabum 461. Post hunc filius eius Mahomath auenhabeth, hic obtinuit Cordubam, & alia plura loca & satis *si d. c. pro Grammaticas: forte Epigrammaticis Vi sup. cap. 32. Issem. Regni Arabum 322.* prospere rexit terram. Postea Almoravidi, qui sunt ex barbariis de Lunia, huic dominium abstulerūt, cum in dominio durasset annis 23 & hoc fuit anno Arabum 484. Erat autem Rex Almoravidum Yuceph, filius Tessesin hic prædictum Mahomath tam diu captum tenuit donec in vinculis vitam finiuit. Hic Mahomath Auenhabeth Aldefonfi, regis qui Toletum ceperat, anno Arabum 477. timore turbatus contra eum Yucephaben Tessesin in auxilium euocauit, sed veniens ipsum primitus captiuauit deinde in campo Zalla, quæ prope Badaloz cum Aldefonso rege acriter dimicauit, quod prælium hic omitimus, quia *Regni Arab. 484. Regni Arab. 477. Lib. 6. cap. 32.* in historia Gothica est descriptum.

Yuceph autem Abentessin adeptus victoriam, in Africam est reuersus, & quia intellexit Wandalos Arabes multis dissensionibus minoratos, assumpta maiori multitudine ciffretauit, & totam terram Wandalia occupauit & fuit monarcha ultramarinus, & cismarinus, & durauit sibi huiusmodi monarchia annis 55. ab anno Arabum 484. vsque ad quingentesimum trigessimum nonum annum, quando per Almoades dominium perderunt, vt superius in Historia Gothica est expressum. Hic rex Yuceph, terram, & populos custodiuit, & omnibus iustitiam conseruabat: & eos, qui in particularibus praefidiis rebellauerunt, tamdiu infestauit, donec suo dominio subiugaret Yahye autem, dictus Allehadyr bille, postquam Toletum perdiderat, iuit Valentiam, quae ad suum dominium pertinebat & annis 16. vixit ibidem, & interfecit eum iudex quidam, qui Abeniahab dicebatur, postea cepit eam Rodericus Didaci Campiator. Et eo mortuo eam Almorauides occupauerunt. Caesarauguste etiã insurrexit Mundir filius hyahye, & post eum filius eius yahya Almundafar, Demum tota terra illa contermina Christianis se reddidit, Zuleman filio Hamath, qui abehath dicebatur. hic Zulema fuerat Alcaydus Mundir filii Hyahye de quo diximus Post quem filius eius hamath successit, Post eum filius eius Yuceph, post eum filius eius Hamath cognomine Almuztaim post eum Abdelmelich, potest eum filius eius Hamath, cognomine Almutazit. hic amisit Caesaraugustã, & confinia, quae habebat, & Almorauides omnia occupauerunt & in locis aliis alii rebellauerunt quos omnes Almorauides subiecerunt. Insurrexit Murciae quidam Abderramen abentaxeci, & tenuit eam, donec eum venientes Almorauides eiecerunt. Insurrexit, Almeriae Mohez Abdalla 14. annorum erat, cum insurrexit, & totam terram perdidit praeter Almeriam, sed & eum Almorauides obsederunt. Et insurrexit Granatae Abdalla, sed eam post modicum temporis Almorauides occupauerunt: & ita dicitur quod eam vltimo acquisierunt. Post haec Yuceph abentessin reuersus est in Marrocos, quam Barbarii Almorauides in urbem regiam dilatarant, & ibi statuerunt caput regni. Isto mortuo Haly filius eius successit in regno & fuit inuentus debilis, & ignauus, nec regni confinia defendebat. Post eum regnauit filius eius Tesselin vilis animo, & virtute, & plus iniuriis quam defensione patriae insistebat, & quia viderunt a regalibus actis alienum in eum vbilibet insurgebant: & vbique & quilibet rebellabant, & bellis indefinentibus infestabant, & fere perdidit totum regnum. hoc fuit anno Arabum D. XXXIX. & regnum Wandalia 53. annis possederant citra mare. Erat autem inter Wandalos cismarinos vir prudentia praeditus, liberalis, strenuus, & benignus, qui Mahomath abenzahath & rex lupus, postea fuit dictus. Hic obtinuit regnum Valentiae, & regnum Murciae, & quae ad ea confinia pertinebant, Lorcã, Bastã, & Guadiez & loca plurima, circa ista Christiani etiam plurima occupabant, donec venientes Almoades ab Africa & Wandalia, Almorauides extirparunt. Sed quia de aduentu eorum in Historia Gothica fuimus profecuti, hic nolumus iterare.

Finis. Toleti 25. Ianuarii. 1583.

HISTORIA ROMANORVM.

PROLOGVS.

QUAE direptiones Herculis, quas gens misera pertulit, Hesperorum, in superioribus capitulis declarauit. quae Romani, Vandali, & Sueui, Alani, & Selingi, & Arabes Mahometi & qualiter Hispanias inuaserunt, & quae ei multiplicata supplicia addiderunt prosequi dignum duxi. Romani quippe a Remo & Romulo, qui a Latinis exordium habuerunt, ab ipsis & vrbe dominati Latio inchoauerunt: quorum Reges successionibus prosecutus vsque ad eos qui Hispania calamitatibus adiecerint, Genealogia Eulogia supputam, vt discat Hispania, quae Dei misericordiam perfunctorie vix attendit, a tot tempestatibus iam respirans, quantum debeat diuinae gratiae inclinare: sed pro dolor, nec praeterita memoratur, nec quae accidere poterint, pertimescit. Principes etenim & potentes voluitis & libitis inuoluuntur: & perturbato ordine rationis eneruant iudicii veritatem: & procuratis iniuriis consuetudines violente pro iustitia inducuntur: & in partes iustitiae aduocati id iustum iudicant, quod aures mulceat praesidentis, & a summi iudicis intuitu alieni, oculos suos in terram statuunt declinare: nec est qui pauperi condescendat, nisi familiari debito inducatur: sed vtinam altissimus videat, & permittat & non Hispania misera sed facientibus imputetur: & non luet vniuersitas oppressorum, quod meretur iniquitas dominorum, & cessit indignatio maiestatis, compatiens

Lib. 7. c. 10.

Marrocos Grbs
regia.

Regni Arabum
539.

Lib. 7. c. 10.

Lib. 1. Historia
Gothica, seu re-
rum in Hispania
gestarum,
c. 1. 5. & 6.



patiens clamoribus paupertatis, qui faucibus presidentium ingeri non sinuntur, mediatorum rabie.....
 Cum enim cetera mundi prouincia certis* agariis (seu pangariis) deducantur, Hispania misera incer-
 tis oppressio:ribus cruciatur: semper remanens inconsumpta, ut possit sapius deperire, & consumptionis
 periculo reseruari, & tot vulneribus sauciatur, quod à summis capitibus successiua voragine absorberur;
 nec est quæ possit vocem attollere cum inimici iudices dominantur: nisi quod ut bestia agri, & area siti-
 ens vociferatur, & vim patiens Sabaoth domini pulsat aures: & vitam videat, & ut ceteras mundi
 partes, Hispaniam indicet, & prospiciat de excelsis.

DE REGIBVS LATII.

CAPVT I.



PRINCIPIVM autem Regum Latii istud fuit: Ante initium regni Ro-
 mani primus in Italia Ianus regnavit, cui ob magnæ prouidentia meri-
 tum duas facies depingebant, eo quod futura & præsentia præuidebat:
 vnde Persius: *O Iane à tergo quem nulla ciconia* pinxit.*

Et inde Romani ei primum mensem in anni mensibus adscriperunt, eo
 quod in eo mense Sol incipiat ascendere post solstitiū hiemale, ut qua-
 si medius inter tempora bina faciet tempus præteritum respiciat & fu-
 turum: & ideo est in computo Romanorum Ianuarius primus mensis, sicut Ianus principi-

20 tim regni fuit. Post Ianum regnavit Saturnus, qui primus regnaverat super Creta, sed in-
 de expulsus à filio suo Ioue in Italia est iactatus. Hunc gentiles primum deorum, licet men-
 daciter, fabulantur. Primus enim in hominibus Ninus rex Assyriorum patri suo Belo, Dei
 vocabulum vsurpauit, Hic itaque Saturnus filium fugiens aliquandiu latuit apud Thuscis,
 & ideo à latendo pars illa Thuscia Latium dicta fuit. Vnde Lucanus:

*Quis furor, o ciues, quæ tanta licentia ferri
 Gentibus inuisis Latium præbere cruorem?*

Et à Latio Latini dicuntur: verum incolæ Thuscia degebant non ut homines, sed ut bestia si-
 ne domibus, sine vrbe, contenti solummodo caveis, tuguriis, & casellis quas utcunq; de fron-
 dibus & foliis arborum facti tabant, & de fructibus syluestrium arborum ut bestia victita-
 30 bant: Ipse vero se ruditati hominum postmodum manifestans humani conuictus docuit
 rationem, & agriculturæ; commercium vtile persuasit, effossionem etiam docuit metallo-
 rum: & ideo dicitur fabulose aurea sæcula ordinasse. Vnde & Virgilius:

Iam redit & virgo, redunt Saturnia regna.

De eo alius poeta: *Primus Cretæis Saturnus venit ab oris*

Aurea percunctas disponens secula terras.

Et pro tantæ utilitatis beneficio incolæ bestiales iam facti homines eum super se regem &
 principem statuerunt. Ipse vero ex multitudine iam edocta construxit urbem in rupib. * se-
 piternis quam à suo nomine Saturniam appellauit: quæ nunc Satrium esse fertur: & cum
 post mortem patrem Deorum omnium vocauerunt; vnde & poeta:

Ipso gaudet suo superum generosa propago.

Post Saturnum regnavit Picus filius eius: Post Picum regnavit Faunus filius eius, à quo dii
 bicornes, ut ponit Ouidius, processerunt: de quibus dicit

*Antiquas semideæ Dryades Faunig; bicornes,
 Numine contactas attonuere suo.*

Huius tempore Troia à Græcis obtenta incendio est consumpta. Horum itaq; regnū Lau-
 rentium hæcenus dicebatur, de quibus Virgilius.

*Hic genus indocile sparsurig; in montibus altis:
 Mores composuit, legesq; dedit, Latiumq; vocari
 Maluit, his quodiam latuisset tutus in oris.*

50 Post hunc regnavit Latinus, filius eius, à Latio sic vocatus. Huius mater fuit Carmetis quæ
 vulgare Latii emendauit, & Latinis litteras adinuenit, & ab isto, cessante Laurentii voca-
 bulo, cepit regnum vocari Latinum.

De Aduentu Aeneæ in Italiam, & regno eius, & de Didone. CAPVT II.

VERVM quoniam post Latinum ab Aenea reges Italiae descenderunt, aduentū eius
 in Italiam breuiter prosequemur. Troia destructa, Aeneas filius Veneris, & An-
 chisæ, cum patre Anchise & Ascanio filio fuga nauali ad Siciliam applicauit, ibique An-
 chise mortuo, cum Ascanio filio, Niso, Euryalo, nobilebus, & Achato armige-
 ro & Palinuro nauclero cepit in Africam nauigare: sed infestæ periculo tempesta-
 tis naufragium vix euasit, nec damno caruit; vna ex nauibus cum Palinuro submersa,

quorum interitu Æneas timuit interire, sed inter iniurias procellarum in Africa cepit portum, & dum dormiret, audiuit in somnis; prius Didoni coniugio sociaberis, & post in Italiam reuerteris. cuius aduentum cum Dido nouisset, egressa obuiam datis muneribus honorauit, & mirata Ascanii pulchritudinem, in concupiscentiam Æneæ exarsit, quæ viderat in armorum decore præclarum; vtriusque beneplacito accedente, mox in coniugem est assumpta, & Æneas Didonis coniugium, & Carthaginis dominium est adeptus, pollicens se cum ea perpetuo permanfurum; Dido vero ante aduentum Æneæ in templo quod fecerat, historiam descripserat Troianorum, quam Æneas intuens doluit suæ gentis interitum diuulgatum, & picturæ memoriam reputans verecundum: disposuit à Carthagine aberrare, & ideo præsentiens, inquit illi:

Ouid. Epistola
Heroidum 7.

*Certus es ire tamen, miseramq; relinquere Didon,
Quæque ubi sunt nescis Itala regna sequi:
Quando erit ut condas instar Carthaginis urbem?
Et videas populos altus ab arce tuos?*

Sed fide & fœdere violatis, idem venti neglecta Didone, fide, & verba cum viro & nauigio detulerunt, & in Sicilia remeans patris anniuersarium celebrauit. Dido autem incauto amore succensa Æneam epistolari alloquio salutauit, sicut Ouidius in Heroidibus metricè declarauit, dicens:

*Sic ubi fata vocant, vdis abiectus in herbis,
Ad vada Mæandri concinit albus olor:
Nec, quia te nostra sperem prece posse moueri
Alloquor, aduerso mouimus ista Deo.*

Deinde amoris incendium nequies sustinere, eidem prætulit incendium actuale, & lignorum congerie comportata ad pedem turris pyram vastissimam fecit accendi, & his verbis habitis ad forem:

*Anna soror, soror Anna meæ male conscia culpæ,
Nunc dabis in cineres vltima dona meos.*

His dictis à summo arcis in pyram igneam se proiecit, & consumpta ilico exspirauit. Carthago Didonis tempore Dauid: Carthago Hispaniæ tempore Amaziæ regis Iuda conditæ feruntur. Æneas vero à Sicilia in Portuam ciuitatem Lauinii enauigauit, & ciuibus sciscitantibus quisnam esset, respondit se esse Æneam, qui è Troia veniens iactatus fluctibus applicarat: addidit etiam sese generum Priami, qui rex fuerat Troianorum, seq; deorum oraculo accepisse se in Italia regnaturum. Ciues autem verbum vt impossibile reputarunt, Latini regis potentiam opposcentes. Cumque his aliquantulum turbaretur præ tristitia factus segnissimus decubuit dormiturus, & accepit in somnis vt Euandri auxilia precaretur, qui in VII. montibus, vbi fuit post Roma condita, habitabat, vt eius auxilio & Pallantis filii posset Latini & generi sui Turni potentia obuiare: & vt credas, sicut nuncio, sic futurum, inuenies sub ilice albam suam cum 30. filiis suis coloris.

De victoria Æneæ contra Latinum.

CAPVT III.

SVRGENS autem à somnio à Portua cœpit proficisci, & vt reuelatum fuerat, sic inuenit, & ibi postea ciuitatem condidit Albanorum. Euander autem Æneam audiens aduenire se ad prælium, æstimans inimicum, præparauit: sed Æneas ramum oliuæ pertulit manu sua præferens, * quæ tali ramo illis temporibus signabatur: Et cum Euander pacis signaculum prospexisset, in occursum profectus est venientis, & amico gaudio amplexati fœdera firmauerunt, & simul etiam iucunda conuiuia peregerunt: quod Latinus audiens ægre tulit: & vocauit generum suum Turnum, de quo se amplius confidebat, & misit eum contra Ascanium, qui in castello cum parte exercitus residebat, sed videns Ascanius Turni potentiam præminere, percunctatur si quis adesset, qui patri suo periculum nunciaret. Tum Nisus & Eurialus familiares Æneæ, qui vnum de paribus amicitia fuisse dicuntur, se legationis discrimini obtulerunt, & noctu aggredientes Turni exercitum intrauerunt, & cum viri exercitus sopore ebrius teneretur, Nisus & Eurialus plures ex eis furtiua, audacia occiderunt, & galeam auream quæ cassis dicitur, abstulerunt: & diei nuncia apparente cœpto itinere abierunt, & cum in via Latini exercitum prospexissent qui in Turni auxilia veniebat ad Syluæ densissimæ latebras confugerunt, sed cum splendore

f. pacem

splendore aureæ galeæ, quam Euryalus gestabat in capite, opacas latebras confugerant, quos densitas occultauit, claritas reuelauit, & à venientibus comprehensi, pœnali gladio decollati, & Turno capita obtulerunt, qui præcepit ea proiici in municipium obsessorum: & tunc cœpit Ascanius aliquantulum desperare. Dumque ad Æneam fatali relatu rumor obsidii peruenisset, assumptis suo & Euandri exercitu, duxit acies contra Turnum: cumque confertis agminibus vicit eum, & Turnus fugiens iuit Laurentum, vbi socer eius Latinus tunc temporis consistebat. Æneas autem cum Pallante Euandri filio Laurentum obsessurus aduenit. Latinus autem videns se victo genero minoratum, Mezentium & Camillam reginam Amazonum suscitauit, vt eum in casu discriminis adiuuarent: & precibus non frustratus habuit in infelici exercitu adiutores, & cum Ænea & Pallante prælio restaurato succubuit pars Latini: & dum Æneas & Mezentius sese cōgressu obuio percussisset, Mezentius vulneratus diuertit ad fluuium, plagæ sanguinem lauaturus. Lausus autem Mezentii filius Æneæ se obtulit, vt paterni vulneris fieret vindicator: cui Æneas dicitur, sic dixisse: *Quo periture venis?* & percussum omnino interfecit, quod Mezentius non sustinens tolerare cum Ænea iterum iter fecit: In ipso etiam prælio occubuit regina Camilla. Ex parte autem Æneæ mortuus fuit Pallans, pro quo Æneas fuit inconsolabiliter contristatus, & campi victoria iam obtenta fecit corpus Pallantis nobili funere deportari, & cum eo. C. de prudentioribus comitatis: qui Euandrum de morte filii solarentur. Videns Latinus sibi noxia, Æneæ prospere successisse, misit ad Diomedem Regem Græciæ, vt in eius auxilium adueniret. Sed Diomedes petitionem renuens, sic respondit: Æneam de quo loqueris, ipse noui. nam cum ad expugnandum Troiam ex Græcia venissemus, Æneas & Hector fortiter restiterunt, & si tertium comparem habuissent, Troia forsitan non periisset. His auditis Latinus de auxilio iam desperans ad Æneam pro pace nuncios destinauit. Et Æneas dicitur respondisse: Non nostro consilio, nec meo proposito huc adueni, sed voluntas superum me aduexit. Occiso Turno & Latino mortuo, Æneas Lauiniam Turni sponsam & Latini filiam duxit vxorem; & Latino successit in regno, & in Latio tantum tribus annis regnavit, & ædificauit ciuitatem, quam Albanum à nomine suis Albæ, vt diximus, nominauit.

De Ascanio, & Regibus Albanorum. CAPVT IIII.

AENEÆ mortuo Ascanius filius eius ex Creusa successit in regno. Albanenses autem super Æneæ tumulum aceruum politorum lapidum magnæ altitudinis erexerunt, quem memini me vidisse. Ascanius autem ciuitatem inceptam sollicita diligentia amplauit. Hic Ascanius dictus fuit Iulus, à quo descendit Iulia familia Romanorum. Lauinia autem vxor Æneæ post mortem eius peperit filium quem Postumum appellauit, quia mortuo patre natus: quem Ascanius fraterno amore dulciter enutriuit: Posthæc Ascanius genuit filium, quem Iulium appellauit: Mortuus autem est Ascanius cum regnasset annis xxxviii. & diuisit regnum Postumo fratri suo: & quia iste Posthumus in sylua nutritus, Siluius fuit dictus, & ab eo reges alii Albanorum fuerunt Syluii nominati. Post hunc Æneas Syluius filius eius regnavit annis xxxi. Post mortem eius Latinus Syluius, filius eius annis quinquaginta. Post mortem eius Alba Syluius filius eius regnavit ann. xxxviii. Post hunc Ægyptus Syluius filius regnavit annis xxxvii. Capys Syluius filius eius regnavit annis xxviii. Iste a nomine suo ædificauit in Campania Capyam ciuitatem. Carpentus Syluius filius eius regnavit annis xiiii. Tiberius Carpentarius filius eius regnavit annis ix. Hic cadens in flumen qui Albula dicebatur, fuit extinctus, & fluuius ab eo Tiberis fuit dictus postea. Vnde Virgilius:

— tunc perdidit Albula nomen.

Hic condidit Tybur satis modicam ciuitatem: quæ xii. ab vrbe milliario adhuc exstat. Agrippa Syluius filius eius regnavit annis xl. Huius tempore fuit Homerus Poeta. Aremulus Syluius Agrippæ filius regnavit annis xviii. Auentinus Syluius filius eius regnavit ann. xxxiv. Iste fuit in monte sepultus, qui ab eius nomine dicitur Auentinus. Procas Syluius filius eius regnavit annis xxxiii. Iste fratrem suum Numitorē à regno expulit, & priuatis reb. prouidere coegit. Rhea Syluia, quæ Ilia dicta fuit: Numitoris filia in tēplo Vestæ virgo est dedicata, quam postea Mars arripuit a ludis * Consularib. Sabinorum: & ex ea Remū & Romulum generauit: quos eo quod sacrilegō concubitu genuisset in ripa Tiberis abiecti sunt: matrem vero incendio consumpsērunt, vt iustitia eius temporis exigebat. Pastor autem de gregib. regis, Faustulus nomine, cum paruulos expolitos in ripa fluminis inuenisset

f. Consularib.

ad Accam Laurentiam vxorem suam detulit nutriendos: verum quia Acca erat pulcherrima & sui corporis liberalis infami lucro pecuniis abundabat: & ob impudentiam lupa ab indigenis dicebatur, & tuguria, quæ turpi commercio faciebat, à lupa lupanaria fuerunt dicta. Cum autem Remus & Romulus adolefcent prædæ & latrocinii crudelibus studiis se dederunt: & similibus conciliabula asciscentes cœperunt cum sua multitudine præualere, & Albanorum ciuitatem ingressi regem Amulium, qui Numitorem auum eorum maternum de regno expulerat, peremerunt: & Numitorem regno restituerunt. Remus autem & Romulus cum essent annorum octodecim, ciuitatem modicam ædificauerunt in monte, qui dicitur, Palatinus. Cumque ad eos adueniret multitudo maxima populorum, vt in populos crescerent potiores, cogitarunt templum immunitatis construere, ad quod veniens quilibet saluaretur, & propter tantæ impunitatis asylum ad hoc templum iniuriosi & rei ex omni Italia veniebant: cumque in tanta multitudine non conclusa nullius ordo iudicii seruaretur, statuerunt vrbis ambitum dilatare, vt muro quantumlibet modicum eleuato, qui alias quam per portam præsumeret introire, mortis sententiæ subiaceret. Primo igitur anno Achaz regis Iudæ XI. Kalend. Maii, Remus & Romulus Romæ vrbis primum posuerunt, & vsque ad apoditionem muris in circuitu vix erectis, Remus plebiscitum fratris & populi non attendens, vt agilitatem ostenderet, murum inscius insiluit, & scandalo in populo excitato omnis transgressionis iniuriam causabantur: sed Fabius qui erat Dux Romuli eius consilio persuasus Remum morti concione habita, condemnauit, & pastorali rastro distractus: continuo expirauit, anno tertio ab V. condita: cui præuaricatio & fraterna factio causam dedit: de quo poeta Lucanus:

Fraterno primum maduerunt sanguine muri.

De Creatione Senatorum, & militum: & Regibus Romanorum.

C A P V T V.

TVM Romulus centum senes elegit, quorum consilio crescentis vrbis negocia procuraret: & quia senes, dicti fuerunt exinde Senatores: & alii eos Patres vocabant. Post hæc quia bellis indefinentibus à vicinis gentibus tentabantur, elegit mille de his qui clariore in populo habebantur, vt inimicis insultibus militari resisterent apparatu, & quia à millenario inceperunt, tali officio deputati Milites appellantur: cumque tam ipsam quam vrbis populum vxorum inopia minoraret, Sabinis festiuitatem agentibus & vxores & filias ad gaudia deducuntibus, in eas insiluit Romulus cum suo pro populo ciuitatis, & iuxta placitum apprehensas iocunda spolia reduxerunt. Tunc omnes principatus Italiæ Sabinorum dedecus proprium reputantes, cœperunt contra Romanorum potentiam dimicare: sed Romulus cum sceleratorum multitudine superauit. Cumque ex vicino Romanis & Sabinis insidiæ pararentur, & Romulus plus quieti quam periculis inhiaret, amicitiam cum Romanorum duce Tito Tatio procurauit, vt in Sabinis ita Romulus cum Tatio conregnaret, & Sabinorum vnus essent populus cum Romanis, & vt Romani sibi agnomen imponerent à Sabinis, & Sabini similiter à Romanis: & quia longa hasta lingua Sabinica Quirita dicitur, Quirites Romulus fuit dictus: à quo & alii Romani Quirites. Hic Romulus sceleratorum manum promissa impunitate collegit, Numitorem auum maternum quem regno restituerat, vt regnum arriperet, interfecit: Amulium fratrem aui extinxit, Remum fratrem parricida occidit: socerum in templo vita priuauit Titum Tatum amicitia fœderatum fallax peremit. Itaque regnum aui, murum fratris, templum soceri, fidem amici sanguine maculauit. Regnauit autem annis XXXVIII. & cum ad quintum paludem, quæ Caprea dicitur, abiisset, quo interitu absumptus fuerit ignoratur. Hic templa & muros vrbis extruxit. post mortem eius Senatores quibus diebus vsque ad vnum annum rexerunt populum ciuitatis, & iste annus dictus est interregnum: post hunc annum regnauit NUMA POMPILIUS. Iste fuit vir sapiens & in regimine circumspectus, cumque vidisset homines à iustitia aberrare & post vitia euagare cum intellectu, Naturæ inuisibilia præcepisset & intellexisset diuinam essentiam à loco aliquo nõ abesse, docuit homines locum quemlibet proprio Deo regi vt præsentiam numinis metuentes vbique à vitiis abstinere: quod tamen fuit ad idolatriæ incrementum. Exinde enim dicti fuerunt diis orti, diis nemoris, & cetera numina certis spiritualia vocabula habuerunt. Hic prius inuenit monetâ & numos à suo nomine appellauit, & expletis in regno quadraginta

Numa Pompilius.

ginta vno annis vitam finiuit. Eius tempore Pythagoras Philosophus celebris habebatur. Post hunc * Tullius Hostilius regnauit annis xxxi. Hic inter reges Romanos falcibus & purpura fuit vsus: & urbem addito monte Cælio ampliavit. Hic cum domo sua ictu fulminis fuit vltus. Huius tempore Pausanias rex Spartanorum condidit Byzantium ciuitatem, quæ à Constantino Imperat. postea ampliata Constantinopolis fuit dicta. Post hunc regnauit ANCVS MARCVS annis xxvii. Huius tempore Massilia fuit condita. Post hunc SERVIVS TVLLIVS annis xxiv. Huius tempore Nabuchodonosor cepit Hierusalem & templum incendit. Post hunc regnauit *Tarquinus Superbus* annis xxxv. & fiunt per reges ab vrbe condita anni cc. xli.

Tullius Hostilius.

De creatione Consulum Romanorum.

CAPVT VI.

ET cum propter insolentiam Tarquini Superbi Regis Roman. Senatui populoque Romano regum præ eminentia displiceret, Consules elegerunt, qui sua sapientia statum Reipubl. gubernarent: quorum regimen cccc. xl. tribus annis legitur durasse. Primi Consules fuere Brutus & Collatinus: post hæc Decemviri constituti. Post hoc Camillus Cos. post hunc Quinctius Dictator: post hunc Papirius; post hunc Manlius & Regulus: post hos P. Cornelius Scipio: post hunc Fabius Maximus Dictator. post hunc L. Æmilius Paulus & P. Varo. post hunc Marius & Cn. Mallius. post hunc Sylla post hunc M. Tullius Cicero post hunc Pompeius & Brutus & Crassus: post hos C. Cæsar solus, Hi singulis annis Reipub. prouiderunt, per annos cccc. xliii. & hi omnes insignia aliqua peregerunt, & suis temporibus multa alia sorte varia acciderunt prælia Alexandri temporibus: Scipionum temporibus bella Punica cessauerunt: temporibus Marii Iugurthinum: temporibus M. Tulli Catilinarium, de quo Iuuenalis:

Claudius accuset mæchos, Catilina Cethegum.

Res ergo publica cccclxiii. annis felici regimine adoleuit, & plurima bella gessit, anno cccci. ab V. C. potestas Consulum fuit tradita Decemviris & censu habito inuenta sunt cxviii. millia, & ccxix. capita ciuium Romanorum. Anno ab V. C. cccxlii. Galli Senones duce Breuio inuaserunt, & totam excepto Capitolio incenderunt, & plurimos trucidantes sex mensibus vastauerunt, & eos qui ad Capitolium confugerunt, obsederunt, eosque fame, peste, desperatione & formidine subiecerunt, & mille libras auri pro quolibet precium statuerunt. Anno ab V. C. cccc. Philippus filius Amyntæ, pater Alexandri regnum Macedonum est adeptus & xxv. annis regnauit. Tum clarissimus Alexander gurgis excidiorum Philippi filius fuit natus, Aristotelis ætate annum xviii. tunc agebat. Anno ab V. C. ccccxxxvi. Alexander patri Philippo successit in regno.

De Annibale & Asdrubale regibus Poenorum, & destructione Seguntia & strage Romanorum.

CAP. VII.

ANNO autem ab V. C. ccccxxxiii. à creatione vero Coss. anno cccxciii. Amilcaris rex Afrorum, qui de genere Annæ sororis Didonis processerat, antiquum dedecus reminiscens filium suum nonum annum ætatis agentem fecit iurare, vt cum primùm ad ætatem potentia perueniret Romanos pro viribus infestaret nec vnquam pacificus illis esset: qui cum ad ætatis suæ vicesimum peruenisset cepit Hispanias infestare, & multis cædibus laceratas fere suo imperio subiugauit, & Seguntiam nobilem Hispaniæ ciuitatem, Romani populi, tunc amicam, quæ nunc Medina Celim vulgariter appellatur, in odium Romanorum obsidione diutina coartauit: & tam diu oppugnationibus lacerauit, vt cogerentur cibos vetitos attentare, quibus fere deficientibus, fame non prælio laceffiti, patres imbelles, mulieres, & paruulos peremerunt, ne vitæ seruati serui fierent, quos libertatis titulus hæcenus adornarat. Demum ipsi prælio se dederunt, & plures ex obsessores occiderunt, & extincti ab hostibus cum extinctis patribus liberi decesserunt: de quibus Tullius in Paradoxis: *Numquid Seguntini parricide fuerunt, qui patres suos liberos emori, quam seruos viuere maluerunt.* De hoc & Iuuenalis. Pugna Seguntina, itaque iam euerfa montes transgreditur Pyrenæos nouem diebus inter gentes ferocissimas Galliarum labore maximo ad plana Italiæ pertransiuit, multo exercitu circumseptus, cui occurrit Consul Scipio cum exercitu Romanorum. Iste fuit Scipio genitor magni Scipionis: cumque

iuxta Ticinum cœpisset exercitus dimicare, pugna inferior, cæsus est fere totus exercitus Romanorum: postea autem Scipio Romam rediens restaurato exercitu infaustis præliis sæpius iteratis cum Annibale est congressus: sed in omnibus inferior est inuentus. primo vt dixi apud Ticinum, secundo apud flumen Ticinum, tertio circa idem, quarto apud fluuium Sarnum: in quo oculum ictu amisit: quinto apud Trasymenū lacum: sexto apud Cannas Apuliæ vicum, vbi ex Romanis 54. millia ceciderūt, & Varro Cos. cum quinquaginta equitibus Venusium fugiens vix euasit.

Item de victorijs Annibalis & Asdrubalis: deq; victorijs Scipionis.

CAPVT VIII.

ANNO ab V. C. 10 XL. ætatis vero 27. Annibal rex Poenorum in signum victoriarum tres modulos annulorum, quos ex digitis præciderat Romanorum Carthaginem destinauit: Et tunc Roma bellis plurimis intercepta, quinque principaliter sumpsit bella: vnum in Macedoniam, contra Philippū; aliud in Sardinia contra Sardos: aliud in Sicilia, in quo Claudius Marcellus obtinuit Syracusam: aliud contra Annibalem, à quo Italia premebatur: aliud contra Asdrubalem fratrem eius, qui illud modicum quod in Hispanias vix euaserat ab Hannibale omnia deuastante, quasi erucæ, bruti, atelabi & locustæ, pestilentia consumebat. Contra quem Coss. exercitum repararunt, & missis fratribus Scipionis cum exercitu Asdrubali aduenerunt. Ille autem, vt erat pertinax, illis occurrens, victus prælio interfecit, cæsis ab exercitu multis millibus Romanorum. Hi autem qui euadere potuerunt, fugerunt ad municipia Romanorum quæ iam in Hispaniis possidebāt. Asdrubal autem in Hispania desidens, vt locusta quod residuum fuerat deuastabat. Ciues autem Romani desperationis voragine iam absorpti de auxilio desperabant, eo quod Roma sic ab Annibale esset pressa, vt potius cedere quam resistere cogitarent. Verum Scipio adolescens 24. natus annos patrem & patruos cupiens vindicare, ab vrbe ad mare meatus subterraneos fecit fodi, per quos Romani improuisis in statione nauium aduenerunt, & de exercitu custodiæ nauium deputato, pluribus interfectis cum apparatu & nauibus in Hispaniam nauigauit, & applicatis ad littus citerioris Carthaginis eam cepit, & procedēs contra Asdrubalem, victum strenue effugauit, & vsque ad 80. ciuitates & oppida, aut deditione aut bello Romano dominio acquisiuit: & fere tota Hispania suis victorijs incuruata Romam rediit cum triumpho, vbi ad consulatus apicem eleuatus, continuo disposuit in Africam transfretare, ducens secum exercitum copiosum, vexillis & insignijs gloriosum.

De destructione Carthaginis per Scipionem.

CAP. IX.

CVmq; Carthaginenses vela venientia eminus prospexissent, iocundo occursum demum flebili occurrerunt, putantes Annibalem Romanis domitis cum victoria aduenire, sed re votiua in contrarium accidente, Hāno qui vice Annibalis præerat Africanis, capessere cœpit arma, vt resisteret venienti: sed bello acerrimo interceptus, ipse cum cæsis occubuit interfectus, & prostratis incolis pluribus interfectis, pluribus captiuatis, obsidione Scipio Carthaginem circumclusit. Obsessi autem verentes euerfionem Asdrubali nunciarunt vt fratris copiis iungeretur & ambo fierent obsessæ Carthagini in succursum. Asdrubal autem procuratis auxilijs Hispanorum & aliquibus Gallorum cœpit ad Annibalem proficisci, sed à Romano exercitu Annibale ignorante, in Liguria est præuentus: & capite mutilatus. Caput autem eius Romani ferentes ante castra Annibalis proiecerunt. Quod videns Annibal, & Pœnorum cognita tempestate, deliberauit Africæ subuenire, & eiulans & iuratus reliquit Italiam, anno XXII. quo eam cœperat obtinere, & nauigans in Carthaginem Scipioni se obtulit improuisus: & bello grauissimo inchoato pars Annibalis est prostrata, cæsis & interfectis fere omnibus qui cum Annibale aduentarant. Annibal autem inter discrimina concertantium vix euasit, & in Bythiniam fugax venit: vbi à Romanorum exercitu iterum impetitus desperatis rebus veneni poculo se necauit. Scipio vero post totam fere Africam subiugatam, imo verius deuastatam, iteratam obsidionem Carthagini reparauit, & eam diutinis sedibus oppugnauit, & tot incurfibus lacerauit, vt deposito principatu potius eligeret destrui quam rediuiuis calamitatibus referuari. Cœpit itaque ciuitatem & solo dirutam adæquauit, & incensam rededit in cinerem & fauillam, habentem à conditione sua DCCXXXVII. annos, & dies XVII. & sic euenit vt non tantum præsentia, sed in ea futura bella deleret, & exinde dictus

Carthago euerf.

Stus fuit Scipio Africanus: Et regno deleta facta est Africa prouincia Romanorum: & bello duplici gloriosus Pœnico videlicet & Hispano Romam reuertitur, de nobilioribus Carthaginis secum ducens: quos libertati donatos in regionem Transiberim collocauit, & in ciues Romanos à Senatu & populo sunt recepti: quorum progenies adhuc hodie suam originem recognoscunt. Duxit etiam Terentium Comicum qui libertatis adeptæ, suscepto pileo, titulum præferebat. Verum quia gens Hispana quiescere nescia, rebellionem contra Romanos denuo suscitauit. iterum veniens Scipio Africanus maiora prioribus exterminia restaurauit, & iterata rebellio iterata supplicia degustauit, & cædibus & incurfibus sic totam Hispaniam deuastauit, * & cædibus Herculis pro dulce-
 10 dine memorarent. Demum cum per omnes Hispaniarum angulos discurreret consumendo in finibus Gallicæ morte propria est consumptus, & ibi sepultus in tumulo, qui adhuc exstat inscriptus: *Tumulus Scipionis*. De laudibus Scipionis Tullius libro de Amicitia eleganter; eum commemorans virum multarum fuisse virtutum, & à C. Lælio Scæuolæ focero multipliciter commendatum: & præcipue in liberalitate & curialitate: in iustitia & pietate in fide amicitia & studio Reip. & inter ceteras eius laudes dicit quod Consularis dignitas ei accidit ante tempus, sed reip. pæne sero venit: & quod duas Carthagines inimicas reip. euertisset.

De Pompeio & Iulio Cæsare.

CAPVT X.

20 DEMVM cum Pompeius Consulari præminetia fulgeret, nolens Hispania obductis cicatricibus respirare, profectioem in Hispaniam procurauit, & quod euaserat à gladio Scipionis consumens feralitas dissipauit, obtentisque munitionibus & incolis subiugatis Sex. & Pompeium filios cum aliis nobilibus Romanorum præfecit reliquiis Hispanorum. Ipse vero Romam rediens pro obtenta Hispania gloriosus parem non poterat sustinere. vnde & Lucanus:

*Nec quemquam sufferre potest Cæsare priorem,
 Pompeiusve parem.*

30 Ex aduerso autem C. Iulius Cæsar eius gener, qui ab Ænea per Iuliam familiam descendebat, priorem non poterat tolerare: & hoc discidio Respubl. conturbata variis studiis traheretur: & quia Pompeius iam Hispaniam subiugarat, cœpit aspirare ad imperium Orientis. Iulius autem cum multis fautoribus abundaret, cœpit Pompeii propositum impedire, & sæculi singulare dominium procurare, sed moderatione aliqua mediente. Iulio Cæsari III. prouinciæ fuerunt specialiter adsignatæ videlicet Gallia Transalpina, in qua sunt Mantua & Verona, Brixia, Bergomum atque * Cuma: quæ olim à Gallis occupatæ Cisalpina Gallia est vocata: nec non & Gallia Comata, quæ à Gallis Gothicis & Vasconibus habitatur. Verior tamen antiquorum historia protestatur, non ab alpibus Cæsaris sed alpibus, quibus Lugdunia & vltior Gallia separantur, Cisalpinam & Trans-
 40 alpinam Prouincias esse dictas: & videtur esse probabile, eo quod Cæsar Iulius Gallos & Germanos, & etiam Britones quibus incognitum nomen exiterat, Romanorum tributarios fecit esse: & inde Romam rediens gloriosis acclamationibus est receptus, sed audiens Põpeio accrescere prospera in partibus Orientis, ipse Tyrrena littora penetrauit, vt Pompeius prospera perturbaret. Cumque Dyrrachium aduenisset, qui iam Pompeii imperio seruiebat, aduentus Pompeii accidit ex aduerso: & cum collatis signis bella mutua efferuerent, Iulius inferior est repertus, vt Paulus Orosius attestatur: qui cum pedis retrograda vestigia ignoraret, ad eam quæ Thessalia dicitur, prouinciam se conuertit: in qua Pompeii potentia specialibus effloreat: & reparato exercitu cum his qui in Scythiam nauigarant, cum pro Pompeio iterum in campis Emathiis concertauit: sed quia Pom-
 50 peius ante ista in Hierusalem templum Domini profanarat: qui hactenus fuerat victor, miserabiliter fuit victus: & inde fugiens in Thessaliam anno XII. ante æram conditam, scilicet nono anno ante regnum Octauiani Augusti reparato exercitu, bellum etiam reparauit, & in hoc exercitu Gothi, Æthiopes, Iudæi, Persæ, Medi, Græci, Armeni, Scythæ, ac reliquæ Orientis gentes in Pompeii auxilium aduenerunt. Cumque ad inuicem discerassent, Gothi ceteris fortius restiterunt: quorum Cæsar virtute & copia conturbatus, fertur fugæ ignominiam cogitasse, nisi noctis subsidium timori prælio succurrisset, & sequenti die metu in inuicem comparcito, exercitus ab inuicem recesserunt. Tunc Cæsar ait: Nec Pompeium scire vincere, nec Cæsarem posse vinci. Nam si Pompeius vicem nosset, hodie cum tam asperimis raris Cæsarem superasset. Sed paucis diebus postmo-

Tomus II.

R

dum interiectis impatientia cupidæ potestatis bella ciuilia reparauit, & victus Pompeius à solita victoria alienus, & à Theffalia effugatus iuit ad Ptolomæum Dionysium Regem Ægypti auxilium petiturus: sed vt erat versutus timuit: quod si tantum principem liberaret, posset in sui exterminium redundare. Romani enim, quos primo amicitia allexerunt, in seruitutem postmodum redegerunt, & cum Pompeium ad conuiuium inuitasset, inter epulas interfecit. Iulius autem Cæsar Pompeii fugam magnanimitèr insecutus, regnum adit Ptolomæi & audiens Ptolomæus, timore sollicitus prætendebat se causa Cæsaris hoc fecisse: & regnum Cæsari promittebat, & ad familiares delicias inuitabat, vt sic Pompeiũ, sic dolo Cæsarem faceret interire. Sed Cæsar oblata fidei fœdera recusauit, suspitione calumnians Ptolomæum. Ptolomæus autem intelligi se coniciens, contra Cæsarem mouit ¹⁰ bellum: sed Cæsaris victoria comprehensus, mortem sustinuit: quoniam paratam. Hic Cleopatra. Ptolomæus habuit filiam Cleopatram, & filium Ptolomæum. Cleopatra autem patre occiso fratri nupsit, vt regni particeps conregnaret: sed cum Cæsar Alexandriam obsedisset, occurrit ei fratrem virum moliens defraudare, & per speciem & stuprum regnum sibi & ¹⁰ necem fratri à Iulio Cæsare impetrauit. Cæsar autem negociis * Scythiæ ordinatis, & nepotes Pompeii & filiam Pompeii iussit occidi, & Alexandriæ intrans mare, aura placida venit Romam, & factus est Cæs. quartum; vbi aliquandiu demoratus, & statu Reipubl. ordinato in Hispaniam est profectus contra Cn. & Sex. Pompeii filios pugnaturus, & septimo die quam urbem exierat peruenit Segunthum, Hispaniæ oppidũ, quod nomine mutato dicitur nunc Almanarum, & patet ex eo quia vallis eiusdem oppidi vallis Segunthi ²⁰ ab antiquo nomine nuncupatur: quia si de Segunthia ciuitate vel Medinam Celim, quæ creditur fuisse Segunthia, propter magnitudinem & ædificiorum vestigia quæ apparent, quantumlibet veloci nauigio possibile vix videtur. tamen antiqui libri habent. xv i i. die peruenit Segunthum in Hispaniis plurimis cædibus discurrebat, vt dicit Lucanus:

*Cæsar in arma furens nullas, nisi sanguine fuso
Gaudet habere vias.*

Et Bruto sub eo Massiliam impugnante, cum Iulius Cæsar venisset Ilerdam, qui intus ³⁰ inerant, restiterunt. Pe reyus enim Afranius sub Pompeio in Hispania conregnantes, eam armis communibus tuebantur: sed plurimis hybernarum inundationibus pluuiarum Sycoris intumescens latitudine non sueta distulit diu bellum. Vt autem tertia serenitas densitatem nubium effugauit, & fluuius rarius intra fines aluei se recepit, Cæsar amnem ³⁰ classe viminea pertransiuit & dictos duces ad opes finium * montanorum fuga celeri festinantes cursũ promtissimo præpedi ut: & eisdem cum suis exercitibus vniuersis intra cuiusdam arentis vallis angustas coartauit, vt siti acerbissima tam duces quam exercitus perurgente, vitam propriam at horrentes, Martem laceffere tentauerunt: vt sitis acerbissimam mortis compendio terminarent. Quod Cæsar intelligens, eis honestam mortem sagaciter deuiauit, suos ab omni conflictu pertinaciter cohibendo, donec hostibus tepesceret ira feruor, & animis languentibus arma dimitterent, & submissis signis imperio Cæsaris se offerrent. Quo peracto duces miserabiles meruerunt à Cæsare impetrare, ne in partes ⁴⁰ de cetero traherentur, sed solum essent bellorum ciuiliũ spectatores; quod etiam in eiusdem Lucani lib. vi. tangitur, vbi dicit:

*Non Vtica, Libya clades, Hispania ne ...
Fleffet,*

Inde procedens aduersus filios Pompeii & T. Labienum, & Accium Varum: plurima varia sorte bella gessit. Interim autem infelix Hispania, quidquid principes delirabant, misera plectebatur. Vltimo autem Cæsar cum Pompeianis iuxta Mundam fluu. est congressus & adeo fuit acriter dimicatum vt imminentis mortis præuenire supplicium cogitaret, cum videret exercitum cedere Pompeianis: & qui iam quinquaginta sex annis ⁵⁰ victor exstiterat, in manus hostium nõ veniret: sed populo suo ad se reuerso pugnam fortius restaurauit, & Sex. fil. Põpeii maior fugiens interfectus: Cneus cum centeno milite vix euasit. T. Labienus & Accius Varus, vita & fugæ subsidio caruerunt. Faustus & Sylla iubente Cæsare trucidantur, semetipsos T. Torquatus & Scipio iugularunt, Cato fautor Pompeii ne Cæsari subiaceret, audita strage apud Vticam se occidit. Munda ciuitas immensa cæde hominum cruentata oppugnante... Quod fuerit Munda ciuitas ignoratur: Ab aliquibus dicitur esse Conimbria quæ à Mundego flu. dicta Munda. postea à Cæsare Conimbria fuit dicta, eo quod incolæ acri pugna ciuitatem Cæsari coniuuerunt: vnde & à Conniuentia Conimbria nomen habet, & Mondego dicitur, quasi ⁵⁰ Mundam

Mundam agens. Alii relationibus inhærentes dicunt Mundam eum fluuium quem nunc dicimus Durationem, & septem publicam esse Mundam: quæ primo dum à septem publicis mulieribus, quæ eam primitus habitauerunt: septempublica fuit dicta. Lector eligat quibus credat. Cæsar itaque de bellis ciuilibus quatuor annis in Hispania gestis, Romam rediit. In isto reditu à Senatorib. occidendus: & Hispania flebilis remansit omnium trans eum pedibus concultata, & variorum præsidum tyrannide lacerata.

Septem publica Grbs.

f. trāscentiū

10 Ioannes Gerundēsis etiam ait Rodericum historicum incipere ab Hercule, vt hic.

Prologus in *Historia Hugnorum, Vandalorum, Sueuorum, Alano- rum, & Silingorum.* Hinc:

Prologus in *Historia Ostrogothorum.* Post: *Historia Arabum Roderici Ximenes*, cuius & hæc esse puto: vt & lib. 1x. *Gothica Historia*, qui vulgo *rerum Hispanicarum Chronicon* inscribuntur: Ex M. S. Cod. antiq. Toletano, in quo hoc ordine hæc leguntur: non vt in editis. Toleti C. 10. 10. LXXXIII.

Andreas Schottus.

20 PETRI PANTINI DE DI-

GNITATIBVS ET OFFICIIS REGNI AC DOMVS REGIÆ GOTHORVM.

COMMENTARIVS.



30 PERÆPRECIVM nos facturos existimauimus, si Commentarium hunc de dignitatibus, ac Palatinis officiis, aliisque inferioris ordinis muneribus Gothorum contexeremus. Quod videamus rem cognitione non indignam, & plurimum lucis historiis Hispaniæ, & subscriptionibus virorum ex officio Palatino Conciliisque ipsis & legibus allaturam.

D V X.

40 I N T E R præcipuas Palatinorum dignitates, Dux apud Gothos semper primum locum obtinuit, vocaturque à Iustiniano spectabilis dignitas; cuius, vt vis nominis ostendit, id potissimum munus erat, vt in prouinciis, bello ducendo gerendoque præficeretur. Vnde Germani ex nobilitate Duces, & ex virtute sumebant, ad illosque in illa prouincia summa rerum deferebatur. Is enim fuit Gothorum mos, Paulo Æmilio teste, lib. 50 i. histor. Franc. in Chereberto, cuiq; vrbi Magistratum dare, qui Dux appellaretur. Eum autem quem Romæ præficebant, vocabant Præsidem. Hinc Dux Tripolitanae, & Bizantinae prouinciæ, & Mauritanæ, ac Numidiæ, lege final. Cod. de offic. Præf. Prætor. Sic etiam Dux Roethici apud Vopiscum in Bonolo, & Dux limitis Scythici Illyriciani, Thracii, & Orientalis apud eundem in Aureliano. Ita & Claudius, sub Witterico, Dux Emeritensis; Paullus, sub Wamba, Dux Narbonensis. Patet id ex Cassiodoro libr. 7. in formula Ducatus Rhoetiarum, his verbis. *Ideoque validum te ingenio, ac viribus audientes, per illam inductionem Ducatum tibi credimus Rhoetiarum; vt milites & in pace regas, & cum eis fines nostros solenni alacritate circumceas. Quia non paruam rem tibi respicis fuisse commissam, quando tranquillitas regni nostri tua creditur sollicitudine custodiri. Ita tamen, vt milites tibi commissi viuant cum Prouincialibus iure ciuili: nec insolescat animus qui se sentit armatum: quia clypeus ille exercitus nostri quietem debet præstare Romanis.* Et libro primo Cod. de officiis Præf. Afric. leg. 2. mandat Iustinianus Ducem in Sardinia ordinari, vt gentes barbaricas ab ea, militibus suis arceret, prouinciamque ab omni hostium incurso tueretur illæsam. Habebat etiam Dux cum belli muniis, ciuilem administrationem coniunctam; idque cum ex aliis, tum ex Cassiodoro colligere licet apud quem libr. 4. variarum, Theodoricus Rex Ibbæ Duci in hunc modum scribit. *Præsenti tibi auctoritate præcipimus, vt possessiones Narbonensis Ecclesiæ, secundum præcelsæ recordationis Alarici præcepta, à quibuslibet peruersoribus occupa-*

ta teneatur, aequitatis facias contemplatione restitui. Quoniam versari nolumus in Ecclesia dispendio præsumptiones illicitas: dum nostra deceat tempora, sedare confusa. Esto contra talia omnino sollicitus: ut qui es bello clarus, ciuilitate quoque reddaris eximius. Sic & arma tua, Deo iuuante, corroboras, si iustitiam mediocribus seruare contendas. Improbis enim potuisse resistere, non prauales excusare; quando omnes tibi libenter cedunt, quem gloriosum in bellorum certamine cognouerunt. Idem etiam Cassiodorus indicat libro primo Variarum, vbi Theodoricus Rex Seruato Duci Rhetiarum scribens epistola vndecima iubet, vt mancipia, quæ Maniaro cuidam à prædonibus ablata ferebantur, sua auctoritate, sine mora curaret restitui. Et libr. 5. epistol. 33. Wilitancho Duci Theodoricus Rex expresse mandat, vt in adulterum Brandilam, secundum legum præscripta inquirere ne differret. Constat id ipsum ex 10 legum Wisigothorum libro 2. titul. 1. leg. 17. qua cauetur, vt Dux prouinciæ, eos, qui non accepta potestate ausi sunt iudicare, acriter per se, vel per alium coerceat. Et lege sequenti iubetur Episcopus qui honore Sacerdotali fretus, admonitionem iudicis contemnens, pro persona sua assertorem dare distulerit, confestim à iudice negotii, seu à prouinciæ suæ duce, vel Comite compulsus, quinquaginta solidorum damnum excipere. Atque hæc de Ducis officio dicta sufficiant. Post quem in dignitatis ordine Comitum proxime honor sequebatur. Sic Cicero in Lælio de amicitia, loquens de Scipione ait: facile duces populi R. non comitem diceres.

Comes.

COMES, vt Spartianus est auctor in Adriano, inde fluxit; cum enim Adrianus Senatum in aulam suam transtulisset, receptis Senatorum optimatibus in amicorum cohortem, quæ superiorum Imperatorum temporibus constare solebat ex equestri ordine, non Senatorio, ita domesticum quemdam Senatum penes se habere cœpit: qui quoniam is continuatis pene delectaretur peregrinationibus, Comitatus Cæsaris dici cœptus est; & ipsi amici, Comites: eorum consiliis, atque ope in bello & pace vsus. Inde Comites largitionum, rerum priuatarum, & ceteri, dicti sunt. Et non solum ii qui personam principis sequebantur, & officia in aula exercebant Comites dicti sunt; ceterum & alii ita appellati, qui ad administrandas, vel regendas prouincias & Respublicas mittebantur, & ad regni limites custodiendos; qui Comites rei militaris dicuntur; qualis fuit Ristanus domesticorum Comes, qui ad Gallos missus fuit, vt refert Gregorius Turneb. libro 2. histor. capite 10. Vnde Verus Imperator, vt Iulius Capitolinus est auctor in Ver- 30 ro, confecto bello, Regna Regibus, prouincias vero Comitibus suis dedit regendas. Extat in iure titulus de Comitibus, qui prouincias regunt libro 11. C. titul. 14. Illud animaduersione dignum, quod antiquitus creabantur Comites annulo tradito cum adamantis gemma: apud Hispanos vero aliter, cffa in aquam iniecta, inuitatus à Rege comedebat, populo ter acclamante, *Dua del Conde*. Non abs re erit ponere quod à Cornelio Frontone grammatico dicitur de Comite: *Comes iter facit; Assella sequitur potentiorum; Sodalis adolescentia nomen est; Cliens implorat opem & fidem. Ita Comes tutus; Assella officiosus; Sodalis amicus; Cliens submissus.* De Comitibus etiam in prima Part. Regis Alfonso titu. primo leg. vndecima. cautum, nomenque deductum video, & à D. Thoma 1. de regimine Principum. Et sicut Ducis in bello, sic Comitum potissimum in pace, ciuili- 40 que administratione elucebat officium, (erat enim maior dignitas Ducatus, quam Comitatus, & ideo ex Comitatu fit erectio in Ducatum, pro magno munere, sicuti ex Duce in Regem:) quorum tamen neutri ita adstringebatur, quin vtrunque simul cum res ferret, per se vel per alios administraret. Prioris apud Cassiodorum libro septimo in formula Comitum Gothorum per singulas prouincias, illustre extat exemplum, ad hunc modum. *Cum Deo iuuante sciamus Gothos vobiscum habitare permixtos; ne qua inter consortes, vt assolet, indisciplina nasceretur, necessarium duximus illum sublimem virum, bonis nobis moribus hætenus comprobatum, ad vos Comitem destinare. Qui secundum edicta nostra inter duos Gothos litem debeat amputare. Si quod etiam inter Gothum & Romanum, natum fuerit fortasse negotium, adhibito sibi prudente Romano, certamen possit aquabiliratione distinguere. Libro 50 etiam legum Wisigothorum, & titulo secundo leg. duodecima ita cauetur. Nullus iudex causam audire præsumat, quæ legibus non continetur; sed Comes ciuitatis, vel iudex, aut per se, aut per e- xecutorem suum conspectui Principis vtrasque præsentare partes procuret, quo facilius & res finem accipiat, & potestatis Regia discretionem tractetur, quatenus exortum negotium legibus inseratur. Lege etiam decimaquarta libro & titulo iisdem, ostenditur, Comitem per commissoriam, aliis iudicibus, quos sub se habebat, iudicandi suas vices posse concedere. Quorum iudicium tanta erat auctoritas, vt querelantis aduersarium, (ea sunt legis verba) admonitione vnus epistolæ vel sigilli, ad iudicium venire posset compellere, grauesque multas*

multas

multas, id facere per negligentiam, aut contemptum differentibus, inferre. Liquet id ex leg. decima octava libro & titulo citatis. Si vero iudex in officio suo, per negligentiam, aut quod munere corruptus esset, cessasse deprehenderetur, à Comite ciuitatis acerbissime castigabatur. Habes exempla libro tertio legum Wisigothorum titulo quarto leg. decima septima. Quod si Comitem à ciuitate sua abesse contingat, relinquebat suo loco PRÆPOSITVM, qui si quid grauius, quod ad Comitum relationem, iurisdictioneue pertinet, emerisset, id Comiti statim per litteras indicabat; vt liquet ex leg. quinta titulo secundo libro nono legum Wisigoth. Atque hic ni fallor est, qui libro secundo legum Wisigoth. tit. primo leg. vigesim. tertia. VICARIVS COMITIS ^{Præpositum Comitum.} appellatur; qui absente eo, vice eiusungebatur; à quo, si forte quis eum suspectum habuisset, licebat apud Principis audientiam, alium iudicem appellare. Atque inter hanc ciuilem administrationem, bellica etiam munia procurabat. Habebat enim Comes, præsertim, qui ciuitati, aut portui, siue alii loco, cui ab hoste periculum timeri posset, præficeretur, sub se milites, quibus ad subita belli semper paratus occurreret, videretque ne quid Respubl. detrimenti caperet. Quod ex Cassiodoro libro sexto formula Comitum discis. *Militum, inquit, numerus tibi nostris seruit expensis. Redderis inter arma genitatus: processio tua, procinctualis ornatus est: exercitu vteris pacato; nec pericula belli subis, & armorum pompa decoraris. Verum inter hæc, ciuilem cogita disciplinam: non permittas milites esse possessoribus insolentes. Et infra: Pro securitate se omnium cognoscat electum, qui se gloriatur habere armatum. Et formula Comitum Neapolitanæ: Prætoria tua officia replent; militum turba custodit. Sed tot testes pateris, quot te agmina circumdare cognoscis. Præterea littora vsque ad præfinitum locum data missione custodis. Et apud eundem libro primo. Theodoricus Rex Apsio Comiti iniungit, vt militem necessariis armis instruat. Illustris, (inquit) sublimitas tua Solonitanis militibus, vt cuique se expediendi facultas obtulerit, pro nostra missione arma necessaria procurabit.*

Porro tantam in rei militaris administratione auctoritatem obtinebat, vt cum in causis ciuilibus ei VICARIVS PRINCIPIS (eum intellige, qui principis vice fungitur) præferretur; in bellicis negotiis hic eidem anteponebatur. Cod. libro primo titulo trigesimo octavo leg. prima. & hætenus quidem breuiter de Comitum officio in genere egimus. Nam alia multa eidem incubuisse munera, ex nominum, quæ ei adiunguntur, varietate, facile cognoscitur. Fuit enim Comitum tam generalis appellatio, vt quicumque à Principe insigni alicui officio præficeretur, ab eo fere Comes nuncuparetur. Idque ex Cassiodoro, Ammiano Marcellino, Eutropio, aliisque posterioris æui, atque inclinatæ iam, prostratæque Reipublicæ Romanæ scriptoribus, aperte est cognoscere. Quos omnes, ne prolixus sim, missos faciens, eas duntaxat Comitum species recensebo, quas à Gothis nostris, hoc est qui in Hispania rerum potiti sunt, vsurpatas inuenio: vbi tamen prius illud adiecero, quod Carolus Magnus decreuit leg. secunda Regum Franc. cap. 6. de Comitum studio & diligentia pro vtilitate Ecclesiarum conseruanda; quod vtinam nostris temporibus Galli prospicerent, vt ad meliorem mentem, diabolica fraude decepti redirent. *Vobis, (inquit) Comitibus dicimus, vosque commonemus, quia ad vestrum ministerium maxime pertinet, vt reuerentiam & honorem sanctæ Dei Ecclesie exhibeatis, & cum Episcopis vestris concorditer viuatis, & eis adiutorium ad suum ministerium peragendum præbeatis, & vt vos ipsi in ministeriis vestris pacem & iustitiam faciatis, & quæ nostra auctoritas publice fieri decernit, vt in vestris ministeriis studiose persiciantur studeatis. Proinde monemus vestram fidelitatem, vt memores sitis fidei nobis promissæ, & in parte ministerii vestri vobis commissi, in pace scilicet & iustitia faciendâ, vosmetipsos coram Deo, & coram hominibus tales exhibeatis, vt & nostri veri adiutores, & populi conseruatores iuste dici & vocari possitis; & nulla qualibet causa, aut munerum acceptio, aut amicitia cuiuslibet, vel odium, aut timor, vel gratia, ab statu rectitudinis vos deuiare compellat, quin inter proximum, & proximum semper iuste iudicetis. Pupillorum vero & viduarum & ceterorum pauperum adiutores ac defensores, & sanctæ Dei Ecclesie vel seruorum illius honoratores, iuxta vestram possibilitatem sitis. Illos quoque qui temeritate, & violentia in furto & latrocinio, siue rapinis communem pacem populi perturbare moluntur, vestro studio & correctione, sicut decet, compescite. Et si aliqua persona, in aliquo vobis impedimento fuerit, quin ea, quæ dicimus facere non valeatis, nobis ad tempus illud notum fiat; vt vestra auctoritate adiuti, ministerium vestrum digne adimplere possitis. Nunc igitur, vt ad institutum redeamus, primo loco se offert COMES SANCIA RVM: cuius in*

Concilio Toletano non obscura fit mentio. Subscribunt enim ibi Wadamirus Comes Scanciarum & Dux: Reccaredus Comes Scanciarum & Dux: Egica Comes Scanciarum & Dux: Sumefredus Comes Scanciarum: Adeliubus Comes Scanciarum: Salamirus Comes Scanciarum. Agnoscitur & Scanciarum Comes in priuilegio quodam Complutensi antiquissimo. Hunc nonnulli poculis, alii vniuersis epulis Regis praefectum fuisse contendunt. Hodie vulgari Hispanorum lingua, Scanciar, est bibere. Apud Adonem Viennensem inuenio solitos institui seu creati Duces per impositionem causae seu pilei aurei Ducalis, vni omnibus ornati: Marchionis tradito annulo, in quo est pyropus, seu rubinus, qui quidem est species Carbunculi: Comites ea ratione, qua supra diximus: Vicecomites virgula deaurata: Barones vexillo decurtato, seu labro.

*Thefaurorū
Comes*

THESAURORVM COMES is fuit qui dicta lege vnica, & leg. finali. C. de suscept. lib. 10. Comes aerarii appellatur, Thefauris videlicet Regis praepositus. Concil. 13. Tolet. Isidorus Comes Thefaurorum subscribit.

*Comes Pa-
trimonii.*

COMES PATRIMONII, qui Regis Patrimonium, possessiones, mensamque procurabat. Vnde & Procurator à Lampridio dictus in Commodo. Meminit de hoc Cassiodorus libro primo variarum & 4. & 6. ad Iulianum Comitem scribente Theodorico. Habes de eo titulum in Codice cum inscriptione de officio Comitum Sacri Patrimonii, cui à Principe facultas concessa fuit, pro subleuandis, non pro premendis priuatorum fortunis, vt habet Cassiodorus libro octauo. Hic ad munus rectius exequendum milites sub se habebat, vt ostendit idem eodem loco. Videtur & Regiis epulis ordinandis curam adhibuisse. Nam & Cassiodorus ibidem sic scribit: *Nam & si epulas nostras sollicita ordinatione disponas, non solum nostro palatio clarus, sed & gentibus necesse est reddaris eximius.* Subscribunt in Concilio decimo tertio Toletano. Vitulus Comes Patrimonii & Toletano decimo octauo. Vitulus vir illustris, Comes Patrimonii & Dux.

*Comes ciui-
tatis Toletanae.*

Est etiam in Concilio decimo tertio Toletano. Waldericus COMES CIVITATIS TOLETANAE. Is etiam vocatur Rector rerum publicarum: vt in Conc. Hispal. 2. dicitur de Sisifelo Rectore Rerum pub. Et apud Cassiod. lib. 7. Comitum Romanæ formulæ, & Comitum Rauennatis: formula etiam Comitum diuersarum ciuitatum; & libro nono. Comes Siracusanae ciuitatis. Horum Comitum, vt supra monstraui, vtque Cassiodor. libro septimo variarum ostendit, id officium erat, ciues vrbanos æquitate regere, & publicarum ordinationum iussiones constanter adimplere. Rodericus Bibarius, hoc est, Dominus à Mauris honoris causa appellatus, fuit Comes Toletanus. Et in regno Lusitaniae hodie Comites multi nominantur ex ciuitatibus Regiis, in quibus antiquitus ius exercebant. Quam consuetudinem Galli obseruarunt. A Romanis prouinciarum Comitibus distinctæ erant. Vide titul. de Comitibus qui prouincias regunt libro 11. Cod. titul. 14. Quis vero fuerit Comes vrbis Romæ, & quod eius officium, altioris indaginis est.

Comes Notariorum.

COMES NOTARIORVM is erat, qui Notariis, id est, à Principis secretis tabulis præficietur. Quod intelligi videtur ex Cassiodoro libro sexto in formula Notariorum, his verbis: *Regis consilium solos decet scire grauisimos; mutari debent armaria quæ continent monumenta chartarum: vt quando ab ipsis aliqua instructio, queritur, tunc loquantur: Totum autem dissimulare debent quasi nesciant scientes.* Probatum etiam ex libro Cod. duodecimo titul. de Primicerio Notariorum, vbi expresse hoc verbum pro secretariis Principis vsurpatur. Non dissimilis dignitas fuit eius quem posterior ætas etiam Cancellarium appellat; idque in Cassiodoro videre est, qui ex persona Regis libro vndecimo ita ad Cancellarium scribit. *Consistorii nostri decreta fidei integritate custodias: per te presentandus accedat: per te nostris auribus desiderium supplicis innotescat: iussa nostra sine studio venalitatis expedias, & alia.* Quamuis hodie in Regnis Hispaniæ & Galliæ dissimilis huius muneris est functio: etiam si pro scriba vsurpetur in constitutionibus Caroli Magni, & Lotharii. Concil. 13. Toletan. subscribitur à Notario Exila: Comes Notariorum. In notitia prouinciarum aliquoties fit mentio Primicerii Notariorum; qui & Notariorum Decanus, & Protoscribarius. Et in Romana curia is erat, qui diem datus adiciebat diplomatis pontificalibus.

Comes Spathariorum.

COMES SPATHARIORVM, Custodum corporis Regii præfectus. Hunc & Protospatharium appellatum fuisse existimo. Cuius meminere Constantinus Hermenopolitanus libro decimo & Zonaras annal. 3. à *Spatha*, qua voce Apuleius pro gladio maiore ac latiore vtitur: nam minorem breuioremque *Semispatham* Vegetius in libro de militari appellari testis est. Vtitur hac voce etiam Spartianus in Adriano & Trebellius

bellius Pollio in epistola Claudii ad Brocum, *tecta sunt*, (inquit) *flumina scutis, spathis & lanceolis*. & legum Wisegothorum lib. nono titul. secundo. vltim. decernitur, *ut Dux, Comes atque Gardingus, alique quos secum ducunt in bellum, partim sint Zavis* (extat ea vox etiam in Macropolis Mauricii cuiusdam, qui de Romana militia Græce scripsit) *& lorici muniti; partim scutis, spathis, seramis, lanceis sagittisque sint instructi*. De Spatha scribit Isidorus libro Originum decimo septimo capit. sexto *dici à passione, nam παθην pati est, eo quod scindat, & dilaceret: vel ex eo quod sit spatiosa, & ampla latiorque*. Spathariorum vero dignitatem maximi honoris fuisse ex eo constat, quod multos Duces ac Comites hanc gessisse inueniamus. Sic in Concilio decimo tertio Toletano Guilingus Spatharius, & Comes: Trasericus Spatharius, & Comes: Altericus Spatharius, & Comes Sisimirus Spatharius Comes, & Dux, subscribunt. Quoniam vero in *Spatharii* mentionem incidimus Iulianum Roderici Regis Spatharium, Ducem Tingitanæ, non Spartarium fuisse existimo, hoc est, Carthaginensis ciuitatis Comitem, ex eo non fuisse appellatum quod regio illa, vt ex Plinio atque aliis constat, sparti multitudine abundet. Neque enim dubito quin Spartarius vocis similitudine dicatur, qui Spatharius & Comes dicendus erat. Spatharii definitionem ita Cedrenus extulit *σπαθαριος ὁ σωματοφύλαξ ἔστιν* iisdem nimirum verbis, quibus eius vocis notionem supra explicauimus. Quanquam alii secus de hoc eiusque officio sentiant. Scribunt Neoterici *Spatha*, antiqui sine h. efferebant, scribebantque.

20 COMES CUBICVLI, seu Comes Cubiculariorum est, eorum qui cubiculi Regii curam gerunt, præpositus: hunc Xiphilinus *κεκυβητον* appellat. Cubiculariorum mentio est, leg. 63. delegat. 3. & leg. 203. ff. de verborum significationibus. Quanquam ibi pro feruis tantum cæteris conditione potioribus accipiuntur: hic vero ingenui sunt, & insignem adiunctam dignitatem habent. Quæ dignitas hodieque in Regum aulis durat, *Camareros* vulgo vocamus Concil. decimo tertio Toletano. Argemirus Comes Cubiculi subscribit & Atulfus Comes cubiculariorum. *Cubicularius* à Grammaticis, vt ex Sosipatro constat, dicitur Custos cubiculi: *Cubicularis* vero lectus, cubiculo aptus. Isidorus lib. Origin. 15. cap. 3. *Cubiculum quod eo cubemus, ibique dormientes requiescamus: Cubile* vero locus cubandi.

30 COMES STABVLI, qui equorum principis curam gerebat, dicitur etiam Magister equitum. Hic ex Aimonio Monacho libro tertio capit. vigesimo videtur esse quem vulgo *Conestabilem* appellamus: eius hæc sunt verba. *Leudegesilius Regalium præpositus equorum, quem vulgo Conestabilem vocant*. Sic & Regino Monachus annal. libro tertio eodem anno (inquit) *Burchardum Comitem stabuli sui (quod corrupte Constabulum appellamus,) cum classe misit Corsicam. In eum omnem belli curam Princeps reuiciebat*. Eruditiores vero, quique harum rerum inquisitioni plus operæ impendunt, eum vere hoc nomine cense-ri putant, qui apud nos *Cauallerizo maior* appellatur. Vtut est dignitatem hæc maximo olim in pretio fuisse, satis vnus Ammianus Marcellinus ostendit, de Valentiniano loquens, qui Valentem stabulo cum tribunatus dignitate præfecit. Hunc superioribus temporibus *κεκυβητον* Græci dixerunt: vt Zonaras clare libro annal. tertio asserit his verbis. *Theophilzes igitur Basilio delectatus (erat enim formosus, procerus, & manu promptus, agilisque, ac promissum capillum, eumque crispum alens) suis equisonibus ipsum præfecit. Quodmuneris, qui administrat, communiter protostratora appellamus*. Et Cedrenus: *Michaëlisque, qui ante ipsum fuerat, equisonum præfectus primus, quem protostratora nuncupant*. In Concilio decimo tertio Toletano. Gisclamandus Comes stabuli subscripsit. Alii vero dicunt Comitem sacri stabuli dici, qui curam palatii habebat, & scholarum, armorum, & domus Regiæ cum administratione & sine administratione Prouinciarum, vt constat. libro primo de Comitibus & tribus schol. libro duodecimo titulo vndecimo, habereque in vna dignitate curam militiæ & domus. Verum cum Comites sacri stabuli grauioribus erant intenti negotiis, curam stabuli alii demandatam fuisse, atque ita vnam dignitatem in duas diuisam, atque partitam. Apud Castellæ Reges dignitas est insignis, sine administratione tamen, ac titulo tenuis. Primus Comes stabuli fuit Alphonfus Marchio Villenæ filius Infantis Aragoniæ Petri; cui successit Petrus Comes Trastamaræ: tempore Regis Henrici tertii. Tertio tradita Roderico Daualos viro insigni, & claro homini; qui à Ioanne secundo Henrici filio prodicionis falso damnatus, bonisque eius in sectionem datis, sequens Henricanas partes, exul Valentæ diem extremum clausit. Cui successit Alvarus Luna, infelicio, cuius vitæ tristis exitus; infamauit aulæ opulentiam, & Regum intimam consuetudinem.

Comes Cubiculi.

Comes Stabuli.

Comes exerci-
tibus.

COMES EXERCITVS, qui lib. 1. Cod. de officio Vicarii, & l. Nemo. C. de Assessoribus, Comes militum & Comes rei militaris appellatur, vniuersis legionibus, castrisque præficiatur, habebatque absolutum in milites imperium. Hoc ipsum munus exercebat apud Romanos Tribunus militum; videlicet vt militem dicto audientem haberet, ad exercitationes deduceret, & in stationes & hyberna mitteret; clandestina cum hostibus colloquia vetaret, nouarum rerum auctores supplicio afficeret, pabulationes, frumentationesque curaret, militi ne arma, stipendia, cibaria, com meatusque deessent. prouideret; breuiter summæ in exercitu rerum præflet. De hoc Consule Cassiodorum libro septimo, formula Comitum Principis militum. Hic apud Gothos alio vocabulo Præpositus hostis, ni fallor, appellatur. Idque colligi ex leg. sexta titul. secund. libri noni legum Wisegot. videtur: vbi vtraque appellatio, vni eidemque tribuitur. Verba legis hæc sunt: *Quod si contigerit vt ipse Comes ciuitatis, aut Annonarius, per negligentiam suam non habens, aut forsitan nolens, annonas eorum dare dissimulet, Comiti exercitus sui querelam deponat, quod annonas eorum dispensatores tradere noluerint: & tunc ille Præpositus hostis hominem ad nos mittere non moretur.* Atque hæc sunt quæ de Comitum varia appellatione, officiiisque à Gothis in Hispania regnantibus vsurpari solitis, in tanta Gothicarum rerum obscuritate, ex Consiliis, legibus, priuilegiis, aliisque veteribus monumentis elicere potui. Vir quidam doctissimus Comitem *Sacrarum reliquiarum* apud Gothos fuisse existimabat, forte quia legerat apud Cassiodorum aut alios, *Comes sacrarum*. Ego vero & apud Cassiodorum, & Iustinianum *Comes sacrarum* lego, id est largitionum: cuius præcipuum officium erat. Vt princeps per eum suam liberalitatem, & magnificentiam exercebat; indulgentias daret; & militibus stipendia, & donatiua populo Kalendis Ianuariis, nomine principis elargiretur. Et hic vtpote Augustalis habebat sub se iudicem *Sacrarum largitionum*, & Prouinciarum ceterarum largitionum Comites: vt erat Comes sacrarum largitionum per Illyricum, per Orientem, & Comites etiam Commerciorum per Orientem, Ægyptum, Mysiam demum, & alias prouincias. Hunc donis præfidere Regalibus Cassiodorus ait libro sexto Variarum capite septimo. *Huius, inquit, actus, innocens pietatis officium, illud semper ingerere, vnde se fama Principis possit augere. Nihil per hunc districtum geritur: nihil seuerum, forte censetur; sed tunc obsequitur, quando Principi vota funduntur. Per hunc Princeps supplicum fortunas erigit, Kalendis Ianuariis dona largitur: monetam hic Regii vultus figura consignat: Indices Prouinciarum sub sua potestate coercet. Negotiatores subiectos habet: vestis sacra curam gerit; salis commercium huic deputatur, denique quidquid in vestibus, quidquid in are, quidquid in argento, quidquid in gemmis pretiosum est, huius ordinationibus obscundat.* Hæc tenus Cassiodorus. Hæc vero loquutio aliquot in locis apud posterioris æui scriptores occurrit, vt apud Cassiodorum libro sexto. Cypriano Comiti sacrarum Theodoricus Rex: apud Ammianum lib. 15. & alibi *Comes priuatarum*.

Procer.

PRO CER. In Concil. Toletan. octauo subscribit Dabila Comes & Procer, & Euredus, Comes & Procer, & Frolla Comes & Procer. Vnde constat quod Procer sit nomen dignitatis. Isidorus libro Etymolog. 9. capit. 4. [*Proceres sunt Principes ciuium vel ciuitatis: quasi procedes, quod ante omnes honore precedant. Vnde capita trabium, quæ eminent extra parietes procer dicuntur, eo quod primo procedant.*] Lege Proceres ex Seruio in illud Virgiliti Æneidos. 10.

Tot lecti Proceres ter denis nauibus ibant.

Proceres etiam *Magnates* vocantur Concil. Toletan. vndecim, capit. quinto & *Primates Palatii*, & generosæ personæ. Erat autem sola dignitas sine administratione iurisdictionis.

Gardingus.

Ducis & Comitum dignitati GARDINGVS ordine subiungitur. Erantque hi tres apud Gothos maioris loci personæ, vt patet ex leg. Wisegoth. libro nono titulo secundo leg. vltima. vbi ita habes. *Si maioris loci persona fuerit, id est, Dux, Comes, siue etiam Gardingus.* Et infra leg. eadem, atque alibi sæpe, hi tres seu eminentiores coniunguntur. & ideo, inquit lex: *id de cetero speciali decreto decernimus, vt quisquis ille est, siue sit Dux, siue Comes, atque Gardingus.* Gardingi in libr. leg. Wisegoth. non semel fit mentio: verum ita obscure, vt quod ipsius munus fuerit liquide scire nequeamus: illud tantum coniectura consequi licet, cum maioris loci persona dicatur, vnum ex præstantioribus Palatinorum habuisse officiiis. Quod etiam ex legum Wisegothorum libro secundo titulo primo leg. prima non male colligitur, vbi cum Sacerdotibus Dei, senioribusque palatii præsentibus in ordinatione legum Gardingi fuisse commemorantur.

Maioris præstantiorisque loci personis (qui nunc Magnates, nunc *Primates Palatii*

palatii appellantur) breuiter, vt res tulit decursis, restat vt ad inferiores deueniamus. Inter quas **TIVPHADVS** primum sibi ordinem vindicabat, quique ei suberant Millenarii, Quingentenarii, Cetenarii, Decani, exercitus etiam compulsores, Annonarii, defensores, pacis Assertores, Numerarii, Villici, Saiones. *Tiuphadum*, Germanorum lingua quæ Gothicæ multum vicina est, altum significat, *Tieph* enim rem altam dici cõtendunt. Quidquid est; illud constat, vnam ex primis post ducis, Comitum, atque Gardingi dignitatem fuisse, ciuilemque administrationem habuisse, vt patet ex leg. 23. & 26. titu. 1. lib. 2. legum Wisegoth, & libr. 4. titu. 5. leg. 6. Huic in omni criminalium negotiorum genere iudicandi licentia concessa erat, præterquam in his criminibus quæ legum sententiam aperte condemnant, quibus qui obnoxii reperiebantur, eos non iudicare amplius, sed vt iam à lege præiudicatos, condemnatosque debitis pœnis subiicere cogebantur. Ita enim accipio legem. 15. titu. 1. lib. 2. legum Wisegoth. Quæ habet hoc modo. *Cum in ceteris negotiis criminalium causarum Tiuphadis iudicandi licentia concessa fuit, criminosos à legum sententiis iudicare non audeant, sed debitam in eis, vt competit, censuram exercent.* Hi si quando siue ad bellum, siue alio auocarentur, vices suas aliis committere poterant. Sequitur enim in dicta lege: *Qui Tiuphadi tales eligant, quibus vicissitudines suas audiendas iniungant, vt ipsis absentibus, illi causas, & temperate discutiant, & iuste discernant.* Huius in bello proxima auctoritas ad Comitum exercitus dignitatem erat, cum quo simul de rebus arduis consultabat: cuius consilio militi in hostem pugnandi facultas dabatur, & adimebatur; denique cum hoc de summa rerum exercitus deliberabat. Hic si quem de **TIVPHADIA** sua (sic copiarum militum quibus præerat vocabantur) donis forte corruptus de expeditione domum redire permisit, aut domo in expeditionem proficisci non coegerat, acerbis pœnis multabatur. Vt constat ex l. 1. titu. 2. lib. 9. legum Wisegoth. *Si Tiuphadus (inquit) ab aliquo de Tiuphadia sua fuerit beneficio corruptus, vt eum ad domum suam redire permetteret, quod acceperat in nouecuplum reddat Comiti ciuitatis, in cuius est territorio constitutus. Et si ab eo nullam mercedem acceperit, sed sic eum dum sanus est, domum dimiserit, vel de domo in exercitum iure non compulerit, reddat solidos 20.*

MILLENARII erant, qui mille sub se milites habebant. Horum meminit lex 26. tit. 2. lib. 2. legum Wisegot. Isidorus lib. 9. Etymol. ca. 3. *Sunt, qui mille præsumt militibus, quos nos Millenarios appellamus.*

QUINGENTENARII qui quingentis militibus præerant. Hi si quem etiam de suis, propter munus aliquod, ab hoste domum redire cõsensissent, aut in hostem domo proficisci non coegissent, quod acceperant nouecuplũ etiam Comiti ciuitatis, cuius territorio suberant, reddere tenebantur. Si vero nullo accepto munere id fecissent, xv. solidos inter milites suos diuidendos reddebant. Id cautum est lege prima, tit. 2. lib. 9. leg. Wisegot. Horum etiam meminit lex 26. tit. 1. lib. 2.

CENTENARII, teste Vegetio libr. 2. cap. 13. dicti sunt, quos antiqui *Centuriones* vocabant, centum videlicet militibus præfectos. Ab Isidoro id animaduersum est libro nono Etymolog. capit. tertio. *Centuriones (inquit) dicti, eo quod centum præsumt militibus: sicut Quinquagenarii, qui sunt in capite quinquaginta militum: & Decani ab eo, quod militibus decem præficiuntur.* Hi si centenam (sic iis temporibus loquebantur) suam deferentes, domum ab hostibus refugissent, capitibus plectebantur. Si vero vel ad sacra altaria, vel ad Episcopum confugissent, trecentos solidos exsoluebant Comiti ciuitatis, in cuius erant territorio constituti: neque postea inter centenarios, sed Decanos tantum habebantur. Quod si ipsi ob beneficium forte acceptum, aliquem de centena sua domum ab exercitu redire, aut domi manere, neque in hostem proficisci passi fuissent, nouecuplum acceptũ suo Comiti ciuitatis reddebant. Quod si ob nullum munus acceptum, id permisissent, decem solidos Comiti ciuitatis dabant. Habes hæc omnia fusc in lege 3. titu. 2. libro nono. Centenariorum meminit etiam Concil. Arelatense sub Carolo magno: his verbis: *Ne Comites, vel Vicarii, seu Iudices, vel Centenarii, sub mala occasione, vel ingenio res pauperum emant.*

DECANI, quos Varro, Suetonius, alique probati auctores *Decuriones* appellant, decem militibus imperabant. Hi si relicta decania, ab hoste domum recessissent; aut quum sani essent, domo exire in expeditionem detrectassent, decem solidos Comiti ciuitatis dare cogebantur. Quod si aliqua mercede, à superiore suo impetrassent, quinq; tantum solidos luebant, vt ostendit lex quarta eiusdem tituli & libri. Vbi amplius additur. *Quod si aliquis, qui in Tiuphadia sua fuerat numeratus, siue permisit Tiuphadi sui, vel Quingentenarii, aut Centenarii, vel Decani sui, de hoste ad domum suam*

suam refugerit, aut de domo sua in hostem proficisci noluerit, in conuentu mercantium publice centena flagella suscipiat; & reddat solidos decem.

Exercitus
Compulsores

Et quandoquidem in locum de Gothica militia incidimus, erant apud eos, qui dicebantur EXERCITVS COMPVLSORES; nempe qui Gothos in hostem exire compellerent: vt habetur in leg. 2. tit. 2. lib. 9. Hi multis in locis SERVI DOMINICI appellantur; forte quod erant serui, qui regalibus seruitiis mancipabantur. Quorum tanta erat auctoritas, vt Palatinis officiis honorarentur, & testandi sicut ceteri potestatem haberent. Testatur id lex. 4. tit. 4. lib. 2. legum Wisegot. Hi siquid ab iis, qui in exercitum compellebantur, sine ipsorum voluntate abstulissent, vndecuplum restituere cogebantur, & quinquaginta insuper flagellis multari. leg. 2. tit. 2. libr. 9.

Annonarii

Ad exercitus robur conseruandum in primis pertinet, ne annonæ laboret inopia; ob idque prouida Gothorum cura cautum est, vt per singulas ciuitates, atque castella, crearentur, qui militibus eam sine fraude exhiberēt; ii nunc ANNONARII, nunc dispensatores annonæ, nunc erogatores annonæ in Gothorum legibus dicuntur. Videtur & Comes ciuitatis huius rei curam gessisse, vt patet ex leg. 7. titu. 2. lib. 9. leg. Wisegoth. Vbi cauetur, si contingat, vt ipse Comes ciuitatis, aut Annonarius, per negligentiam suam non habens, aut forsitan nolens, annonas dare militibus dissimularer, apud Comitem exercitus conquerantur: qui eos in quantum temporis subtraxerunt consuetas annonas, in quadruplum de propriis facultatibus restituere cogeret. Consistit autem proprie annona in frumento, oleo, vino, sale, carne. Solebat autem in militia Romana annona militibus pro stipendio per singulos dies distribui expeditionis tempore, veluti buxellatus panis, quem *bis coctum* vocamus duobus diebus; ac panis alius tertio; vno die vinum, alio acetum; vno die lardum; caro veruecina biduo, ex com meatu publico. Cui annonæ interdum pecuniæ erogatio accedebat, & vestitus, & alia id genus militibus necessaria. Quando annona loco pecuniæ in solutionem militibus dabatur, dicebatur *stellatura*, quia per tesseras stellatas species alias, pro annona accipiebatur: vt adnotauit Wolffgäus Lazius lib. 12. Comment. Reipubl. Romanæ capit. vltim. Hæc annona quæ per capita singulis diebus militibus dabatur, *panes ciuiles*, quandoque *annona ciuilis* dicitur, & *salarium*. Qui annonarias species exhibebant opinatores dicebantur, vt constat ex lege opinatoribus libr. 12. C. titu. 29. interdum etiam nomine, vniuersum militare salarium seu præbendum accipitur. Idque Flauii Vopisci abunde declaratur auctoritate, qui in Aureliano *oleum* (inquit) *sal, lignum, nemo exigat; annona sua contentus sit*. Patet etiam ex Vegetio libris de re militari Torquis (inquit) *aureus solida virtutis præmium fuit; quem qui meruisset, præter laudem, duplas consequebatur annonas*.

Defensores

DEFENSORVM etiam meminit lex 26. titu. 1. lib. 1. legum Wisegoth. Horum officium erat in duplici ratione. Alii sunt qui nomine ciuitatis causas, lites & negotia curant, vt actores syndici. Alii *defensores* sunt cum potestate & magistratu, qui locorum defensores dicuntur. De quibus leges Wisegoth. loquuntur; leges etiam Romanæ l. 1. & l. defensores ciuitatum. 3. Cod. titu. 53. de defenf. ciuitat. Alii dicuntur prouinciarum defensores quibus latior cura & plures res, & ciuitates defendendæ commissæ sunt, & vt inquit Iustinianus, paterna voce ita dicti, vt eripiant à malis iniuriam patientes. Erat quinquennale hoc munus. l. 4. Cod. de defenf. ciui. ex Nouellis Iustiniani factum est biennale. §. iusiurandum. & §. fin. eodem titu. in Nouellis. Prædictorum singula declarat pulchre, lex 4. titu. 54. Codicis lib. 1. his verbis: *In defensoribus vniuersarum prouinciarum (alias singularum ciuitatum, vel vt alii, vniuersarum ciuitatum) erit administrationis hæc forma, & tempus quinquenni spatio metiendum; scilicet vt in primis parentis vicem plebi exhibeas, descriptionibus rusticos, urbanosque non patiaris affligi: officialium insolentia, & iudicum procacitati, salua reuerentiapudoris, occurras: ingrediendi cum voles ad iudices, liberam habeas facultatem: superexigendi damna, vel spolia plus petentium ab his, quos liberorum loco tueri debes, excludas; nec patiaris quicquam vltra delegationem solitam ab his exigi, quos certum est, remedio non posse reparari*. Et Cassiodor. libro septimo variarum in formula defensoris cuiuslibet ciuitatis: *Nihil venale, nihil improbe facere velis, qui tali nomine nuncuparis. Commercia ciuibus, secundum temporum qualitatem, æquabili moderatione dispone. Definita serua, quæ iusseris: quia non est labor, vendendi summas includere, nisi statuta pretia castissime custodire. Imples enim re vera boni defensoris officium; si ciues tuos, nec legibus patiaris opprimi, nec caritate consumi*. Gratianus etiam; Valentinianus, & Theodosius. ccc. Theodoro defensori, formam defensionis præscribunt. l. in defensoribus, & l. 4. Cuius verba superius attulimus.

PACIS ASSERTOR apud Gothos erat, qui ad faciendam pacem, Regali destinabatur ^{pacis assertor} auctoritate. Differebat autem *Assertor* à *Iudice*, quod illi omnium negotiorum, actionumque causas terminabant: hi vero non alias, nisi quas illis regia commiserat ordinandi potestas. Hæc ex l. 16. tit. 1. lib. 2. leg. Wisigoth.

Duo sequuntur officia, quæ ut vicina frequenter coniunguntur, NUMERARII, nempe ^{Numerarius} & VILlici. ^{& Villicus} Isidorus de numerario, lib. orig. 9. cap. 4. sic ait: *Numerarii vocati sunt, qui publicam nummum arariis inferunt, hoc est, qui pecuniam regiam, ex tributis & portoriis, & vectigalibus partam, in araria inferebant.* Extat titulus. 50. in C. de Numerariis, & Actuariis, qui à Iustiniano *Tabularii* dicti sunt. Hic etiam annonas, quæ ex villis fisco regio debebantur, procurabat quod si singulis annis facere neglexisset, duplo de propriis facultatibus soluere cogebatur. Constat ex Concil. 13. Tolet. in edicto Eruigii Regis ad priuatos, siue fiscales populos his verbis: *Certe si quis ille Dux, Comes, Triumphatus, Numerarius, Villicus, aut quicumque curam publicam agens, tributa exacto sibi commisso, annis singulis plenario numero non exegerit, aut exacta apud se retinuerit, & ea statim thesauris publicis inferre neglexerit, duplata tributa ipsa de propriis rebus suis modis omnibus in publico inferet.* fuerunt hæc duo officia ex humilioribus apud Gothos. Ac de Villico id tantum coniecere licet, quod eandem fere cum Numerario functionem habeat. De numerario autem res certa est, cum eius munus, ut fordidum atque abiectum, etiam Concil. Tolet. 16. in Theudemundo Spathario damnetur. Verba eius, quia clarius id explicant, apponere non pigebit, ex edicto

10 Regio ad Patres: *Et quia præcessor noster, diuæ memoriæ dominus Wamba Rex in ipsis regnandi primordiis Theudemundum Spatharium nostrum, contra generis, vel ordinis sui usum, Festi quondam incitante Emeruentis Episcopi, solius tantum regie potestatis impulsu, in eandem Emeritensem urbem Numeraria officium agere instituit (quod etiam unius anni excursu contrarationem noscitur peregrisse) imo, quia nec valuit imperio gentis obsistere, vestri edicto Concilii ab eodem Theudemundo, suaque omni posteritate talis actionis officium suspendatis, quo nullo ulterius tempore, tam ipse, quam omnis eius progenies usque in finem seculi ob hanc causam videantur aliquatenus molestari.*

DE VILlico, sic Isidorus lib. 9. Etymol. c. 4. *Villicus* (inquit) proprie villa gubernator est; ^{Villicus} unde à villa *Villicus* nomen accepit. Interdum autem *Villicus* non gubernationem villa, sed dispensationem uniuersa domus, Tullio interpretante significat, quod est uniuersarum possessionum, & villarum dispensator. Locus Ciceronis ab Isidoro citatus, est Verrina. 5. *Villicus* à Varrone de re rustica lib. 1. cap. 2. dicitur, qui præest pago, & totius rei rusticæ curam habet.

SAIONVM, frequens mentio est apud Cassiodorum, & in legum Wisigoth. lib. 6. Hi, ut ^{Saiones} ex variis locis colligere licet, iidem erant, qui apud Romanos Apparitores; Regii videlicet, ac Magistratus ministri, qui ad eorum iussa exequenda semper præsto erant. Solebant etiam Cancellariis *Saiones* assignari, ut ostendit Cassiodorus libr. 12. in epist. cuius initium est: *Oportet quidem cuncta, &c.* Vbi munus eorum scite describitur, his verbis: *Quapropter deuotionem tuam solatiis illius viri clarissimi Cancellarii nostri solenni more deputamus; ut contra nullum alium erigaris, nisi qui legibus parere despexerit. Ad forum trahere, qui iusta non recipit: sub continentia irascere: sub maturitate distringere: timere te amplius volumus, quam probari: quia illud*

40 *maxime vigori tuo reputabitur, si nullius præsumptione peccetur. Cogitetur præ omnibus pecunie publicæ fidelis actio: Sit tuum commodum contemptus alienus. Coactus faciat, qui iusta sponte complere neglexerit. Causis tantum delegatis impende. Si præcepta sequeris, denia non requiris. Caret culpa qui imperata præfecerit. In executore illud est pessimum, si iudicis relinquat arbitrium. Non inde iacteris quod tibi non potest obuiari. Nec assumere superbiam velis, qui à te multorum humilitas pertimescit.* Plura de hoc lege apud eundem Cassiodorum, libr. 2. epist. ad Vlingem Saionem lib. 4. ad Gefulam Saionem, ad Thecutar Saionem, ad Dudam Saionem, ad Veranum Saionem, ad Gudinandum Saionem, ad Aiulfum Saionem, ad Gudium Saionem, alii que apud eundem locis complurimis. Et legum Wisigothicarum, lib. 2. titu. 1. leg. 17. cauetur; ut si Saio iudici in aliquem contra legum æquitatem insurgentem obsequens, alium con-

50 fenserit comprehendere, distringere, vel aliquid rerum auferre. C. publice ictus flagellorum accipiat, & præsumptionem tali emendatione coerceat. Leg. etiam 25. titu. & lib. citat. sic scribitur: *Quod si ea, que iudex ordinare decreuit, Saio Callidus implere neglexerit, res, de qua agitur, si unciam auri, vel infra valere constiterit, illi, cui res debita est, idem Saio de suo auri solidum reddat. Si certe plus valuerit, per singulas uncias, singulos solidos pro sua tarditate persoluat. Idem vero, si super duas uncias, usque ad libram auri, eadem res valere probatur, decem flagella suscipiat; ac sic crescente auri numero, crescat & pœna flagelli, iidem vero Saiones, cum pro causis alicuius vadunt, si minor causa est, & persona, duos caballos tantum ab eo, cuius causa est, accipiat fatigandos. Si vero maior persona fuerit, & causa, non amplius quam sex caballos, & pro itinere & pro dignitate debebunt accipere. Alia de eodem multis capitulis eiusdem libri inuenies:*

Seruus fiscalis
E.

SERVVS FISCALIS, vel fiscalinus dicitur, eo quod res, & corpus eius fisco regio cedat. Hi in officiis mancipati regi in seruebant. De quibus etiam Concil. Tolet. 3. ca. 15. fiscales serui ecclesias construxere ex sua paupertate, & in aliis Concil. De his fit frequens mentio l. b. 2. leg. Wisigot. tit. 4. ca. 4. Nam illic legislator agens de iis, quorum testimonium admittendum est: *Seruo* (inquit) *penitus non credatur, si super aliquem crimen obiecerit, aut etiam si dominum suum in crimine impetierit. Nam et si etiam in tormentis positus exponat quod obiecit, credit tamen illi nullo modo oportebit. Exceptis seruis nostris, qui ad hoc regalibus seruius mancipantur, ut non immerito Palatinis officiis liber aliter honorentur; id est Stabulariorum, Gillonariorum, Argentariorum, Coquorum quoque praepositi, vel si qui praeter hos superiori ordine, vel gradu procedant. Quos tamen omnes & regia potestas iugiter non habet incognitos, & nullis eos constat prauit atibus, aut criminibus implicatos. Quibus utique vera dicendi, vel testificandi licentia, sicut ceteris ingenuis hac lege conceditur. Itaque inter officia seruorum fiscalium recensentur Stabularii, Gillonarii, Argentarii, Coqui. Quos omnes antiqua legum Hispaniae translatio ita explicat: *Asi cae molos que mandan las bestias, los que mandan los rapaces, los que son sobre los que fazen la moneda, e los que son sobre los cozimeros. Gillonarii* vox Gothica, puerorum praefecti. Nam, *Gielen*, illis lasciuires est, quod proprium est eius aetatis: unde, *Giel*, lasciuius. *Gielei Comatulus*. Posterior aetas praefectum istorum, *Alcayde de los donzoles* vocitauit. Et libr. 10. tit. 2. l. 4. legum nostrarum cauetur, ut si quis per tricennii tempus quodcunque de fisci, aut cuiuspiam rebus tenuisset, aut quocumque iure possedisset perenni sibi iure, vindicaret, & retentaret, exceptis mancipiis fiscalibus, in quibus hoc tricennale tempus nullo modo valebat, neque vllum praedictum quo minus in potestate fisci perpetuo manerent, adferebat. Haec de officiis Gothorum, & breuitate, qua potuimus, & integritate. Lector boni consulat.*

GOTHICARVM DIGNITATVM officiorumque index.

<i>Dux</i>	<i>Comes Notariorum</i>	<i>Quingentarii</i>
<i>Comes</i>	<i>Comes Spathariorum</i>	<i>Centarii</i>
<i>Praepositus Comitum</i>	<i>Comes Cubiculi</i>	<i>Decani</i>
<i>Vicarius Comitum</i>	<i>Comes Stabuli</i>	<i>Exercitus Compulsores</i>
<i>Vicarius Principis</i>	<i>Comes exercitus</i>	<i>Annonarii</i>
<i>Comes Scanciarum</i>	<i>Procer</i>	<i>Defensores</i>
<i>Thesaurorum Comes</i>	<i>Gardingus</i>	<i>Pacis assertores</i>
<i>Comes Patrimonii</i>	<i>Thiuphadus</i>	<i>Numerarii & Villici</i>
<i>Comes ciuitatis Toletanae</i>	<i>Millenarii</i>	<i>Saio</i>
		<i>Seruus fiscalis.</i>

205

IO. MARIANAE HISPANI.

E SOCIETATE IESV,

HISTORIÆ DE REBUS

HISPANIÆ LIBRI XX.

AD PHILIPPVM II. HISPANIÆ

Regem Catholicum.

Auctoris Præfatio.



QVOD nostri homines expetebant, externi conuitio effla-
gitabant, Philippe Rex Maxime, sub tuo felicissimo impe-
rio præstitum est. Annales de rebus Hispania Latina lin-
gua confectos in publicum damus, exemplo nationum alia-
rum uno volumine cõprehensos. sic orbem terrarum vnus
tabula angustiis includimus aliquanto detrimento magni-
tudinis, nulla veritatis iniuria. sed in ea tamen breuitate
res maxime nobiles, bellaq; sepe pleniori narratione expli-
cantur: non secus ac ex angustiis ripis egressus amnis in pa-
tentes campos late diffunditur restagnatq;. multarũ vigiliarum magniq; laboris opus:
utinam tam felix gratumque, quam pium debitumque patriæ officium. Herculeæ pla-
30 ne audacia, quis neget? quis non videat? Sed scriptorum tamen in hoc genere penuria,
argumenti nobilitas, otium, quod confecta Italica Gallicaq; peregrinatione nonnullum
Toleti suppetebat, ad scribendũ impulit. & erat spes sublata perficiendi, quæ de Theo-
logia superioribus annis institueram, huic tempori quamuis, nostræq; vitæ rationib. ma-
gis accommodata commentaria. Dicendi arte & elegantia potiores multi sint: rerum
nostrarum cognitione qui excellant, occurrant in Hispania passim. qui ad vtriusq; rei
nonnullam facultatem, adiunxerit voluntatem studiumque ingentes labores tolerandi,
quales historico subeundi sunt, nulla præmiorum spe, exiguis in præsentis opibus, fortasse
40 nullus existat. Nostra ætatis Hispanis scriptoribus quibusdam certe, comparari nõ vo-
lumus, non optamus. adiutos ab ijs esse his annalibus consiciendis, quasi parata materia,
congestisq; ruderibus structura faciliori, non negamus tamen: cum sit sordidi & humilis
animi vsuram accepti scenoris non soluere, vnde census augeatur, nihil detrahatur cer-
te de capite. & alioqui sumpsisse fatendum est, ne silentio surripuisse videamur. for-
tasse etiam iis ducibus aliquando erratum est, non sine spe veniæ, cum alienis vestigijs
insistamus. Veteres Hispania historias euoluimus: excussimus veteres schedas moni-
50 menta antiquitatis, acceptas publice ex vetustis templorum tabularijs, ab amicisq; pri-
uatim præstati humanitate eruditioneq; viris. Quæ prima lex est historia, veritatis in-
primis cura est habita: quæ lux maxima, temporibus designãdis superstitione sepe suda-
tum est. Arabum annos cum nostris annis exacta ratione comparauimus primi, atq; ex-
aquauius. Locis, oppidis, fluuijs, montibus, vetera nomina reddidimus: neq; rei publicæ
casus, sed vti erat necesse, ecclesiæ etiam vicissitudines explicuimus. cum prouentu sin-
gula, an vâno conatu, nostrum diiudicare non est: ne lector quidem facile statuât. rēpūs
aperiet iudex, testisq; syncerus, obreclatione & inuidia sublata. A primis temporib. ad
aunorum ætatem narratio progreditur, cum Maurorum imperium euersum est in Hispania.
recentiora contrectare ausi non sumus, multorum offensione vitanda: præsertim le-

ui gratia operæ pretioque, cum multa in utraque lingua monumenta de reb. postea gestis extarent. Felicioribus ingenijs via patefacta est & campus, ubi eruditionem iacient, Hispaniæ res maiori copia elegantiaq; sermonis illustrent. Nobis cœpisse sit satis: aliofque prouocasse fructus erit, multo maximus, siue ad scribendū denuo, siue ad castigandum nostra. Synceris tantum animis fiat, & sine contētionis studio, uti viros decet memores humanitatis. Nam in tanta rerum syluā nunquam offendere miraculi instar esset. Locorum propria ac familiarum considerabunt alij accuratius: si monuerint quod in rem sit, non sine gratia emendabitur. si quid temere præterisse, aut non satis explicasse videbimur, docti facile & libenter sententiam commutabimus. Tenuitatem ingenij nostri, imbecillitatemq; agnoscimus. Historiæ conscribendæ quanta sit difficultas, si initio esset ignoratum, vsus docuit infirmam valetudinem, quid attinet excusare, nisi ad confessionem culpæ ipso supra vires conatu susceptæ? Tuo quidem, Rex, augusto nomini hos labores consecramus, nulla neque spe, neque ambitione mala inducti, sed humanitas singularis inuitauit: & rerum quæ in uniuersa Hispania contigerunt explicatio, cui æquius adscriberetur, quam adiecta nuper Lusitania Regum Hispaniæ felicissimo, lateque fuisum imperium ad utrunque cali axem iisdem quibus Solis cursus regionibus terminanti? Quod ut proprium faustumque sit, atque nouis incrementis maius, dies noctesque pro tua salute & incolumitate vota facimus.

I V D I C I V M.

AUCTORITATE REGII SENATVS FACTVM A MARTINO BAILLO
de libris XXV. Historiarum Ioan. Mariana, de Rebus Hispanis.

IOANNES Mariana Societatis Iesu, vir ut doctrinæ, ac pietatis laude florēs, sic libertus imprimis, atq; eruditus, cum Hispanorū res cognitione nostrorū hominū & exterorum dignissimas, tum veteres, tum recentiores, siue ad Rēpublicam, siue ad Ecclesiam spectātes in omni memoria præclarissimas, Latinis nondum litteris, neq; vulgarib. plene, aut satis pro dignitate, neq; ordine certo, aut perpetuo commendatas esse perspiceret: quod per multis mirabile accidit, cū alioqui Dei singulari munere, hac præsertim ætate, excellentium ingeniorum, præstātia nostra affluat Hispania: huic occurrere pro virili, incommodo cupiens, ut familiæ huius viri perpetuo actiones suas omnes ad communem referūt vtilitatem, is vnus inter alios laudatissimus, minime instituti sui immemor, se totum ad hanc vnā curam videtur contulisse: ut summa eas diligentia, nec sine diuturno labore colligeret, atq; explicaret. Ex quo factum plane est, ut huiusmodi narrationem, immensi sane operis molem, quinque & viginti libris comprehensam, ab Tubalis in Hispaniam aduentu institutam, & productam vsque annum Christi M. cccc. xcii. capta vrbe Granata insignem, quam verissime fieri potuit in maxima verustatis caligine, rerum, temporū, scriptorumq; incredibili varietate, perfecit. Hæc igitur, Senatu regio iubente, studio flagranti perlustrari: quam meo iudicio quantumque ingenii tenuitate cōsequi possum nihil habere, quod rectæ Christianæ pietati noxium, aut optimis moribus, & institutis aduersetur, prorsus arbitror: immo potius multa in ea reperi, quæ ad sacram eiusdem Christianæ religionis disciplinam illustrandam, multa, quæ ad totius Hispaniæ dignitatem, splendoremq; augendum summopere videntur pertinere, omnino iudico: ipsumq; auctorem verbis illustrem, sententiis grauem, optima fide, iudicioque præditum penitus esse censeo. Quod attestor propria manu.

Doctor Martinus Baillos Regius Capellanus.

E L R E Y.

POR quanto por parte de vos el padre Iuan de Mariana dela Cōpannia de Iesus, me fue fecha relacion que vos auades compuesto vn libro, intitulado, Ioannis Mariana Hispaniæ Societate Iesu, Historia de Reb. Hispaniæ libri XXV. De que ante nos hezistes presentacion, en quatro cuerpos: y nos supplicastes os mandassemos dar licencia para le imprimir, y priuilegio por diez annos, o como la nuestra merced fuese. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, y como por su mandado se hizieron todas las diligencias, que la pragmatika por nos hecha sobre la impressiõ de los libros dispone, fue acordado que deuiamos de mandar dar esta nuestra cedula para vos en la dicha razon:

razon: y nos tuuimoslo por bien, y por la presente (por os hazer bien y merced) os damos licencia e facultad, para que por tiempo de diez annos, primeros siguientes, que corren y se cuenta desde el dia de la fecha desta nuestra cedula, podays imprimir el dicho libro, de que de suso se haze mención, por su original, que en el nuestro Consejo se vio, que va rubricado, e firmado de Pedro Capata del Marmol, nuestro escriuano de camara, de los que en el nuestro Consejo residen. Con que antes que se venda le traygays ante ellos, juntamente con el dicho original, para que se vea si la dicha impresion esta conforme a el: e traygays fe en publica forma, como por corrector nombrado por nuestro mandado, se vio y corrigio la dicha impresion por el original. Y mandamos al impressor, que ansí imprimiere el dicho libro, no imprima el principio, ni primer pliego del, ni entregue mas de un solo libro, con el original al auetor, o persona a cuya costa le imprime, ni a otra alguna para effeeto de la dicha correccion, y tassa, hasta que antes y primero el dicho libro este corrigido, e tassado por los del nuestro Consejo. Y estando secho, y no de otra manera, pueda imprimir el dicho principio, y primer pliego, y segundamente ponga esta nuestra cedula, y priuilegio, y la approuacion, tassa, y erratas: so pena de caer e incurrir en las penas contenidas en la dicha pregmatica, y leyes de nuestros reynos. Y mandamos que durante el dicho tiempo, persona alguna sin vuestra licencia no lo pueda imprimir, y vender. So pena de el que lo imprimiere aya perdido todos e qualesquier moldes, y apareios, que de los dichos libros tuuiere: y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis, por cada vez que lo contrario hiziere. La qual dicha pena sea la tercia parte para el iuez que lo sentenciare, y la otra tercia parte para la persona que lo denunciare, y la otra tercia parte para la nuestra camara. Y mandamos a los del nuestro Consejo, Presidente, y eydores de las nuestras audiencias, alcaldes, y alguaziles, de la nuestra casa, corte, y chancillerias, y a todos los Corregidores, Asistente, Gobernadores, Alcaldes mayores, y Ordinarios, y otros iuezes, e iusticias, qualesquier de todas las ciudades, villas, y lugares de los nuestros reynos, e señorios, así a los que agora son, como a los que seran de aqui adelante, que vos guarden y cumplan esta nuestra cedula, y merced que así vos hazemos, y contra el tenor e forma dello no vayan, ni passen, ni consientan yr, ni passar en manera alguna, so penna de la nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra camara. Fecha en san Lorenzo, a postrero dia del mes de Agosto, de mil y quinientos y nouenta y un annos.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro señor.

Iuan Vazquez.

IOANNIS MARIANAE HISTORIE DE REBUS HISPANIÆ, LIBER I.

De Tubale, & Hispania fertilitate. CAPVT I.

LAPHETI filius Tubal, mortalium primus in Hispaniam venit. sic magiorum virorum consentiens opinio est, eã orbis terrarum partem aliis alio deductis coloniis, multis per latepatentem prouinciã oppidis constitutis imperio, iusto moderatoq; tenuisse. Anno enim post diluuium terrarum generale iuxta veriolem computãdi rationem centesimo trigesimo primo in omnes prouincias Adã posteri dissipati sunt. Tentatã Nembroto duce turris Babylonicæ ædificationis, spretique numinis ea scilicet merces fuit. sublato diuinitus sermone commercio cum inter se non intelligerent homines, necessario terrarum orbis trifariam diuisus in trium filiorum Noe ius ditionemq; concessit. Semo Asia omnis ab Euphrate versus orientem Solem Syriaq; data est. Chami posteritas Babylonem, Arabias, Ægyptum, totamq; Africam obtinuit. Iapheti familiæ Asiæ pars ad Septentriones obuersa à Tauro & Amano montibus, Europaq; vniuersa obuenerit. Alii Iapheti filii in alias regiones abierunt. Tubal autem quinta eius proles ad extremũ occasum ablegatus, Hispanorum gentem & regnum primis illis temporibus, rudiq; adhuc seculo, auspicate numine annuente atq; auctore in eternum ea in orbis parte cõstituit. Vnde excellentes bello paceq; viri ab omni memoria prodierunt, bonorum omniũ copia extitit. ampla ad scribendum materia ob rerum amplitudinem & varietatem. scriptorum tamen inopia, qui res Hispaniæ per se præclaras, litteris ipsi illustrarẽt. Prouocauit hæc ipsa penuria quosdã quidem, vt poeticis fabulis quam incorruptæ historiæ propiora memoriæ propagarent: nos autem vt hoc ingenio, & hac eruditionis tenuitate grauissimum scribendæ historiæ onus subiremus, magis vindicandæ ab iniuria veritatis studio, quam laudis spe præmiq; quod neq; cupimus ab hominibus, neq; reddi poterit laboribus par quocunq; tandẽ successu. Ergo de regionis natura, situ, linguis, morib. quædam initio dicenda sunt. Hispania terrarum plaga comparanda optimis, nulli cedit, neq; salubritate cæli, neque frugum

omne genus vbertate, neque metallorum gemmarumq; copia, quibus tota ferme scater. Non vt Africa violento Sole torretur, neq; vt Gallia ventis, cæli rigore, humiditate terræ acrisq; fatigatur, sed media inter vtranq; verni caloris temperie & tempestiuus sæpe imbris geluq; hyemis tempore fœcundatur: adeo vt ex Hispania non indigenis tantum, verum externis etiam remotisq; nationibus, ipsiq; Italiæ multarum rerum copia suppedit. Omni enim materia affluit, cuiusq; pretium aut vitæ necessitas fecit, aut humani ingenii vitium & ambitio conciliauit. Suaues imprimis arborum fructus sunt, vinearum vinique nobilitas præcipua: frumenti, mellis, oleiq; copia: pecoris, saccari, bombycis, lanarūq; vis maxima: argenti & auri secturas habet: ferrariæ vbiq; occurrunt: sunt & speculares lapides, sunt & marmorum lapicidina, mira ludentis naturæ colorum varietate. Minii nulla regio feracior. Soli multiplex & varia natura: alibi multa arbor, alibi arboribus nudi montes agriq;. rari sæpe fontes, pingue solum, cum vigesimo trigesimoq; sæpe efficit, nonnunquam octogesimum excedit, sed rara ea felicitas agrorum est. Quæ mitiora sunt frugibus frumentoq; feruiunt; cætera pabulo pecorum. Magnam Hispaniæ partem squalida siccitate loca, rupes horridæ & saxa tenent (nonnulla ea iniuria est) quæ certe parte ad Septentrionem vergitur: Australia benigniora sunt, eximiaq; felicitate conspicua. Maritimi piscatu abundant, cuius in Mediterraneis penuria est, propter maris longinquitatem, raris fluminibus, paucis stagnis: nihil tamen otiosum, nihil sterile: quacunque parte frugum messis denegatur, sparti copia funditur ad nauticos funes conficiendos, variosq; vitæ vsus. Equorum velocitas tanta est, vt ex ea re commento probabili vento gigni, apud exterarum nationes veteresq; scriptores vulgatum sit. Plinii etiam testimonio in extrema historia naturali, quacunque ambitur mari, omnium terrarum optima & vberima Hispania est secundum Italiam: cui ipsi læta cæli facie, atq; aeris nulla paludum graui nebula infecti æquabili salubritate præstat: ac nisi per æstatem aliquando terræ ariditate, pluuiarumq; inopia laboraret, rebus omnibus ad victum cultumq; vitæ necessariis, cæteras omnes prouincias Europæ atq; Africæ absq; controuersia vinceret. Hoc quidem tempore propter Indicum cõmerciũ, quo ad orientis occidentisq; Solis oras, Hispanorũ arma nostra & auorũ ætate inuicta virtute penetrarunt, copiis omnibus, omneq; genus mercibus beata facile regionum omnium obtinet principatum. Inde auri, argenti, gemmarumq; vis immensa ac vix fidem factura, si ad numerum referatur, publice & priuatim nauigationibus annuifariis aduecta propitio cælo, magno nostræ gentis splendore fama, aliarum nationũ haud leui prouentu: ad quas ex nostris opibus fructus redit multo maximus.

Hispaniæ situs & ambitus.

C A P. II.

EX T R E M A terrarum ad Solis occasum Hispania iacet, à Gallia Pyrenæis montibus, ab Africa angusto freto dirempta: corio bubulo similis figura (sic regionum descriptores aiunt) circumfuso vndiq; mari: nisi quo latere Pyrenæos montes finem habet perpetuis iugis ab Oceano tendentes ad Mediterraneum mare, duobus promontoriis altero in Oceanum proiecto cui Olarsoni nomen, altero in mare nostrum, cui olim à Veneris templo, nũc religione mutata à Cruce facta est appellatio. Ab hoc promontorio, vbi Gallia Narbonensis terminatur, ad extremas vsque Gaditani freti fauces, Hispaniæ latus vnũ è quatuor præter Austrum Occasumq; lōgissimo littorum tractu porrigitur ad Mediterraneũ mare, leucas colligens ducentas & septuaginta (continent autem leucæ singulæ millia passuum quatuor) si quidem extima legentes littora totum spatium metiamur: alioqui breuius aliquanto iter est mari terraq; si a promontoriis, vbi se mare flexu locorũ insinuat, introrsus extrorsusve recedatur. Ad hoc Hispaniæ latus Illiberis in ora antiquæ Galliæ sita est, vetustate & portus commoditate aliquanto, quam elegantia & ciuium frequentia hac tempestate nobilior. Post Veneris promontorium, quod Illiberi vicinũ est, succedunt Lunarium, Ferraria siue Tenebrium promontoria, pari propemodũ interuallo ab Iberi ostiis. Eo spacio Rubricati ostium est (quod hodie Lobregat dicitur) Barcino, Tarraco, Dertusa, atque Saguntum, fidei constantia, suaq; ruina nobilis, Valētia, Sucronis (nimirũ Xucaris) ostium, Dianium. Sequitur promontorium Scõmbriaria, propeq; noua Carthago, & lōgiori interuallo, quod ab achatis hodie, quarũ iis locis magna copia est, nomen habet promontorium: & à Græcis olim quoniã ii lapides ad conciliandã gratiã valere crediti sunt, Charidemum vocabatur. Succedit Almeria, quæ ex Abderæ ruinis creuisse creditur: aliis Vrci est in Basteranis: deinde Malaca: ac tandẽ ad freti angustias Heraclea siue Calpe à Calpe monte, cui imposta est. Mox Tartecs, nostris Tariffa, vnde totũ fretũ Tartelliacũ dictũ est: & fortassis vtrũq; nomẽ à Tharsis. h. e. Carthagine vel Tuneto manauit, ob frequẽs quodã Pœnorũ iis in locis

in locis commercium nouis, vt sit, appellationibus factis. Herculeum fretum vocitatum est, quod Hercules suscepta expeditione in Hispaniam, Calpemque & Abylam montes vtrinque freto impositos (Herculis columnæ eæ sunt) magnis in mare iactis molibus exagerans eas maris angustias arctasse obturareque voluisse dicatur: quarum longitudo quindecim millia passuum efficit, latitudo, qua breuissimus traiectus est, vix septem. Idem Gaditanum fretum à Gadibus vocatum est, quæ insula fauces freti egressi, ad dexteram in Oceano occurrit, à Pœnis deducta voce, quod vt Hispaniæ sepes (id enim Hebræis etiam Gheder est) obiecta marinis fluctibus esset: olim septingentis passibus à continenti diuisa, ambituque ducenta passuum millia numerans, nunc summa longitudine vix duodecim, ponteque cum continente commissa. Ab extremis freti faucibus vsq; ad promontorium Nerium in Calæcia, quod hodie finis terræ dicitur, leucas ducentas viginti sex numerant præternauigantes. Nam Sancti Vincentii promontorium Sacrum è regione Pyrenæi montis positum, longissimoque ab illo Hispaniæ tractu distitum, excurrensque in Oceanum littorum anfractus efficit longiores aliquantò quam essent recta progredientibus. In his Oceanilittoribus Hispalis ad Bætum est, atque qua parte se Tagus in mare exonerat, vrbs Olisipo amplitudine, frequentia, commercioque cum primis Europæ comparandæ: propeque Artabrum promontorium: vnde ad læuam Oceano Atlantico terminato, incipit ad dextram Oceanus Gallicus, quemadmodum in mari infero (sic arbitror) Iberici & Balearici appellationes Iberus amnis secreuit. Latus Hispaniæ tertium Septentriones inter & Caurum protensum leucas centum triginta quatuor patet, haud quaquam directis exæquatique littoribus, vt Pomponius Mela existimauit, sed maris recessibus littorumque inæqualitate non minus quam reliqua castigatum sinuosumque. Portus insignes maxime Brigantinus, Lauretanus, Sanctæ que Emeterii, (hi hodie portus Corugna, Laredius, Santanderiusque sunt) & fortassis Hispaniæ littorum sicut reliquarum prouinciarum vetus forma immutata est alibi exesis vetustate, alibi noua materia exaggeratis congestisque montibus, ad veterum descriptionum terræ iniuriam, neque minorem denuo scribentium difficultatem naturæ inconstantia comparatum. Pyrenæi montis (quod quartum Hispaniæ latus est) longitudo Hispaniam versus incuruata aliquantum est: atque præter Ortum Septentrionemque porrecta ab Oceano ad Mediterraneum mare octoginta leucas continet: lustino sexcenta millia passuum, numeris proculdubio iniuria temporis vitiat. & ex altissimo Cantabriæ monte, cui à D. Adriano nomen, despectum in vtrumque mare esse memorant, quibus eâ parte iter est nisi oculorum ludibria pro vera specie venditantur.

Præcipui Hispania montes & flumina. C A P. III.

CANTABROS inter & Vascones ad Roscidam vallem, Gallorum procerum nobilem clade, quo tempore Carolus Imperator cognomento Magnus irrumperere in Hispaniam conatus est, montes ex Pyrenæi iugis præcisi rectaque in Occasum delati, Cantabris Asturibusque ad dexteram Septentrionem versus relictis, Calæcosque medios secantes Nerium promontorium, quod longissime procurrat in mare, in extrema Hispania constituunt. Citramontanorumque appellationem ab Ultramontanis vulgo in Hispania fecernunt. Ex his montibus Idubeda mons versus Austrum ad Iberi fontes in Pelendoniibus deriuatur: (saltum Aucensem hodie vocant ab Auca vrbe veteri, cuius ad Villanfrancam vigesimo supra Burgos milliari vestigia monstrantur) & per Viruescam Areuacesque vbi Orbionis cacumina surgunt, neque procul Cauno, qui hodie Moncaius est, Bilbilini Darocamque præteruectus mare Mediterraneum attingit non procul Dertusa vrbe, vnde extremæ eius montis partes hodie etiam nomen habent. Iberum amnem contra quam reliqui insigniores Hispaniæ faciunt ad Occasum ire Idubeda mons prohibet, duobus ostiis sese confundentem mari Mediterraneo. Paulo infra Caunum ex Idubeda emissus Orospea mollibus initio iugis vix assurgere videatur: sensim tamen sese efferens vteriusque progressus Molinæ primum montes erigit, Conchæ deinde; vbi Sucronem ad læuam, ad dextram Tagum emittit. Inde Consaburonis seu Consuegræ montibus constitutis & in cæpis Laminitanis Anæ fontes enixus, ad Alcarassum, Segurâque procedens in diuersas partes mariaque diuersa Taderè (hic hodie Segura fluuius est) Bætumque in saltu Tigenfi non lōge à Casorla oppido fundit; ab Anæ fontibus remotum amplius centum millibus passuum. vnde in duo brachia scissus parte vna è regione Murcia factus ad Murgim hoc est Muxacram mareque terminatur, relictis ad occasum Bastetanis à Basta vrbe, quæ hodie Baza est, ad ortum vero Contestanis veteris Hispaniæ populis. parte altera versus Malacam porrectus,

& Eliberritanis iugis sese annexens, ultra Calpem vltraque Tartessum tanta procurrit auiditate, vt penetrato mari fretique angustiis tantum non obturatis, Africæ complexum non semel appetere videatur. Ex Orospera prope Alcarassum Mariani montes (nostris Serramorena) surgunt. quorum radices perpetuo ferme vsque ad Oceanum Bætis ad læuam alluit, ab Illiturgi Bætiam mediam secans Cordubam, Italicam, atque Hispalim præterlabens demum in Oceanum euoluitur ad oppidum, quod antiquis Luciferi templum erat vno nunc ostio, olim duobus, quando Nebrissa & Asta ab antiquis in Bætis æstuariis ponebantur, à quo modo ostionis passuum millibus remotæ sunt. Non procul ab origine Orospodæ propeque Caunum è media camporum vastitate atque planicie montes alii oriri quidem videntur, cæterum in Pyrenæi brachiis quibus vniuersa innectitur Hispania numerandos esse nemini dubium est. tamen si initio vix assurgere viderentur, nisi aquarum diuortia facerent, Duriique cursum in Pelendonibus exorti non obscure Meridiem vsque ad Numantiam appetentem, recta ad occasum auerterent. Horum montium apud veteres scriptores neque nomen ac ne mentionem quidem inuenio: nunc numerosis nominibus atque nouis itentidem & ferme à vicinis ciuitatibus insignes per Numantiam, Segobiam, Abulamque, Castellam (vt mox dicemus) latissimam inter Hispaniæ prouincias in veterem nouamque secernunt. præterque Caurium & Placentiam Tagi ductum, quo ad læuam alluuntur, sequentes, Portugaliæ in duas ferme æquas partes secant. ad oppidum Sintram demum Tagro monti viginti octo millibus passuum ad Septentrionem ab Olisipone vrbe impositum, occiduum Oceanum attingunt, desinuntque promontorio in mari constituto, cui Artabro apud Solinum quidem certe nomen est.

Hispania tum vetus tum recentior diuisio. CAPVT IIII.

VETVS Hispania in tres partes diuisa est, Lusitaniam, Bætiam, atque Tarraconensem. Lusitani extremam Hispaniam ad Oceanum occiduum obtinebant, Durio ad Septentrionem, ad Austrum Ana fluminibus comprehensi: atque à Durii parte ea, quæ è regione Septimancarum est linea ducta ad Tagi pontem, cui ab Archiepiscopo appellatio est indita, vsque ad Oretanos Anæque ripam ab Hispania Tarraconensi secreti sunt Abulam, Caurium, Placentiæ agrum, Castra Iulia, Salmanticam, aliasque Castellæ nostræ ætate contributas vrbes & oppida suo ambitu continebant. Bætici sequebantur Ana flumine atque vtroque mari tribus ex lateribus cincti vsque ad Murgim: quod oppidum prope Charidemum promontorium situm erat, & hoc tempore Muxacra esse creditur. vnde ad finem Castulonis supra Emeritam vsque ad Oretanos, vbi Almagrum est lautum municipium, ducta linea extremus Bæticiæ limes ad Solis ortum constituebatur. Quid quid vero terrarum in Hispania relictum est, à Tarracone Scipionum colonia nobilissima, vbi Imperii Romani sedes diu fuit, vnde iura dari populis, belli pacisque concilia prodire moris erat, Tarraconensis Hispaniæ nomen tulit. Hanc Isidorus Hispaniæ partem Hadriani seu Constantini Magni apud Sex. Rufum diuisionem secutus, in Tarraconensem, Carthaginensem, Caleciamque nulla finium certa designatione partitius est. neque erat facultas, finibus sæpe harum prouinciarum pro voluntate imperantium prope rerum euentu alternantibus. Tarraconensem alii Citerioris Hispaniæ nomini vniuersam quemadmodum Lusitaniam & Bætiam vna Vterioris Hispaniæ appellatione comprehendunt. nam qui Ibero amne Citeriorem Hispaniam ab Vteriore secernunt, quod aliquando certe factum est, iis antiquior Plinius & maiori viri eruditione resistunt. Vtraque hodie Hispania in varia & numerosa nomina abiit: quæ quinque tamen regnorum nominibus comprehendi omnia nihil vetat, postquã gens Maurica Hispania pulsa est. Portugalliæ gentem, nomen, regnum, & linguam primi condiderunt Galli Henrico Lotaringo duce: cui Portus vrbs ad Durii ostium, & vicina oppida ab Alfonso Castellæ Røge eo nomine Sexto, dotis nomine data sunt. vnde à Portu & Gallia duplicata voce (quæ opinio magnos auctores habet) seu potius quod maiori viri eruditione sequuntur, de Cale oppidi quod nunc Caia est portui imminens, nomine Portugalliæ appellatio facta est, veteri Lusitania aliquanto longior. vltra Durium enim præcipua regionis nobilitate solique fertilitate ad Minium vsque fluuium extensa centum decem & septem leucas ad Oceani littora efficit vniuersa, angustior regionibus, ac ferme locorum latitudine ad Solis ortum æquabili, paulo supra Brigantiam per Durium Tagumque ad Pacis Iuliæ finem in Anæ ripa (qua ad Austrum clauditur) pertinet. Portugalliæ ad Septentrionem & Ortum Legionis regnum adhæret (sic dictum ab eius prouinciæ vrbe regia Legionem) Cōtinet Calæcos omnes & Astures Ouetes, à Mearo flumine & Ribadeo oppido ad Lianis portum secundum littus extēfos: ac præterea è Castella veteri quidquid Pernia saltu, & (qui inde ortum habet) Carrione fluuiio & Pisorica, quousque cum Durio coniungitur, inclusum est. Durioque trāsmissio Heua & qui in Heuam influit, Rega.

Regam eius prouinciæ limitē constituūt, Salmanticam inter & Abulam vique ad montium culmina & Portugaliā extensum. Accessit deinde, vno excepto Placentiæ agro ditioneque sacra, totus ille tractus, cui Extremaduræ nomen fecit, quod post Hispaniæ vastitate rebus Christianorum resurgentibus, bellique alternatē fortuna, vtriusque nationis longo tempore ea prouinciæ pars, limes esset extremus. alii diuersam vocis notationem afferunt, quam nec refellimus hoc loco nec probamus. Prolati etiam aliquando eius regni fines sunt vsque ad Emeritam veteris Lusitaniæ & Pacem Augustam Bæticæ ciuitates, vti locis competentibus historia declarabit. Nauarri in Vasconibus censēbantur. Pyrenæis iugis à tergo parteque eius montis, quem in Nerium promontorium excurrere demonstratum est: reliquis ex partibus Aragonie flumine ad Austrū, ad occasum fluuii ignobili, qui infra Calagurrim influit in Durium Durique parte cincti sunt. ultra Iberū hæc, citra autem Tudela Nauarræ aliaque vicina oppida iis Regibus postmodum dotis nomine accesserūt, Quam prouinciā quamuis angustis regionibus circumscriptam, neque incolarum numero frequentissimā (nam hoc tempore quadraginta millia familiarum tota ditione numerantur) in præcipuis Hispaniæ partibus poni placuit: quod Vascones veteres eius prouinciæ cultores à reliquis prouincialibus seiuncti loca, quæ à Mauris armis inter primos vindicarunt, regio occupato nomine ad patrū memoriā constanter retinuerunt: bellorum sæpe alternante fortuna ultra præscriptos fines imperium proferentes. nam in vrbe Anagaro Regum Nauarræ sepulcra, aliisque vicinis locis, eius gentis extant illustria ditionis maioris monumenta. Nauarra quasi naua erria dicta est, vt quidam arbitrantur, ex Cantabrica & Hispanica linguis voce duplicata, conflato nomine. nauas Hispani vulgo planicies, terram Cantabri vocant erriam. commentum haud insulsum nos his commentariis, Vasconum voce eam Hispaniæ partem nominamus. Aragoniæ regnum in Catalaunos Valentinos, & qui peculiari nomine Aragonii dicuntur, tributum est. Mediterraneo mari, Pyrenæi saltus parte extrema, vbi Ceretani erant, Vasconumque finibus, tribus ex lateribus ad Austrū, Orrū atque Septentrionem cinctū, ad Occasum Ibero definitur, qua parte Vasconum fines attingit: lineaque magno sæpe locorum flexu per Turiasonem Darocam, Harisam, Turulim, Serabimque & Horihuelam ad Staberi ostiū Illicim inter & Carthaginis portum ad mare terminata. Legibus & institutis ab aliis, Aragonii, Hispaniæ populis discrepant plurimū, retinendæ libertatis, aduersus Regum potestatem studio acres & incitati quam antiquis maiorum sanctionibus scitisque, ne sese nimia efferat, luxurietque in subditorum perniciem, degeneretque in tyrannidem, circumscriptam hæcenus tenuerunt, non ignari à paruis iactis ius sæpe minui libertatis nomen vero vel à Tarracone, vel vt alii malunt, ab Aragonie flumine, vnde eius regni fines initio extendi cœperunt, mutuatum habent. In Castella, quam ab arcium frequentia dictam putant, vnaque regionum amplitudine, cæli clementia, soli bonitate, ingeniorū præstantia, diuiti cultu, ac quodam fertili & peculiari nitore reliquas Hispaniæ prouincias facile superat, exterarum nulli concedit, Asturum partem comprehendimus, totamque Cantabriam olim angustam regionibus neque Pyrenæos montes attingentem deinde latiore, indicio Cantabrigæ, quæ vrbs præter Luginiū & Vianam ad Iberi ripam sita fuisse creditur in edito colle, cui Cantabrigæ hoc tempore nomen est: & D. Eulogio martyri fluuius est Cantaber, cui Arago amnis confunditur Ega aut Iberus scilicet. argumento maioris olim latitudinis Cantabriæ, quæ quibus hodie finibus circumscribitur, in Viscaiam, Guiposcoam, Alauam, & montanos diuisa. Continet præterea Castellæ regnū è Castella veteri vrbes non paucas: atque in his Burgos, Segobiā Abulam, Soriā, Vxamam, agrum Toletanū nouam Castellā hodie vocant, antiquis Carpetani) quæ Tagus amnis interfluit, ab arenis voluentibus aurū, aquarum suauitate, agrorum per quos decurrit nitore prouentusque vnus maxime celebratus. Fluit versus Occasū aliquanto ad meridiē flexu riparū: quod cū Durio, Ana, Bætiq; cōmune haber. Is Toletū in Hispaniæ umbilico urbē amplā, totius Hispaniæ lucē arcemque natura loci munita, incolarū tum forma tum ingenio, & religionis cultu sapientiæque studiis excellentem totā ferme circulo, vastis, præruptisque montibus magno naturæ miraculo penetratis ambit, angusto arduoque aditu ad Septentrionē relicto cæli salubritate, & in sterili solo propter agrorū vicinorum bonitatē rerū omniū ad vitæ cultū victumque copia beatā ciuitatē. Inde Liborā præteruehitur frequens municipiū, agri amœnitate bonitateque præcipua, quod hodie oppidū vocatur Talauera, atque per mediā vicinamque Lusitaniā, multis auctus fluminibus in Oceanum effunditur. In eadē Hispaniæ parte prouincia Carthaginensis est, vbi Carthago, Spartaria, Murcia, Conchaque numerantur: & Celtiberia, cuius caput fuit Numātia: præterea Aragoniæ marca in Contestanis, quæ vulgo Manchiā dicimus: Bæticaque, quæ ferme Vandalosia est, vbi Hispalis & Corduba sunt, atque Granata olim Eliberris. certe prope illam sita portæ vrbs atque vicini montis, quæ Eluiræ nomē tetinet, indicio certissimo.

HISPANIS omnibus hoc quidem tempore lingua ea communis est, quam vulgo homines Castellanam vocant, ex multarum linguarum colluione, ac præsertim ex Latinæ degenerantis corruptione conflata. nominis argumento, nam Romana etiam vulgo appellatur, tantæque cum Latina affinitatis, vt quod ne Italorum quidem linguæ conceditur, perpetua oratione tum soluta, tum adstricta numeris loqui liceat simul Latine & Hispanice. Extremis Lusitanis peculiaris lingua est ex Gallico sermone & Hispanico temperata atque confusa eoque elegans audituque grata. Valentini & Catalauni, vnde originem habuerunt, Narbonensi idiomati, affini lingua vtuntur: & fere locorum vicinitate & 16 commercio vocabula magna ex parte moresque mutantur. Soli Cantabri linguam hæcenus retinuerunt rudem & barbaram, cultum abhorrentem, multumque à reliquis omnibus discrepantem, & totius olim Hispaniæ communem (sic fertur) & antiquissimam, priusquam in eam prouinciam Romanorum arma sermoque penetrassent. Gens enim agrestis rudique ingenio, quæ plantarum instar translata tamen, terræ bonitate mitigatur, & montanis inaccessa locis, externi imperii iugum vel admisit penitus nunquam, vel excusit quam primum: atque cum antiqua libertate veterem gentis, atque communem prouinciæ sermonem conseruatum fuisse fide non caret. Alii contra differunt veterum auctorum testimonio, voces Cantabrias oppidorum præ cæteris Hispaniæ duriores esse confirmantium, atque Latinæ linguæ cultum respuentes maxime: ac Strabo non vnum 20 genus literarum, neque linguam vnam Hispanis omnibus esse ait. Vocum Briga, Cetra, Falarica, Gurdus, Cusculia, Lancea, Buteus, Vepio Necy pro Marte, multarumque id genus aliarum argumentū accedit: quas Hispanorum linguæ fuisse proprias, magnorum autorum testimonio confirmatur, & nonnullas inde in Latinam linguam mansisse minime dubitare licet: neque ex tamen hodie lingua Cantabrica vsurpantur. quam vnam è multis tamen prisca Hispaniæ linguis esse minime negant, quorum opinionem pluribus neque refellere operæ pretium est, neque confirmare animus.

Hispanorum mores. CAPVT VI.

VETERES Hispani moribus fuere rudes sane & sine more, feris propiora quam hominibus ingenia, secreti etiam inter tormenta tenaces, inquieto animo, corporum celeritate maxima, dediti religionibus, à sapientiæ studiis abhorrentes: tamen ingenio maximo, quod translati in alias prouincias declararunt, neque mentis perspicuitate, neque memoriæ laude, ac ne orationis quidem copia ab vlla gente superari. Armis aliquanto aduersus hostes, quæ consilio meliores fuerunt: cultu vitæ agresti, victu copioso magis quam exquisito, vino parcissimo, aquæ sæpe potu contenti vitam propagabant: aduersus fontes seueri, in aduenas humani & hospitales. Hoc tempore vitii & laudibus multum est additum; nam sapientiæ studia, vt si qua alia in orbis parte, coluntur vigentque maxime, nullibique maiora virtuti certioraque præmia proposita sunt, cursusque ad laudē apertus magis 40 quam in vlla alia gente, humaniorum litterarum cultus desideratur, sine iniuria tamen cæterarum disciplinarum. Iustitiæ cultores maximi sunt, summos cum mediis, atque cum his infimos, æquabili iure deuinctos tenent legibus armati, & auctoritate muniti magistratus. quorum industria latrocinia sublata, à cædibus, ab iniuria manus abstinent. nulli enim impune est, quicumque vel sacrosanctas leges, vel quemuis de populo violare ausus fuerit. Retinendæ veteris religionis constantia, quo tempore sacra omnia apud nationes alias rerum nouarum cupiditate mutantur & conuellantur passim, clari atque præstantes. Domi consilium viger, foris arma pulsus intestinis hostibus, atque profligata Sarcenorum impietate, magnam orbis terrarum partem inuicta virtute peruagata sunt. Laborum atque inedia, quibus virtutibus omnes difficultates mari terraque superarunt, pa- 50 tientissima natura corpora: nostra tamen ætate affluenti copia voluptatum, illecebris omnis amœnitatis maritimæ terrestisque, atque commercio gentium exterarum ad copiarum Hispaniæ famam accurrentium, easque importantium merces, quibus vigor animorum extinguitur, emolliuntur labefactanturque vires, eneruati, & peregrinis moribus deprauati, tum obsequio principum, & licentia lasciuiantis plebis corrupti, nec libidini, nec sumptibus, nec vestium pretio modum faciunt. vnde quasi ex summo voluente se fortuna graues calamitates prudentibus videntur imminere: cum præsertim ab ingeniorum austeritate, morumque seueritate atque arrogantia odium nationum omnium sustineant, grauissimum atque indiuiduum magno rum imperiorum aseciam.

ITAQUE venisse Tubalem in Hispaniā in confesso est. quib. vero in locis infederit, quāq; latissimæ prouinciæ regionē primum colendam habitandamq; suscepit, dicere nō habemus, diuinare non iuuat. Tamen si Setubalis oppidi indicio quidam in Lusitania putant, alii in ea Vasconum parte malunt, cui Navarra nomen esse demonstratum est, ex Tafala atq; Tudela, quas Tubalis colonias esse magis ob affinitatem vocum suspicantur, quā certo aliquo argumento confirmant, sumpta pronuntiandi occasione. Nam toti prouinciæ de primi conditoris appellatione Setubaliæ nomen factū, quod nonnulli ne probabili quidem & ad scænzæ ostentationē apto mendacio affirmarunt, eruditæ aures auersantur. quid enim nisi hoc desipere sit, tantam vetustatem ad linguæ Latinæ etymō velle præpostere reuocare, & venerandam antiquitatis formā nouis commentis scædare? quod ii faciunt, cum Setubaliæ Tubalis coetum significare persuadent. Tarraconem & Saguntum alii in Tubalis coloniis numerant, quod neq; affirmare hoc loco, neq; refellere in animo est. Nimirum quod ignotas remotasq; à nostro commercio regiones describentibus sæpe accidit, ut inaccessos montes, paludes perpetuas, horrida gelu, aut ardoribus vasta loca esse dicāt: varias piscium, ferarum, auiumq; formas, prodigiosos hominum mores, insolentes vultus iis in regionibus ad intuentium legentium ve voluptatem esse confingāt, nullo qui redarguat absq; existimationis periculo prorsus impune: idem pleriq; tum nostris tum externis historicis video contigisse. qui vbi lumen historiæ deficiebat, rerumq; ignoratio antiquitatis velum oculis opponebat, ipsi illustrandi eam gentem studio, cuius res gestas in historiam conferre erat propositum, & ad maiorem scriptionis gratiam, si nullis lacunis præcisa & impedita, contra magnarum rerum luminibus illustris narratio esset, de suo multa commenti sunt. Sed antiquitati fas esse ais, consecrare gentis origines, initiaq; multo quam sint, splendidiore facere miscendo falsa veris. Sit sane. modo ne male affictæ vrbiū origines, inaudita Regum progenies, & nomina, & bella, sexcentaq; alia id genus portēta ex anicularum fabulis & populari rumore collecta posteritati prodantur: simplexq; veritatis facies apertis mendaciis deformetur. quod imitari profecto non debemus, quamuis cum spē veniæ aliena vestigia sectaremur. Ac multo minus Beroso adscripti, qui non ita pridem in lucem prodiit, & ceteros in errorem misit, libri opinionēs veditare, somniaq; ex fabulis & mendacio compositi eius, qui suas cogitationes alieno nomine, speciosoq; titulo, quia diffidebat ingenio, more malorum mercatorum voluit illustrare, haud satis dissimulata fraude: neq; enim coherentia loquitur, neque alia ex aliis apta & colligata ita respondēt secunda primis, posteriora mediis, ut non commenti vestigia expressa vbiq; cernantur, extentq;: si præsertim veterum scriptorum, quæ nobis relicta lux est, tenuis certe & maligna, sed lux tamen nonnulla propius admoueatur. Itaq; quod ex noui Bercsi officina prodiit, Noemū in Hispaniam, ex longo nimirum errore, tandem appulsum, Noelam in Calæcia, in Asturi- bus Noegam primum fundasse, specioso mēdacio, quoniam de his oppidi Plinius, Strabō Ptolemæus meminerunt, repudiamus. Neq; recipimus ab Ibero Tubalis filio, Ibero fluuio, toti deinde prouinciæ Iberiæ nomina fuisse facta, cum sit potius verisimile, Iberos ad Pontum Euxinum intra Colchida & Armenias Caucasii montib. inclusos, inde in Hispaniam magno numero delatos, atq; vrbe Iberia supra Dertusam cōstituta, vicino fluuio primum, vniuersæ deinde prouinciæ, nouas Iberi & Iberiæ appellationes fecisse: quemadmodum Aragonis fluminis, ab alio eiusdem appellationis in Iberia, nomen quidam fluxisse putant. Nam Celtiberiæ nomen ab Iberis & Celtis duplicata voce venit: qui & ipsi superatis Pyrenæi iugis, ex Gallia finitima in Hispaniam delati (& Celtas Appianus in Citeriori Hispaniā collocat) mixto cum Iberis sanguine Celtiberiæ appellationem effecerunt. Neq; maiorem meretur fidem, Idubedam Ibero patre defuncto Hispaniæ Regem monti Idubedæ, cuius montis initia, media, atque progressus demonstrata paulo superius sunt, suā appellationem communicasse. Adiciunt huius filium Brigum, cum aucta gente numero, opibus, auctoritate in varias orbis partes colonias dimisisset, Brigiam, quæ postea sit Phrygia dicta, vbi Ilium erat, in Asia condidisse de suo nomine, in Alpium iugis Varobrigam e ducib. Brugi vnum, alium in Gallia Latobrigā, quo sua nomina consecrarent, & à suo Rege gratiā inirent nouis colonis deductis. Mendacio probabili accommodata fides est: cum Plinius referat transiisse ex Europa Brigas, à quib. appellantur Phryges, & plures in Hispaniā ciuitates Brigas nominari cernerēt, ut Miobriga, Segobriga, Flauiobriga: arbitrati sunt Regē aliquem extitisse in Hispania, Phrygiæ gentis auctore, conditorē Ilii, multarumq; vrbiū eo nomine in Hispania constructore. Cum Brigas ex Hispania profectos in Asiā credere, nō esset ne- cesse (Midamq; Brigibus ad Brimium montē imperasse Conon ait, quib. in Asiā trasuectis, Phrygibus nomē fuit) & in præceptu esset existimare, vel prisca Hispanorū lingua vrbe, Bri-

gam cōmuni voce nūcupatam : aut quod verius esse puto, Germanorum nationē prole fecundissimā, aliquando se in Hispaniā primis illis temporibus infudisse, atq; à Burgis quæ vox oppidū ipsorum lingua significat, obtinuisse vt vrbes in Hispania facili litterarum permutatione dicerentur Brigæ. aut si qua alia commodior sit ratio, quæ ignoretur : tantum ne fabulis in historia sit locus. Tagum post Brigū regnasse, quod iidem affirmant, eo pertinet, vt nihil sit paulo maioris rei in Hispania, cui nō cōtinuo Rex cognominis affingatur : quo omnium rerū certa designari origo & appellationū singularum exacta reddi scilicet notatio videatur. quasi non liceat in rebus ipsis resistere, nesciatq; sit sacra Regum nomina vltius perscrutando inquirendoq; contrectare. ac nō is fluuius in Carthaginensi prouincia exortus à Carthagine potius nomen traxisse videatur. auctor Isidorus. Eiusdem formæ est, Bætum Tagi successorē Baticæ nomen dedisse, in Turdetanos, Turdulos, Bastulosq; olim tributæ, atq; ab insigni rerum omnium copia poetarū ingeniis concelebratæ cum primis: adeo vt Elysios campos sedesq; beatorum non alibi collocarēt teste Strabone, qui legibus ait, carmine modulatis vti suo tempore consueuisse, vt ipsimet iactabant, ante sex amplius annorū millia promulgatis. & fortassis annus eorum Romano multo breuior erat, & quatuor tantū mensibus voluebatur. Est autē vero propius quod numero & auctoritate potiores historici tradiderūt: Baticam prouinciā à fluuiio ipsam interfluente dictam, quem incolæ Ciritū, externi Bætum vocarūt, fortassis Hebraica voce à crebris domibus, villis, oppidis, quibus dextra leuaq; ob agri subiecti bonitatē, cultū collucentemq; videbāt. Atq; de cōmētitiis Hispaniæ Regibus hactenus hoc loco quorū statuo audeoq; affirmare, neq; regnum, neq; nomen in ea prouincia, ac ne obscurā quidem mentionem vsquam in probatis scriptoribus extare. Sed vt aniles fabulas colligere, & figmentis oblectare lectores velle, procul grauitate suscepti operis esse arbitror : ita quæ magni auctores vulgauerunt tradideruntque, repudiare non ausim.

De Geryonibus. C A P V T V I I I .

PRIMVM Geryonem Græcis & Latinis litteris celebratum licet, Regem Hispaniæ nūmerare. Is cum aliunde applicuisset in Hispaniā, quod Geryonis nomen Chaldaica lingua declarat, peregrinum fuisse, optimæ prouinciæ copiis oblectatus, auri cumulis congestis, cuius quia vsus ignorabatur, glebæ passim neglectæ iacebant in agris, nullis fornacibus victæ, sed vt natæ erant, vnde apud Græcos Chrysei illi nomen factū est; pecorumq; armentis propter læta pascua copiosus, in prouinciales eatenus rudes ingenio, & per agros ferarū ritu pagosq; dissipatos. nulliusq; vnus, cuius imperiū respicerent, cuius virtute allatam vim propulsarent, sub iure ditioneq; deuinctos tyrannidem occupasse primus & exercuisse putatur: arcemq; operibus è regione Gadiū muniuisse Gerondam, cuius præsidio arreptū semel imperiū staret: urbemq; alterā (nisi ex nomine ducta coniectura fallit) eadem appellatione ad Pyrenæi radices atq; in Ausetanis exædificasse oram maritimā complexus vnde rebus suis tranquillitatē pollicebatur. Osiris, quem Ægyptii etiam in suis Regibus primū ponunt Diodoro teste, quique alio nomine Bacchus & Dionysius vocitatus est, non ille Semele natus atq; in vrbe Myro educatus (vnde fabulæ occasio, quia myron fœmur significat) sed Ægyptius Geryonis rationes aduentu inopinato turbauit. cum enim longissima peregrinatione suscepta atq; obita orbē ferme terrarum vniuersū, ab Æthiopia ad Indos Asiam, & Europā victoriis illustrasset, vitesq; & frumenti serendi scientiam vsūq; vbique primus monstrasset, tandē in Hispaniam perlatus, quod in aliis orbis partibus nullo suo priuato compendio ductus, sed odio tātum ardens improbitatis extirpandæ præstiterat vt exactis tyrannis pristinā reuocaret libertatē, idem in Hispania faciendum sibi iudicauit. quam in seruitutem redactā, omnes indignitates contumeliaq; perferre fuerat ante denunciātū. & quia voluntate tyrannū copiis opibusq; præualidū, facturum quicquā pro sano non sperabat, ad arma ventū est. Instructis vtrinq; copiis collatisq; vexillis in Tarressiacis cāpis ad fretum Gaditanū dimicatum ferūt, magno quidē animorum ardore ancipitiq; Marte: cæterum victoria cæsis & fugatis Hispanis penes Ægyptios stetit. Geryon ipse in prælio cecidit, occisiq; corpus victoris iussu (sic aiunt) sepulturæ mādatur, in extremis freti faucibus ad locum, vbi nunc Barbate oppidum situm tumulo composito. Diuinitati consecratum, constitutum in ora Siciliæ ab Hercule templum, atque Geryonis oraculum Patauii famosissimum, quod à principibus etiam viris religionis ergo frequentabatur, satis declarant. Pace igitur per hunc modum restituta Osiris beneficio, depulsaque tyrannide, cum acerbum, remque non optimi exempli ad posteritatem victor iudicaret, parentum peccata filiis puniēdis emendare, graueq; videretur tres Geryonis filios ætate pueros, forma præstanti, atque in spem paterni regni educatos in turbam coniicere, aut perpetua seruituti exilioq; mancipare: & fere magnis animis post victoriam aduersus prostratos succedit

cedit humanitas: quorum mentes non magis paternis vitiis & exemplis ad crudelitatem e-
 rudiri, quam funesto exitu castigari posse non desperabat, viris prudentiæ opinione excel-
 lenti, qui infirmam puerorū ætatem, regniq; tantisper molem regerent, commendatos,
 optimisq; præceptis institutos in paterno Hispaniæ regno collocavit. Ipse vt longinquæ ex-
 peditionis tantorumq; laborum fructus aliquis per otium esset in patria, in Ægyptum re-
 versus est Geryones fratres ætate cōfirmata opib. aucti atq; paterni Regni administratione
 suscepta, beneficii immemores, memores iniuriæ paternas inimicitias persequi, eadē vici-
 sci, atq; quod gratissimum venire solet, parentis occisi manibus hostili sanguine parentare
 decreuerunt. quod cum præ se ferrent, alia ex arcano cura non minus sollicitabat tyrannidis
 10 exemplo patris in Hispaniam reuocandæ: quod Osiri superstite impune fore nō sperabant.
 Hæc cogitantibus, neq; rationem tantæ rei conficiendæ satis explicantibus, optimū visum
 est Typhonem Osiris fratrem ad eam rem sollicitare. quem fama ferebat regnandi ambitio-
 ne vltro corruptum esse & alioqui dira dominandi cupiditas omnia naturæ iura subuertit.
 Missi legati muneribus haud difficulter se in Typhonis gratiam insinuant: sensimq; operi
 omnem polliciti, data vltro citroq; fide eosdem amicos inimicosq; futuros persuadent, vt
 fratre germano sublato armis ipse Ægypti regnum inuaderet occuparetq;. Quod cum oc-
 cultissime factum esset, occisi quidem corpus diligenter conquistum, Isis Regina in Abato
 tumulauit eius paludis insula, quæ Memphi proxima est: quam idcirco Stygem, hoc est:
 mœrorem, vulgo homines nominarunt. Tanta perfidia latere non poterat, neque occulti
 20 quicquam esse in intestina discordia. Orus qui eo tempore res gerebat in Scythia, celeriter
 in Ægyptum rediens, paternam eadē morte Typhonis vltus est. & cum cognouisset im-
 piæ conspirationis cōscios impulsoresq; præcipuos Geryones fratres exitisse, paternæ glo-
 riæ æmulatione & vindictæ cupiditate inflammatus, suscepta non minori quam pater ex-
 peditione, varias toto orbe gentes in fide confirmavit, nouasq; ad amicitiam adiunxit: &
 quam à matre acceperat, medendi arte diuinitatis honorem obtinuit, opinionē excitauit.
 Vnde à quibusdam Apollo est dictus, ab aliis propter militarem scientiam, & pugnandi
 dexteritatem Martis nomen tulit: ab omnibus Hercules vocitatus est, non ille Amphitrio-
 nis filius, sed Libyus: quem monstra domuisse fama tenuit, claua & leonis exuuiis arma-
 tū, armorum è chalybe vsu nondū per ea tempora ad humani generis exitium excogitato.
 30 Ergo numeroso conflato exercitu, & collectis vndique auxiliis, formidabilis in Hispaniam
 tandem contra Geryones penetrauit, Gadeisq; peruenit: quo se illi iam dudum receperāt
 collatis in vnum regni copiis, comparato in multos dies, si forte ducendum esset bellum,
 comœatu, finitimorumq; auxiliis vndique conuocatis. Nam conscientia patrati sceleris
 animos debilitabat, & scissis prouincialium studiis pro ipsis & aduersus ipsos, erectisq; mul-
 torū animis ad spē recuperandæ libertatis in ambiguo erat, suis an externis magis diffiderēt.
 Desperata salus si Ægyptii vicissent, ad rabiē magis quā audaciā accēdebat. Itaq; locis mu-
 nitis se tenere cōstituunt. Hercules cōtra instructis copiis progressus, in hostiū conspectū
 peruenit. & quoniam neq; bellum duci volebat, & tantos vtrinque exercitus contemplatus
 ad honestam vllam pacis conditionem venturos hostes non sperabat: neq; si venirent nisi
 40 patre Geryonum sanguine vindicato, satis foret è dignitate ab armis discedere animo re-
 putans tamen quanta vtrinque hominum strages futura esset, si totis vtrinque copiis esset di-
 micarum Geryonibus misso Feciali iubet denunciari: vt si quidem corporis robore fiderēt
 quo erant firmissimo, vel æquitate causæ, qua niti videri volebant, prædicantes se ab Osiri
 fuisse iniuria prouocatos, violatosq; priores: eam vltro se conditionem cōponendæ totius
 contentionis, proponere, quam ne desiderare quidē ipsis venisset in animum. Vnde culpa
 orta esset, ibi periculum cōsisteret: parceretur innoxio sanguini, à ciuium & cognatorum
 laniena tēperarent. Neq; vereri se pro cōmuni vtriusq; exercitus salute contra tres ipsos v-
 nus ex prouocatione dimicare, suoq; periculo multorum redimere incolumitatem, sin-
 gulari quidem certamine & aduersus singulos separatim, numinis auxilio fretum, cuius
 50 arbitrio res humanæ vniuersæ, sed & maxime bellorum euentus gubernantur. Eam con-
 ditionem Geryones libenti animo susceperunt, minime de victoria dubitantes. Die dicta
 vbi ad manus deuentum est contra accidit. tres Geryones ab vno Hercule superati iugu-
 latique. Tumulus in eadem insula eorum corporibus compositus. quo ex tempore
 nomen Erythrææ inde tulisse putatur, non ipsa sola, sed & vicina Gadib. insula, obiectaq;
 cōtinentis Hispaniæ pars quoniā gētes ex Erythæo mari Orū secutæ, eius consentū pace
 facta loca ea domicilio delegerunt. Demum in freti Gaditani faucibus, magnis vtrinque
 molibus iactis in mare, Calpe & Abyla montib. constitutis (quæ Herculis columnæ dictæ
 sunt) rebusq; cæteris in Hispania ordinatis, Hispalum è sociorum numero ad prouinciæ
 gubernacula reliquit: cuius fidei constantiæ, atque industriæ domi militiæque præclara
 monumenta extrabant. ipse in Italiam nauigauit.

HISPALVM in Hispania post Geryones regnasse, constanti omnium fama & prædicatione traditum est. Iustinus affirmat ab Hispalo dictam Hispaniam vnus permutatione litteræ. adiiciunt alii conditã huius industria atque nomine Hispalim, vrbem amplitudine, opibus, commercio propter Bætis subuectiones, inclytæ fertilitatis glebam, nulli in Hispania secundam: ab ea procedente tempore ad totam prouinciam Hispaniæ appellationem deriuatam. Isidorus eius vrbis conditionem Iulio Cæsari adscribit, quo tempore res in Hispania gessit scilicet, Iuliamque Romulam suo illam & Vrbis Romæ iunctis nominibus nuncupasse ait. dictam vero Hispalim, quod in palustri loco suffixi profunde pali fundamenta contineant. & fortassis tunc primum amplificata locis, ædificiis illustrata, & iure coloniæ donata est: nam à Plinio Romulensis colonia vocatur. verũ vt eo primum tempore fuerit ædificata, fide caret, idonea argumenta auctoresque deficiunt. Plutarchus scripsit, altero Dionisio, Semele nimirum nato, in Hispaniam appulso, totaque prouincia victricibus armis parere imperio compulsa, è sociis vnum ad res gerendas relictum Panna nomine effecisse, vt prouincia primum Pania, deinde vnus litteræ adiectione Spania diceretur. Verum de his liberum opinaturis iudicium esto. Illud non recipimus: Hispalum reliquisse filium nomine Hispanum, qui patre defuncto regnaret. tantũ eundem hominem gemina voce significari à diuersis scriptoribus credimus: cum Hispaniæ nomen vtrique acceptum feratur: & qui alterum ponunt nullam de altero mentionem faciant, vno excepto Berofo, cuius male confarctas fabulas paulo ante repudiauimus. Huius Regis res gestæ cum ignorentur ob longinquitatem, nostri historici vt gracilem, tenuique riuo historiam corruatis aliunde aquis amœniorem facerent, & ne quis esset Regum, cui non continuo Hispaniensium rerũ aliquod siue nomen, siue ædificium ad maiorem celebritatem, quod male cohæreret, assuerent: Hispalum scripserunt vrbem Segobiam, aquæ ductumque in ea mirabilium forma tum altitudine excitasse. quod de aquæ ductu constat Traiani Imperatoris esse opus certe per ea tempora factum. In portu vero Brigantino (Corugnia hodie vocatur) turrin speculo imposito, vnde erat despectus in mare, nauesque procul venientes speculari atque prospicere ex imagine obiecta consueuerant. atque eo præsidio vitare pericula, ex ædificasse Hispalum vt existimarent: ex Latinæ tum linguæ tum historiæ pudenda ignoratione factum est, speculæ voce quæ eas turres significat, in speculi significatione vsurpata, & constat turrin illam in honorem Augusti Cæsaris fuisse à Brigantinis ciuibus constitutã C. Seuii Lupo Lusitano architecto cuius nomen hoc ipso tempore vicinis rupibus incisum legitur. nimirum in publico id opere facere lege vetitum erat; quæ lex inter Romanas in Pandectis extat. fuitque Phidiæ Athenis capitale, violata ea lege suam & Periclis imagines in scuto Palladis efformasse, quamuis in dissimulato habitu: in quo religio etiam læsa esse poterat iudicari. Defuncto Hispalo, quo tempore auctores variant, sed defuncto tamen Hercules ex Italia, vbi eatenus morã traxerat, rerum nouarũ metu continuo Atlante, cuius magnitudinem animi perspectã habebat, rebus in Italia præfecto, accurrit in Hispaniam. Vbi rep. recte & sapienter administrata, nouitque in ea vrbibus constitutis, in quibus Iulia Libyca & Vrgelia in Pyrenæi montis cõplexu, Barcino & Turiasso in Citeriori Hispania à quibusdã cõmemorantur Herculis c: loniæ fuisse, in senili affectaq; ætate defunctus, propensa vniuersæ prouinciæ voluntate diuinitati est consecratus, diuini honores decreti templo dicato. Quo loco corpus Herculis solennibus sacris, non tantũ à prouincialibus, sed etiã ab exteris nationibus religionis ergo eo confluentibus coli cœptum magno sacrificulorũ quæstu & loci nobilitate. Templũ illud Herculis sepulcro clarum qua in Hispaniæ parte extiterit, auctores in diuersum trahunt: & in rebus tam antiquis diuinare ex coniecturis facilius fuerit, quam certa ratione in alteram partem pronunciare aliis Barcinone dicentibus, vbi ad templũ maximũ vetusti operis reliquiæ & magnifici sepulcri vestigia extant: aliis in Gadibus: aliis, quorum auctoritas potior erat, eruditio maior, Tartessi existimantibus ad fretum Herculeum quo loco constat, eam religionem diu fuisse conseruatam Herculis magnifico templo excitato.

Hesperus & Atlas Hispania Reges.

CAP. X.

HISPALO & Hercule in Hispania sine vlla prole defunctis Hesperus Atlantis frater, in Africa, vt perhibent, natus, atq; vnus è sociis Herculis, quod is testamento sanxerat Hispaniã regendã suscepit tanto gentis cõsensu, quanto haud quisquam alius. Rerum gestarum fama & virtutis exactæ opinio maxime ad populum, commendabant: vsque eo vt vniuersam Hispaniam de Hesperii nomine Hesperiam cœpisse dici Græcis & Latinis auctoribus persuasum sit. Macrobius & Isidorus ab Hespero stella occidua malunt, quæ in Hispania,

Hispania,

Hispania occidit, & ad quam ferme respiciunt in eam regionem nauigantes. Læta certe huius regni initia breui luxuriarunt, vanaque euaserunt. Atlas Hesperii frater ex Italia, ubi relictus ab Hercule fuerat, Hispaniæ copiis & amplitudini inhians, iniuriam sibi factam expostulabat fratre prælato. Nec mora: in Hispaniam delatus, incensis pro eo militum studiis, quem militari gloria florere considerabant, regnum cepit. Hesperus à suis desertus fuga in Italiam euadere coactus est. Hetrusci eiectioni hominis atque profugi calamitatem nulla ipsius culpa, fraterna tantum ex ambitione contractam miserati benignè primum hospitio acceperunt: deinde probitatis & modestiæ experimento, famaque rerum gestarum permoti Hesperum, qui Corythi Regis (hunc Ianum etiam quidam & Iouem nominant) teneram ætatem præsidio indigentem atque rectore, veris virtutibus informaret: regni que tantisper molem, dum ille adolesceret, humeris sustineret, omnibus suffragiis delegerunt communi prouincialium lætitiæ. Spem de eius probitate conceptam animis irritam non fuisse declarat Italiæ nomen, ab eo tempore Hespericæ etiam appellatione mutatum Hispaniæ exemplo, atque Hesperii probitatis argumento efficaci. Qua re in Hispania nunciata Atlas sibi metuens, ne prima negligendo serperet malum, resurgenteque à secundo hominum fauore, fratris potentia, de Italiæ primum imperio cadere, deinde etiam de Hispaniæ possessione periclitari cogere: suorum concilium aduocare, nouos delectus habere, omnibusque posthabitis in Italiam festinare constituit. Sequebatur valida Hispanorum manus, in qua plerique Hispani proceres in expeditionem deducti per speciem honoris, & vt se iis auxiliis confirmaret, & vt obsidum loco essent, ne se absente, externo repudiato nouis imperiis studerent. Suscepta nauigatio secunda non fuit. vt tempestatis in Siciliam abreptus, eius insulæ copiis oblectatus Hispanorum in ea partem non exiguam reliquisse memoratur: quorum virtutem insulæ occupatum imperium retineri posse sperabat. Cum reliquis copiis ex longo interuallo atque post longas moras in Italiam tandem delatus, Hespero interea rebus humanis exempto, Corythum Hetruscum Regem facile in potestatem redegit: rerumque in Italia nullo resistente arbiter, è duabus filiabus alteram Electram nomine Corytho vxorem dedit: vnde Iasius & Dardanus nati sunt, de quibus mox sermo redibit. Altera cui nupsit incertum est, ferunt tamen Romæ vocatam, ditioneque tenuisse loca, per quæ Tiberis fluit, qui tunc fluuius Albula dicebatur, addunt, iis locis prius Hispanorum copias ab Atlantem fuisse collocatas præterea memorant Romæ deinde in Palatino monte eius urbis prima fundamenta posuisse, quæ à paruis initiis profecta orbis imperium longo interuallo nata est. An fabulæ hæc sunt Fabii quamuis Pictoris auctoritate affirmatæ: nostrorum mulcendis auribus datum, ab Hispanis conditam urbem Romam? nam alii Romæ eius urbis conditricem Æneæ neptim faciunt, Ascanii filiam. Aliis post Ilii excidium cum Æneæ in Latium delata nobilissima captiuarum fuit, incensis nauibus ad Tiberis ripam oppidi iis locis condendi auctor, quod eius nomine Roma sit dicta. Omnino Urbem Romam ante Romulum conditam fuisse, magnorum virorum testimonia confirmant: neque obscurum est, nomen alterum fuisse Romæ, quod foras enunciari cæremoniæ arcana verabant. eius violati silentii reum Valerium Soranum capite pœnas dedisse. Cæterum quale illud nomen fuerit clam est: neque satis fixum à nostra gente eam urbem fundatam, quod nostri historici affirmarunt. Quid me scribere par sit, læges historiæ, quam quid nostrates laudaturi sint, considerabo: neque intempestiuus commentorum floribus, quibus Hispaniæ rerum splendor non eget, simplicem veritatis faciem exornabo. Itaque Romam Hispanorum coloniam fuisse, inter incertæ fidei res (ne quid grauius dicam) ablegamus. Quemadmodum Sicorum, Sicanum, Siceleum, Lusum, quos recentes historiæ in Hispaniæ Regibus ponunt, eorum veteres nihil meminerunt, penitus repudiamus. Ac ne illud quidem recipimus: Atlantis filium nomine Morgetem à patris obitu in Italia regnasse: vnde Hispani Atlantem in Italiam secuti, Morgetes fuerint dicti: quod nihilo meliori fide stat: & credam potius eam gentem ab urbibus, in quibus habitabant, appellationem tulisse: cum duplex Murgis in Bætica extiterit, altera ad maris littus, quæ modo Muxacræ nomen habet: in interiori prouinciâ altera, quæ hodie Murga nuncupatur: atque his locis finitima Murcia, quam Morgetum sedem quidam faciunt. Vnde in Sicilia Murgantium urbs atque Murgentini populi fortassis hoc ipso tempore aut alio quouis manarunt. & est omnis coniectura fallax, quæ nominum tantum similitudine nixa est.

De Siculo Hispaniæ Rege. C A P. XI.

ILVD Philistii Syracusani auctoritate munitum pro vero recipiatur: Siculum Atlantis filium, post patris ex Hispania discessum, pro absente vicarium eam prouinciâ gubernatum.

bernasse, successisse defuncto. Regno is suscepto, rebusque in Hispania ordinatis, cupiditate incensus regni Italici hæreditatem cernendi, cum lectissimis copiis eo profectus est. Paterni exercitus reliquiæ ab indigenarum iniuria tuendæ erant: Iasii & Dardanii controuersia pacandæ post Corythi patris obitum de Hetruriam possessione certantium. Iasii, cuius melior erat causa, vires infirmiores, vt maturaret litteræ sollicitabant. Multum temporis in ea navigatione consumptum. ex itinere vltro, siue tempestatis vi in Siciliam impulsus veterum sociorum vires confirmasse fertur, Cyclopibus & Lestrigonibus feris & immanibus gentibus bello illato. Parta victoria ei insulæ, quæ Trinacria erat, noua nomina facta (sic quidam suspicantur) Sicilia à Rege Siculo, Sicaniæ ab Hispanis, quos ad retinendum eius insulæ imperium reliquit, ex ea Hispaniæ parte auectos, quam Sicoris amnis interfluit. nam iis in locis olim Sicanam gentem habitasse in confesso est. Sunt qui Sicoriæ etiam nomen ei insulæ adhæsisse tradant à Sicoris gente Sicanis vicina, siue alio nomine eadem Siculum etiam secuta. Deinde Romæ Atlantis filiam contra Aboriginum bello identidem laceffentes opportunis auxiliis à fratre Siculo firmatam addunt, nullo commodiori argumento, quam quod Siculorum Sicanorumque in Latio etiam mentio facta ab idoneis scriptoribus reperiatur: quod quanti ponderis sit, alii iudicabunt. In Hetruria demum Dardanum validis Aboriginum copiis stipatum ferocientemque aduersus fratrem, eo redegit: vt positis armis ex animo seu simulata fraude in auunculi se fore potestate promiserit, & sua innocentia confisum, & Siculi æquitate, non passurum eripi iniuria, quod paterna ex hæreditate debitum, armis etiam vindicaret. Fœdus inter fratres Siculi auctoritate factum. quam breui Dardanus ludibrio habens, Iasium fratrem per fidem conventionis securum, nihilque minus cogitantem, ferro crudeliter peremit. Eam iniuriam Siculus ad se pertinere ratus, parricidam insigni prælio victum expulit in Samothraciam: vnde Hellefponto is superato in Asia primus Ilium condidit. Iasii filio Corybanto pro patre regnum Italiæ de manu est traditum. Rebus ad hunc modum compositis repetita Hispania, quid Siculus egerit clam est: ac ne referre quidem promptum aliquid per hæc tempora memorabile. nisi inania quorundam somnia pro historia venditare placeat, vnde noua rursus Hispanorum Regum nomina post Siculum prodierunt. Testa urbis Testæ, & Contestanæ gentis conditor, ex Africa ad Hispaniæ imperium translatus. Romus Valentiam fundator in Edetanis, cuius ant. quum Romæ nomen in Valentiam fuerit transformatum retenta sententia, voce modo mutata, quemadmodum Romam, cum prius diceretur Valentia, ab Euandro vulgatum Romæ nomen accepisse Solinus est auctor. Palatius, à quo Palatii populi, & magno terrarum interuallo Palentia. Cacus ab actarum bouum indicio Hercules Thebani manibus peremptus in Auentino monte, vbi Roma est, ipseque morabatur ex Hispaniæ possessione pulsus. Erythrus è mari Rubro profectus, à quo Gadeis insula Erythraea dicta sit. Meliccola alio nomine Gatgoris, de quo Iustinus meminit. Quæ omnia neque tanquam foueam intacta præterire debuimus, cum in eam non vulgus modo, sed expoliti doctrina homines præcipitarint: neque verum ea probare, quæ ad anicularum fabulas ableganda potius esse, præiudicatum habebamus. Siculum sane à Iustino arbitror Sicorum nominari.

Varia gentium migrationes in Hispaniam. C A P. XII.

SUPERIORVM Regum temporum imperii tū ætatis certa ratione designare promptum non est: ac ne ab orbis quidem constitutione annos numerare facile. neque deesse studium, si qua se via conantibus panderet inquirenda veritate, nunc coniecturis standum. Quibus Geryones Hispaniæ Reges suspicabar quarta aut quinta post diluuium ætate vixisse. Siculum ducentis amplius annis ante bellum Troianum. Huius ætate aut non multo post, numerosa classis soluens ex Zacyntho (quæ insula Peloponneso ad Occasum in Ionio mari adiacet) in eam Hispaniæ partem perlata, vbi nunc Valentia cernitur, Zacynthum condidit (quod deinde nomen Sagunti appellatione mutauit) tribus à littore passuum millibus, se muniendi cura contra prouincialium vim, & vt esset quo fortunas aurum & argentum conferrent, scrutis vilissimisque rebus mutatum simplici homines ingenio sua bona & natiuas opes ignorabant. Eius arcis præsidio liberius in prouinciam penetrare ausi sunt, atque vicina littora explorare: adeo vt sexaginta ad Occasum passuum millibus idoneo loco, templum Hispaniæ celeberrimum Dianæ ex ædificare aggressi sint (vnde Dianium promontorium dictum) moreque è Græcia aduecto simulacris exornare, multoque victimarum sanguine nobilitare. Cæremoniarum insolentiam & totius structuræ maiestatem admirati incolæ, quasi è cælo lapsos homines, maiores conditione

ditione mortali heroes credere. & est innatus humano ingenio sensus & reuerentia diuinitatis. sic nulla re magis capitur quam religionis studio, vero aut simulato. Templi huius contignationem ex iunipero materia imprimis odorata, Plinius ad suam ætatem incorruptam mansisse est auctor. Secundum Zacynthos Dionysius alter centum quinquaginta circiter annis ante bellum Troianum, in extremam Hispaniam penetrasse fertur: atque in Bætis æstuariis inter duo eius fluminis ostia, quibus tunc decurrebat in mare, Nebrissam ædificasse, à nebridibus, id est, ceruinis pellibus, quibus Dionysius & socii in communi vita & cum sacris operabantur, vti soliti erant, Nebrissæ appellatione facta. cui deinde oppido Veneriæ cognomen accessit. Tres fuisse Dionysios seu Bacchos Diodorus
 10 scribit. Primum Deucalionis, vt ego interpretor, Noe filium, Osirim nempe Ægyptium, de quo superius est demonstratum. Alterum Proserpinæ seu Cereris filium, cuius ad simulachra cornua adhibere moris fuit, boues primum ad aratrum iunxisse monumentum. Tertius Semele ex adulterio natus fuit, & in vrbe Myro (quæ vox fœmur significat) educatus: vnde materia fabulandi in patris Iouis fœmore creuisse. Hunc ferunt primi Dionysii æmulatione, suscepta expeditione, multis obitis prouinciis, defunctum victoriis Hispaniam maleficiis omnibus atque immanitate repurgasse eorum, qui in tenuiorum fortunas grassabantur. Quo tempore Milicus Myricæ filius, fortassis & ipse è Siculi posteritate, gratia, opibus, auctoritate plurimum poterat inter Hispanos. Milici nepotes non procul Biatia Castulonem condiderunt in Bæticiæ agro, urbem quondam inter primas Hispaniæ
 20 nobilem. Dionysii duo socii ab eo reditum ad suos adornante in Hispania relictis cum potestate. Lusitania à quo Lusitanorum nomen & gens, & Pan, quem delusi vana superstitione homines diuinitati consecrarunt, & ab eo vniuersa prouincia Pania primum, deinde Spania dicta est. auctores Varro atque Plutarchus. Non longo annorum interuallo Iason Thessalus gloriæ cupiditate incensus, pyratice deditus (quod ingentes opes parabat, littoribus nondum munitis, hominibus per agros pastorum in morem in tuguriis habitantibus) Agri industria excellenti forma nauim ædificandam curauit: multisque sociis sibi adiunctis, Hercule Thebano, Orphæo, Lino, Castore & Polluce ex Thessalia soluens ad Sigeum Troiæ promontorium Hesionem Laomedontis filiam eripuit ab interitu: inde in Colchidem perlatus, vellusque aureum furatus, hoc est, auri gazam, quod per riuos è
 30 monte Caucaaso dilapsum villosis pellibus piscari quasi retibus soliti erant, cum iis copiis raptaque Medea in Mæotidem Cimmerico bosphoro superato penetrauit. Tanai mox aduerso, quo fluuio ab Europa fecernitur Asia, nauim aliquanto spatio, qua pertractam remulco, qua solutam in partes humerisque deportatam in Salmantico littore rursus cõpegisse fama est Germaniæ, Galliæ, atque Hispaniæ circumductis littoribus, tandem ad freti Gaditani fauces constitisse. in iis extremis, qua in Mediterraneum mare se pandunt, monti Calpi imposuisse arcem: quæ de Herculis nomine Heraclea dicta est. Prædæ cupiditate ex ea cum Hispanis varia fortuna pugnatum. Ingens præda fuit. qua in naues imposita, iustoque præsidio in arce relicto, Saguntum abiit. ibi benigne accepti propter communem originem linguæque commercium, ad Baleares excursionem facta, Bocorique earum
 40 Rege in potestatem redacto, quia nullum iis in locis aurum inueniebatur, comparato comætu, bobusque lectissimis in naues impositis in Italiam transferrere. Quo loco in mōtis Auentini antro interfecto Hercules Caco, morem etiam sustulit, Saturnum quotannis placandi hominem de ponte Miluio iactato, quod crudele erat & inhumanum: ritum tamen permanente, vt effigies hominum scirpeæ verorum vicariæ mitterentur in aquas. Longissima nauigatio fuit, miraculo comparanda. præsertim cum soluta rursus naui per Liguriam, qua parte breuissimus in Padum traiectus est; in Hadriam delati absoluta nauigatione læti & incolumes, tantis rebus perfectis clarissimi in patriam peruenisse credantur. Verum externa mittamus, satis oneris sustinentes Hispaniensium rerum commemoratione. Auctorem habeo Hecataum, qui Herculem Amphitrionis, alio nomine Alceum, venisse neget in Hispaniam. Diodori & aliorum omnium opinio resistit. Vestigia præterea in Hispania, Pyrenæis iugis, & Gallia Narbonensi huius expeditionis multis sæculis impressa, ipso in Italiæ aditu Alpes Lepontiæ & Euganæ ab Herculis comitibus sic dictæ declarant, venisse quidem in Hispaniam Herculem, & copiarum quidem partem terra in Italiam peruenisse, inde locis Græca nomina facta. Nam quod Geryonum cædes eidem à Virgilio tribuitur, errare potuit vt humanus, ex nominum similitudine temporibus commutandis. Post Herculis expeditionem & Milici ætatem, Gargoris in Hispania regnavit; mellis colligendi inuenta arte vsuque nobilis, vnde Mellicolæ cognomen affingendi occasio. Huius ætate bello Troiano confecto, atque vtriusque exercitus reliquiis in variis orbis partes dispersis, non pauci neque contemnendi Græcorum Duces in Hispaniam na-

uigarunt. & nostrorum scriptorum consentiens opinio confirmat, multas gentes eo antiquitus tractas propter locorum commoditatem in variis eius prouinciæ partibus confedisse. In quo numero Teucer amissæ Aiace fratre, eoque à patre Telamone aditu patriæ prohibitus, in Cypro Salaminam urbem patriæ cognominem constituit. in Hispania deinde, quibus locis Carthago est, urbem alteram de suo nomine Teucriam posuisse memoratur. quod pro vero relinquerem, si Isidori testimonio, qui Teucrum quidem in Hispaniam venisse ait, confirmaretur: aut eius urbis aliqua vestigia vel obscura possent demonstrari. Illud constanti auctorum fide traditur, Teucrum freti faucibus enauigatis, flexisque ad dextram prorsis, ac promontorio Sacro superato, in Galæciæ littore urbem Hellenem construxisse, quo nunc loco Ponteuedra sita est, de focii nomine Amphiochiam, quam Romani Aquas calidas dixerunt, Sueui (quo tempore iis locis imperium tenuere) Auriam. Diomedem rursus memorant Tydei filium Hispaniæ littoribus præternauigatis, repulsum vndique prouincialium virtute supra Lusitaniam Tudem siue Tydem urbem paterni nominis monumentum exædificasse, eo terrarum tractu, qui Minii & Limiæ ostiis ad mare est inclusus. Omnino Mnestheus Atheniensis auctore Strabone libro tertio, sua & ipse classe in Gadeis delatus, è regione eius insulæ qua parte Belon, qui Guadalchis est, in mare influit, urbem sibi cognominem ab imo totam construxit portu munitam. Templum etiam in eodem littore inter duo Bætis brachia, cui olim templo Mnesthei oraculo nomen fuit: quod ad Græcam superstitionem inter Hispanos suscipiendam, magnum attulit momentum. Vlysem tandem venisse in Hispaniam, atque in Lusitanæ littore urbem Vlyssiponem condidisse Strabo Solinusque, ipsoque ex nomine ducta coniectura confirmant. Refellunt quidam tum nominis argumento, nam Olisipo ex antiquis monumentis, & lapidum inscriptionibus nominari scribiq; debet. & quoniam Vlyssis aræ supra mare Armoricum in Belgis non vno loco extabant. nempe ex Græca vanitate, quem in Deorum numero habebant, ei templa atque oppida consecrabant. quod Hispanis contigisse etiam, non inepte prorsus arbitrantur.

Habidis res gestæ, & generalis Hispaniæ siccitas.

C A P. XIII.

IN T E R E A Gargoris Rex in Tartessiorum saltu, vbi Titanas aduersus Deos bella ³⁰ gessisse antiquitas finxit, Curetum regnum tenens auctore Iustino, cæteras virtutes omnes, quæ magnæ in illo fuerunt, vna crudelitate sugillabat. Habidem nepotem ex filia furto conceptum ad depellendam generis ignominiam, dolorem ex eo casu procurandum, feris laniandum in monte obiici mandauit. Illæ naturæ conditione mutata eam infanti exhibuerunt humanitatem, quem efferatus aui animus denegarât, vberibus distentis lacte etiam in os instillato. Repertum incolumem, in angusto primum tramite pecoribus conculcandum, aui iussu proiectum ad maiora fata numinaque seruarunt. Multorum dierum inedia macerata canes, quibus & suis denuo fuerat obiectus, quodam misericordiæ sensu vltro lactarunt. In mare demum præcipitatum fluctus sustentarunt, cerua in littore diligenter aluit. Pro alimenti conditio- ⁴⁰ ne animi mores corporaque mutantur. eo lacte educatus, mirabile dictu est, quantam pedibus grandior celeritatem excitari. ferarum cursum adæquabat, vndique prædas agebat importunus & audax. neque resisti poterat, cum ad velocitatem vires & industriam adderet. Infidiis tamen exceptus, laqueoque implicitus ad auum perductus est Ille ad iuuenis conspectum sensu naturæ tacito, quo sæpe ignorantibus tangimur, (& nescio quid ea fortuna maius micabat in facie) vultu nepotis & notis, quæ infan- ⁵⁰ tulo iniustæ erant, attente consideratis, intellexit nepotem suum non absque deorum consilio è tot periculis fuisse seruatum. Odium humanitate mutatum. Habidem nominatum regio cultu, dum vixit, apud se habuit: moriens successorem regni, hæredem fortunarum reliquit. Suscepto imperio cæteros ante se Reges industria & virtute superauit ingenio præstanti, corpore tantis laboribus durato: quæ res magnas difficultates non solum mitigare, sed exhaurire etiam consuevit. Feros homines per agros dissipatos in vrbes & oppida coire persuasit, quantum præsidii esset in mutua societate, atque communis iuris commercio demonstrans. ad vitæ cultioris commoda, disciplinæ studium adiectum. sic feri gentis mores humanitate mutati. Vini usum, agrique colendi rationem longo ex interuallo restituit: nam herbis antea, & sponte natis frugibus pomisque tolerabant vitam. Leges sanxit, fora constituit, iudicia & magistratus ordinauit. Quo virtutum tenore incredibilem à suis gratiam, apud exterarum ^{natio-}

nationes nominis celebritatem consecutus, ætate omni ad vltimam senectutem peracta, vitam morte mutauit. Eius posterius per multa secula regnum tenuisse traduntur, nulla neque nominum neque temporum designatione, nisi quod Habidis res gestæ in Dauidis Iudaici Regis ætatem incidisse creduntur. Iustinus videtur Geryonibus æqualem facere, & in diuersa parte tenuisse imperium. Consequenti tempore nihil in Hispania accidit memorabile, quod quidem in litteras sit relatum, præter insignem & diuturnam, quæ non multo post consecuta est in Hispania, terræ aerisque viginti sex annorum siccitatem, vt nostrates historiæ affirmant, tantam vt fontibus fluuiisque omnibus, præter Iberum & Bætium, præ ariditate consumptis, humoreque penitus exsiccato, quo partes terræ puluisque coagmentantur, agri in vastos hiatus abirent, facultate sublata alio commigrare cupientibus vitæ sustentandæ necessitate. Sic Hispania locis præsertim mediterraneis arborum & herbarum honore nudata (paucas quasdam arbores ad Bætis ripas conseruatas aiunt) bestiis & hominibus consumptis fame, in solitudinem redacta est miserabilem vastitatem. Regum nobiliumque progenies à stirpe defecit, tenuioribus, quibus res angusta domi erat neque in multos dies paratus com meatus, in vicinas prouincias locaque maritima tempestiue dilapsis. Vnde terræ tandem post vim ventorum maximam, qui subsecuti sunt, & arbores omnes radicitus conuulserunt, copiosis pluuiis depulso malo, ad pristinas sedes aliis permixti gentibus reuersi Hispanorum gentem & nomen ferme ad interitum perductum instaurasse creduntur. Sic nostræ historiæ sentiunt. Alii præstanti homines ingenio eruditione magna, huius narrationis fidem conantur eleuare his fere argumentis. Quod nullus neque Latinorum neque Græcorum scriptorum, ac ne nostræ quidem omnes historiæ tantæ rei mentionem faciant, cum sæpe leuia & minutissima quæque persequantur. Nulla neque profectio Hispanorum neque reditus vestigia extant, nulla monumenta, minori sæpe de causa excitari solita. Negant deinde tanta & tam diuturna siccitate, qualem fuisse perhibent, humoris partem aliquam in Bæti, Ibero aut omnino vlla in parte conseruari potuisse, quantum humoris vnius ætatis spatio ob pluuiarum raritatem Solis æstu consumatur ad coniecturam de re tota reuocantes. quo tempore sæpe copiosa flumina exsiccantur consumptis penitus aquis: præsertim si maligni sideris vis terris incubuerit, eoque maiori aliqua ariditate laboratum fuerit. Adiciunt tam longi temporis siccitate, non fatiscere terram, sed in puluerem comminui necesse fuisse: cum humore concreuant corpora, soluantur ariditate: Africæ Libyæque exemplo, vbi præ Solis æstu terræ humore consumpto, pulueris fluctus montesque vi ventorum concitarentur. Hæc illi. Nos ductam per manus famam, & historiæ nostrarum consentiens testimonium temere repudianda non putamus. & licet antiquitatem excusare, quæ summas rerum nunciat tantum, ordinem & vestigia confundit: aut quæ aliis contigerunt, in alios permutat. fama omnia in maius auget, vt in magnorum fluminum lapsu, non temporum interuallo modo, sed & locorum longinquitate non maxima sæpe memoria vitiata. Quod in re præfenti euenisse arbitror ariditate eius temporis, minus diuturna, certe minus graui. pluuiis malignis nonnullis tamen terram irrigatam subactamque, ne solueretur in puluerem: neque fluuiorum aquas omnium penitus defecisse, fructus modo arborum terræque fruges ad maturitatem perducere, hiatusque & voragines semel patefactas, coagmentari nimiam siccitatem vetasse. Et fortassis quod Phaetontis ætate in aliis prouinciis accidit: terras exustas Solis ardoribus, aeris insolenti siccitate (fabulæ commento rem gestam antiquitas adumbravit) eandem calamitatem Hispania pertulit, huic alioqui malo inter primas obnoxia:

Celtæ, Rhodii, Assyrii in Hispaniam veniunt,

C A P. XIII.

HISPANIÆ vastitatis fama finitimarum gentium animos misericordia compleuit, rerum humanarum vices considerantium: deinde depulso malo magnam earum multitudinem in prouinciam attraxit. Agros, cultum, & copias Hispanorum, aut suis ipsi oculis viderant rebus integris, aut ex aliorum prædicatione adamare cœperant. Cum vxoribus, liberis, atque impedimentis omnibus populariter commigrarunt: vastæque & latissimæ prouinciæ eam pro se quisque partem domicilio delegit, quam rebus suis maxime idoneam fore iudicabat: siue pecore diues esset, siue agrorum cultui commercio deditus. Horum industria, multitudo, fecunditate haud longissimo tempore pristina elegancia, cultus, frequentia restituta locis est, nouaque rebus facies reddita malorum colluione sublata. Ex finitima Gallia Celtæ Pyrenæi iugis superatis, Hispaniæ tractum incolendum susceperunt ad Iberi ripam protensum, Idubedæ monti ad Solis ortum adiacentem, lætissimæ tæli solique facie, vbi Turiaso, Nertobriga, & Arcobriga erant: Ab his & Iberis mixto in-

ter se sanguine Celtiberiæ gentis appellatio conflata etiam est, initio angustioris: deinde sobole aucta fines gentis nomenque ad Austrum prolatum, argumento Segobrigam, Belinum, Valeriam, Vrcefiã, aliaque oppida locis remota ab idoneis scriptoribus in Celtiberis poni. quod plerisque gentibus accidit, vt procedente tempore earum gentium fines alternarent, nunc angusti, nunc lati pro rerum euentu vario. His finitimi ad Septentrionem Areuaces, vbi Vxama & Agreda sunt, Duraci, Pelendones, Neritæ, Præfamarci, Cileni Celtiberis contributi, iisque sanguine coniuncti, locis finitimi vno se tempore ex Gallia in Hispaniam infudisse creduntur, coniectura probabili, argumento euincente nullo. Illud maiori fide nititur: Rhodios propter magnum in re nautica vsum, maris imperium tenuisse annis viginti tribus, & quod in aliis prouinciis præstitum erat, vt se muniendi causa, classisq; continendi maris tempestatibus clauso mari, præterea vnde commercii cum prouincialibus facultas esset, arces multis locis construerent: idem sibi in extrema Hispaniæ ora faciendum iudicasse, ad Pyrenæi montis radices Rhodope cõstituta ad idoneam maris stationem. quæ vrbs à nostris Rosas vocatur, in eam amplitudinem quondam aucta, vt Gothorum imperio Episcopi sede esset insignis: nunc ad casas redacta præter ruinas & antiquæ nobilitatis vestigia nihil retinet. Nauticos ex sparto funes plectere, atq; ad varios vitæ vsus storeas Rhodii primi docuerunt Hispanos. molas trufatiles versare manu molendo frumẽto, & ad facilitatem conficiendi panis: quod multo ante labore rudibus ingeniis & industriæ omnis ignaris constabat. Numos ex ære percussos primi mortalium in Hispaniam inuexerunt, magno miraculo risuque initio prouincialium, cum paruo ære, vnde nullus vsus sperabatur, viderent cibos, tegumenta, variaque instrumenta mutari. Accessit religionis cura Dianæ templo Saguntinorum imitatione ædificato: quod exquisitis cæremoniis hostiisque colebatur. Fortassis etiam (nam ritus non explicatur) more è Tauris translato, apud quos hospites Dianæ immolare vsitatum erat. Herculi oraculum præterea constitutum sacraque: quæ non faustis acclamationibus, neque sacerdotum placida prece, sed maledictis & execratione peragebantur: nullaque re magis contaminari habebant persuasum, quam si inter solennes ritus vel imprudenti bonum verbum excidisset. Cuius rei hæc ratio reddebatur. Hercules Lyndum, quod est oppidum Rhodi, delatus forte, ab aratore bouem alterum pretio sibi vendi postulauit: & cum non impetraret, vtrunque vi abstulit. Iniuriam ille, quoniam nihil aliud supererat, maledictis vltus est. Hercules tum quidem inter epulas cum risu & cachinnis audiuit. Postmodum eo ad diuinitatem cõsecrato Lyndi ciuibus placuit rei gestæ monumentum perpetuis sacris celebrare ara posita, quam Bouzygon, id est, bouis iugum dixerunt: atque eo ipso rustico sacerdote creato, binis maçtatis bobus, conuitia in Herculem certis temporibus instaurari sanxerunt. Is mos ritusque à posteris conseruatus hoc tempore ex Græca vanitate, Rhodiorum commercio, cum multis venit in Hispaniam. Rhodope ex aduersum Emporiarum sita est duodecim millium traiectu interualloque inter vtranque ciuitatem. Pyrenæi montes, quibus hæ vrbes vicinæ sunt, per hoc tempus omni ex parte conflagrasse memorantur, de cælo tacti, an à pastoribus incendio per imprudentiam excitato. forte etiam de industria arboribus dumisque combustis campos pandere, idonea culturæ & habitationi reddere rura propositum erat. Ex ea re Pyrenæi vocari ii montes cœperunt à Græcis hominibus, quorum lingua, Pyr, ignem significat. Alii malunt ab igne cælesti eam appellationem conflata, quo sæpe tanguntur ob sublimitatem. Nam quod de Pyrene quidam fingunt ab Hercule adamata, atque iis in locis defuncta, aut à Pyrrho Rege quondam Hispano affirmant Pyrenæorum vocem fluxisse: à sanioribus tanquam fabulosum repudiatur. Omnino eius incendii vi, auri & argenti venæ, quibus tum ii montes tum vniuersa Hispania scatebat, eoque Plutonem in eius terræ visceribus delitescere fingebatur, conflata ardore atque soluta riuos liquati metalli in omnes partes emiserunt. Ii riuus sedato incendio concreti fulgore suo admirationem prouincialibus commouerunt: contempti tamen ab ignorantibus quanti ea metalla essent. Aliis tamen nationibus re vulgata in Hispaniam veniendi incredibilem animis cupiditatem immiserunt, minime dubitantibus, ab ignaris suorum bonorum Hispanis, facile aurum & argentum impetraturos se, aut vilissimis mercibus scrutisque commutaturos.

Phœnicum in Hispaniam aduentus. C A P. XV.

PHOENICES primi mortalium mare classibus tentasse feruntur: atque ad regendum nauium cursum Elicem Cynosuram, ipsumque imprimis cæli cardinem obseruasse. Ii maris imperio Rhodiis, Phrygibusque erepto, Tyroque nobilissimo Orientis emporio profecti

profecti ad Hispaniæ copias inter primos nauigarunt. Hispaniæ partem quam primum tenuerint, auctores non consentiunt. Aristoteles Phœnices ait, ad Gaditanum fretum appulos tantam argenti vim à Tarcessiacis oleo aduectitio mutasse, ut cum neque nauibus ferri neque capi posset, omne instrumentum nauticum ipsasque anchoras ex argento conflarent. Fortassis Pyrenæi incendium per alias etiam Hispaniæ partes montesque vagatum similes ubique copias produxit in lucem. aut quod vero est propius, argentum ipsi effoderant, cuius secturis Batica abundabat imprimis. Alioqui Phœnices extimas Hispaniæ partes primum tentasse credibile est: atque argenti vim illam maximam ex Pyrenæi incendio sublatam concedentibus prouincialibus, mercium quas afferebant permutatione. Sichæum autem vel huic classi Ducem (quod nostri scriptores affirmant) vel non multo post repetitis subinde nauigationibus uenisse in Hispaniam, credi par est: atque ex eo commercio eas copias parasse, quæ regiæ quidem sororis nuptias conciliarunt primum, exitio deinde fuerunt, Pygmalione leuiro auri Hispanici cupiditate corrupto: Didonem occiso marito iis copiis raptim in naues impositis ereptisque tyranno, fugam Tharsis, id est Tunetum, cum qua vrbe Tyriis frequens erat commercium, adornasse: multis adiunctis sociis Sichæi misericordia, odio tyranni, viduam Didonem secutis. Iis ad sobolem propagadam in Cypro excensione facta virgines raptæ, abductæque Charchedonem: quod oppidum olim Charchedon Tyrius à Tuneto vrbe duodecim passuum millibus condiderat. In eo agro à prouincialibus auro redemptum terræ quantum bouino corio complecterentur: quo in tenuissimas partes dissecto iustæ arcis idoneum locum occuparunt, fraudem incolis dissimulantibus. Vnde & arci nomen Byrsæ factum est, id enim bouinum corium significat, ut Iustinus scribit libro octauo decimo. Alioqui vero propius est Byrsam Phœnicum lingua, quæ Hebraicæ affinis est, dictam quasi Bosrâ, quæ vox arcem munitionemque significat Hebræis. Eam arcem perpetuo muro cum Charchedone iunctam, locisque amplificatam, atque nouis exornatam ædificiis Carthaginem nominauit, conditam urbem annis duobus & septuaginta priusquàm Romanæ Urbis fundamenta constarent. Verùm externa mittamus, ne incerto exitu infinita feratur oratio nostra. in Hispaniã redeamus. Ad quam Sichæo sublato Pygmalion nauigatione Hispanica, quæ aliquot annis intermissa fuerat, instaurata, uenisse in Hispaniam fertur: atque ad Turdulorum littoris partem eam, ubi

10 Almunecar oppidum cernitur, urbem Axim seu Exim nomine condidisse. Inde commercio cum prouincialibus inito, atque Hispanicis copiis onusta classe reuersum in patriam. Repetita iterum & tertio ea nauigatione Gadeis tenuisse nostri historici confirmant: quam insulam ab Ori sociis Erythrææ nomen accepisse supra est demonstratum, Gadiram ab his Phœnicibus, quod ut Hispaniæ tepes marinis Oceani fluctibus obiecta esset, quidam diuersam causam eius appellationis designant, nimirum oppidum quod primum in ea insula constituerunt Phœnices, sepe valloque mœnium vice muniuisse. Herculi in eo oppido templum constructum aiunt, ex aduersum continentis, qua parte extenuata in cuspidem insula desinebat in promontorium Herculeum ab eo templo dictum. sic perspicaci homines ingenio odorantur. Bini profecto

20 in ea insula putei erant admirandæ naturæ, alendæ superstitioni idonei. alter aqua dulci, cum se æstus ex alto incitabat, quod bis accidit quotidie duodecim horarum spatium, incrementa similia & decrementa suscipiens. falsa alter, easdem vicissitudines sed ex contrario ferens, imminuta aqua cum se æstus extulisset, aucta remittente æstu. Erat & Geryonis arbor, sic dicta, quod præciso aliquo ramo, humore quasi sanguine sudaret, eorubicundiore, quo propius radices ea debatur, cortice pineo, ramis ad terram inflexis, foliis cubiti longitudine, latitudine digitorum quatuor, neque plures vna & altera, quam prioris radices protulerunt. Ad Phœnices redeamus. qui aliis constitutis oppidis, in quo numero Malaca & Abdera sunt, & Baticæ parte sub iugum missa, ad vniuersam Hispaniæ imperium niti cœperunt non obscure, eius prouinciæ opibus & commercio formidabiles. Plato in Timæo est auctor, Atlantides (iacent Gadeis in Atlantico mari) ex Erythræa insula profectos, & in Achaiam delatos Athenas quidem initio expugnasse, deinde autem belli conuersa fortuna ad vnum omnes periisse. Eam expeditionem de Phœnicibus quidam interpretantur, Orientis, Occidentisque imperio validis, Gadeis obtinentibus. Vno tempore Romanæ Urbis fundamenta ponebantur, & Iudæorum republ. Ezechias Rex gubernabat Israelis regno, quod decem eius gentis tribus complectebatur, sublato ductu Salmanasaris Assyrii Regis potentissimi. Huius filius Senacheribus numerofo exercitu comparato, orbisque imperium animo complexus, Iudæam prouinciã igne, ferro, & direptionibus vastauit, Hierosolymam obsedit. Curfu tan-

dem victoriarum elatus, maioraque versans animo, quam quæ gerere videbatur, relicto cum copiarum parte Rabface subigenda Hierosolyma anno quartodecimo regni Ezechie, ipse cum robore exercitus Pelusium progressus, quæ Heliopolis fuit, ab ea obsidione cum ignominia est repulsus, Tarachone, qui ad Æthiopiæ regnum, Ægyptum armis adiecerat, obuiam facto. Herodotus à muribus dixit omni bellico instrumento corrupto. vitata memoria arbitror, quam Hierosolymæ accepit in ipso reditu cladem, centum octoginta quinque hominum millibus diuinitus vna nocte prostratis, ad Ægyptios transtulisse. nisi forte diuina vrgens vltio vtroque loco susceptæ impietatis pœnas sumpsit. Tarachonem hunc scribunt Assyriorum tempestate ab Ægypti finibus pulsa victricibus armis tum alias prouincias lustrasse, subegisse gentes, tum in Hispaniam directo cursu (Strabo in Europam¹⁰ progressum ait) in ea ora cis Iberum in edito tumulo Tarraconem urbem sibi cognominem condidisse. quam tamen Scipiones multo post tempore instaurantes primæ conditionis laudem tulerunt, Plinii etiam Solinique testimonio, neque apud vulgus tantum, sed etiam ab expolitis ingenio & doctrina hominibus attributam.

Carthaginenses Ebusum capiunt, Baleares tentant.

C A P. X V I.

SECVNDVM hæc Carthaginenses cum validis instructi classibus terra marique essent potentissimi, & ad imperii amplificationem multum referre haberent persuasum, si vicinis Mediterranei maris insulis potirentur: vnde ad Europæ imperium gradum facere cogitabant: primum Siciliam armis tentarunt, deinde Sardiniam atque Corsicam euentu vario, successu haud satis prospero, cum vndique insularum virtute repellerentur. Optimum visum est minores primum insulas aggredi. Itaque Liguriæ & Galliæ ora relicta, atque ad Hispaniæ littus directo cursu Ebusum coeperunt insulam scopulis quidem circumcirca impeditam, adituque difficilem, nisi qua ad Austrum idoneus portus se pandit: Dianio promontorio obiectam disinctamque à continenti centum non amplius millib. passuum: cæterum locis angustam ac vix ambitu colligentem viginti millia passuum: plurima ex parte syluis obstitam, vnde à Græcis Pityusæ à pinorum copia nomen tulit: salinis diuitè, atque totius terræ nobilitate præcipua: quando venenata animantia ipsa non procreat, aduecta perimit naturæ vi quadam admirabili: eo amplius cum non sine ludentis naturæ miraculo Ophiusa prope sita esset, noxiis scatens atque vastata animantibus, vt prisci Cosmographi testati sunt. Quæ quo hoc tempore nomine vocetur, diuinare facilius est, quam certa ratione designare: aliis Formenteram facientibus bis mille passibus remotam ab Ebuso: aliis Draconeram putantibus maiori Baleari propemodum coniunctam. Doctioribus placet montem Colubrarium continenti vicinum, atque Peninsula oppido obiectum Ophiusam credere, in quem signa vetera consentiunt: serpentibus impediri atque vastari, vnde Græci Ophiusam dixerunt, Latini Colubrariam. Neque moueat quod antiqui descriptores terræ Ophiusam Ebuso propinquam fecerunt, falli promptum fuit propter regionum longinquitatem. Ergo Carthaginenses in insula Ebuso vrbe eiusdem nominis ædificata, duas alias ad Ortum insulas adiuerunt, ab Hispaniæ littore sexaginta passuum millibus seiunctas, inter se triginta has Græci quoniam à nudis hominibus incolebantur dixerunt gymneas, à fundis quibus certissime collimabant, Baleares: & alioqui minorem Nuram, maiorem Clumbam Florianus dictas ex Antonino ait. Harum insularum littora & aditus omnes Poeni quidem circumducta classe explorarunt. interiora penetrare ausi non sunt, incolarum feritate deterriti: quos qui laceffissent ardentiori spiritu iuuenes, cæsi atque reiecti in naues reliquis documento fuerunt, feros montanosque homines temere irritandos non esse. Hispaniæ deinde littora tentata, si possent aut commercio prouinciales aut armis subiugare, Hispanorumque copias Carthaginem auertere. euentu nullo duas ob causas. Saguntini iis insulis vicini, vt erant à multo vsu cauti magnoque ingenio, non ignari Pœnos libertati Hispanorum insidiari, à suis eos littoribus prohibuerunt. ingeniorum dexteritate prouincialibus persuasis ab eius gentis commercio abstinere: in specie amicitiae latere insidias. Accidit commode vt res aduersæ Carthagine classes in patriam reuocarent. quæ intestinis dissidiis fluctuabat, & Africanorum armis impar erat. præterea sæuissima pestis lue per ignobilia capita vagata in vrbe ad paucos erant redacti. Iis malis procurandis cruenta sacrorum religione & scelere pro remedio vsi sunt. Ritu ex Syria translato, vbi Melchon, id est, Saturnus à Moabitis & Phœnicibus humano sanguine placabatur, sancitum ex oraculorum responso, quotannis lectissimos iuuenes eius
Dei

Dei numine placando vt mactarent. Erat simulacrum ingens manibus cauis & complicatis, quibus impositi infantes, pueri, adolentes in subiectam foueam igne ardentem arte quadam præcipitabat. Magnus circumstantium clamor erat, tympanorum & sistorum crepitu partes omnes personabant, ne iuuenum scilicet eiulatus auditi ad misericordiam reuocarent animos. Ea se religione cum ciuitas implicasset, calamitatis sæpe causæ depulsæ sunt, diuino numine abiectum veritatis lumen nouo & maiori errore vindicante. Impius & crudelis ritus non magno interuallo in Siciliam primum ex Africa, deinde ad Hispanos manauit. tanta immanitate vt rebus in supremum & maximum periculum adductis, nisi Regis maiori filio mactato non satis propitiari numen, haberent persuasum. Quod Moabitarum Regem vsurpasse, cum à Iudæis obsidione premeretur, diuinæ perhibent litteræ. & fortassis memoria retinebant, Abrahamum Iudaicæ gentis auctorem à Deo iussum, filium vnicum aræ impositum iugulare. Mala sæpe exempla ex bonis initiis sunt nata. Philo sane in Phœnicum historia morem, inquit, supremis periculis fuisse, ciuitatis Principem, filium dilectissimum dæmonio vltori pretium liberationis offerre. quod Saturnum, quem Phœnices Israelem vocant, fecisse ait, filio ex Anobret Nympha vnico, cum bello ciuitas premeretur, super aram regis ornamentis impositis immolato. corrupta memoria Israelem posuit, quippe homo externus, pro Abrahamo.

Argantonii ætas.

C A P. XVII.

IN HOC ipsum tempus, quantū in rebus tam antiquis conicere licet, annum sexcentissimum vigessimū ante Christi Dei ortum salutarem, cum se hominibus in carne monstrauit: qui annus ab Vrbe condita centesimus trigessimus secundus erat, Argantonii Tartessorum Regis nobilissimi ætas incidit. Hunc Silius totos tercentos annos vixisse ait: Plinius ex Anacreontis sententia eam annorum illi summam dimidiatam dat. Erat illi magnus in re militari vsus, & ex multarum rerum varietate prudentia singularis: vsque eo vt rerum summam & imperium permitterent prouinciales, eius virtute atque industria vanos fore Phœnicum conatus sperantes, iam ex latebris atque insidiis erumpentium in apertam tyrannidem. Quam vt constituerent in continentem traicere, rixas contentionesque serere inter Hispanos, alias ex aliis discordiarum causas necere, sensimque multa oppida suæ ipsorum ditioni subiugare. Cognito prouinciales periculo condonatis mutuis iniuriis patriæ caritati, sub vnus imperio deuincti Phœnicum audaciam reprimunt, susceptam à maioribus libertatem tuentur. Auctorem habeo, qui Argantonium affirmat cursu victoriarum secundo Baticæ oram maritimam vniuersam, ipsasque adeo Gadeis sub imperium misisse. quod haud difficillimum fuit plerisque Phœnicibus ex ea insula profectis Tyrum, auxilium aduersus Nabuchodonosorem Babylonium: qui numerofo exercitu formidabilis in Iudæam impetu factō, Hierosolymam urbem copiis, frequentia, ipsaque imprimis loci sanctitate inter Orientis ciuitates facile principem ceperat, Sedechia Rege capto, atque cum vniuersa Iudæorum multitudine in seruitutem abacto. Tyrios deinde impugnandos sumpserat mari terraque nobilissimum Orientis emporium. Illi quanto in periculo res essent, Carthaginem in Africa, in Hispania Gaditanos extrusis legatis monuerunt. Ni mature opem communi patriæ tulissent, vnde ortierant, & cuius industria atque commercio tantas diuitias parassent, instare exitium. Debere eos siue communi naturæ sensu tam opulentæ paulō ante ciuitatis misericordia tangi: siue communis patriæ periculo moueri: siue etiam suorum commodorum respectu, quæ cadente Tyro euertebantur. Celeritate opus esse propter locorum longinquitatem, rerum angustiam. Rei bene gerendæ occasionem, cum in celeri momento versetur, frustra amissam quæri. Non debere eos sumptibus deterreri, quos victoria parta facile compensare posset. Laborem, periculum, sanguinem, si opus esset, communi parenti, vnde omnia accepissent, patriæque caritati denegare, nefas esse. Hac denunciatione quid Carthaginenses fecerint clam est: Gaditani certe ea permoti, delectu suorum habito & Hispanorum auxiliis aduocatis, instructa numerosa classe, secundisque à puppi ventis, paucis diebus in Tyri conspectum delati, per mediam hostium classem ad obsessos penetrarunt. Eorum aduentū ciuibus cum spe defensionis studium etiam propugnandi accessit, tantum vt integris ferme quatuor annis obsidionem tolerarint, enixe tum Tyriis tum Hispanis pro extrema spe dimicantibus. sic patientia atque virtute obsessorum fractis Babylonii animis ab obsidione discesserant. Commodum etiam ex Africa nunciabatur; magnas in Ægypto copias

aduersus Nabuchdonosorem conscribi: quos is conatus priusquam mora conualescerent, reprimendos iudicabat. Pugnatum inter utrosque initio varia belli fortuna: Ægyptus tandem & Africa victori, armis domitæ cesserunt. Inde Hispaniam transmisit, tpe ditissimæ prouinciæ copias occupandi: simul studio ardens vindicandi missa Tyrum auxilia. In extrema Hispania ad Pyrenæi radices exposito milite, reliquam Hispaniam Gadeis usque peruagatus victoriis est. (Iosephus in Antiquitatib. à Nabuchdonosore affirmat, huius Nabuchdonosoris filio, Hispaniâ subiugatâ, Tyrû obsessam) Verû cum se prouinciales ad resistendû cõpararêt, neque Babylonius vellet superiores victorias aduerso aliquo casu corrumpere: satis diuitiarû congestû esse, satis ad nominis gloriâ profecisse, orbis finibus imperio terminato consideranti optimum visum est numerosa comparata classe soluere ex Hispania. 171. uti fecit ab Vrbe condita anno. 171. Huius aduentu in Hispaniam nonnulli, cum multos Iudæos in expeditionem traheret, arbitrati sunt, multa Hebraica nomina cum in Bætica tum in Carpetania locis adhæsisse. atque ex ea gente Toletum, Scalonam, Nouem, Maquedam, Iepem, aliaque minora oppida fuisse constituta, ab Ascalone, Nobe, Mageddone, & Ioppe Palestinæ urbibus, appellationibus mutuatis. Toleti vocem à Tholedoth derivatâ, quæ nomen Hebræis progenies familiaeque significat, quæ magno numero eius urbis fundamenta posuerint. Quam opinionem neque refellere operæ pretium est, neque probare animus, cum leui coniectura nixa sit, neque veterum scriptorum fide auctoritateque fulciatur. Sic compressa Phœnicum audacia & Babylonis ex Hispania reuersis Phocæenses Phocæa Ionix ciuitate profecti, cum classe longarum nauium, quarum primi Phocæenses inuectores extiterant, in Italiam, Galliam, atque Hispaniam nauigarunt Harpali sæuitiam veriti copiarum pro Cyro in Asia Ducis sic suspicari iuuat. Ii in extrema Lucania ex aduersum Siciliae Velia vrbe constituta, cæli eius grauitatem & loci sterilitatem exosi, atque ab incolis male accepti, pars Corsica tentata, atque ad Gallix littus prouecti idoneum portum nacti, tumulto tribus ex partibus mari cincto, difficili è terra aditu propter loci naturam vallemque altissimam Massiliam urbem condiderunt. Pars in Hispaniam Tartessumque nauigantes, Argantonio Rege in urbem admissi oppositas Tartesso insulas (nunc omnes præter vnam Lunoniâ nomine perierunt) quæ Aphrodisiæ vocabantur, Græco instituto atque ædificiorum elegantia excoluisse memorantur: effecisseque industria, ut 210. quæ paulo ante neglectæ iacebant, ciuibus in deliciis essent. Subsecutum Argantonii funus anno circiter ducentesimo decimo ab Vrbe condita tot circum tumultum obeliscis lapideis constitutis scilicet, quot in bello hostes sua ipse manu peremerat. quem morem ritumque tumulandi mortuos Hispanis solennem atque vsitatum fuisse, Aristoteles est auctor.

Phœnices imperium meditantur Hispania. C A P. X V I I I.

ARGANTONII mortem magni motus sunt consecuti. Hispania non secus ac destituta gubernatore nauis magnis tempestatibus iactata deinceps est: belli fortuna alternante atque ab Hispanis tandem auersa, quibus libertas erepta est Carthaginensibus in prouinciam attractis. Phœnices per hæc tempora numero, viribus, & copiis aucti, atque iugo Hispanorum excusso, Gadeis insulam receperunt, fortunarum domicilium, commercii sedem, arcem imperii. vnde in continentem transmittere cogitabant, si qua se occasio dedisset. Hæc cogitantibus, neque rationem tantæ rei perficiendæ satis explicantibus optimum visum est, religionis prætextu aggredi, quo nihil est in speciem fallacius. Quasi per quietem iussi essent Herculis sacra in Hispaniam transferre, templum Herculi in continenti ædificandi facultatem sibi, locumque esse prouinciales postularunt: & cum datum esset, iustæ arcis forma, addita munitione, magnis molibus ad culmen breui perduxerunt. Multi loci religione, & insolenti cæremoniarum apparatu allecti locum illum domicilio delegerunt. Sic in urbis æmulam magnitudinem non magno interuallo excreuit, eo loco sita ut creditur, vbi nunc Medina Assidonia cernitur. Nam & Sidonis nomen consentit, & locus, cum sit obiecta Gadibus, à maris littore, sedecim passuum millibus. Obtinebant præterea alias vrbes minoraque oppida, vel ex ipsorum numero constituta, vel per vim ablata finitimis. Vnde ac ex templo præsertim prædas agere pecorum hominumque. Turdetum urbem, quæ olim posita fuit, præter Casarianum & Arcobrigam (hæc hodie Xerez & Arcos sunt) suæ ditionis fecerunt nullo meliori iure quam quod in vi & armis erat. A Turdeto sunt dicti Turdetani amplissima olim Bæticiæ natio secundum Oceani littora Ana flumine terminati Bastuli & ipsi in Bæticiæ parte à Tartesso Veram usque fusi ad Mediterranei maris oram. Turduli à Menesthæi portu (is hodie portus à Sancta Maria nomen habet) præter Ortum

Ortum & Septentrionem extenſi paulo infra Cōrdubam Bæti ſuperato, & Marianos
 montes attingentes, vſque ad extremum Bæticæ limitem mediterranea obrinebant. Tur-
 dulos & Turdetanos Liuius, Polybiusque vnam nationem faciunt. plerique eorum fines
 confundunt. quominus iis deſcribendis, aliisque populorum nominibus eorum ambitu
 comprehenſis, ſigillatim recenſendis laborandum puto, Maſſienis, Selbiſis, Curenſi-
 bus, Ligniis, aliisque haud exiguo numero nominatis à veteribus regionum deſcriptori-
 bus. Quod rei præſentis eſt tamen tantis iniuriis læſa prouincialium patientia, & nouæ
 vrbis incrementa ſuſpecta habentes finitimi, bello Gaditanos laceſſere conſtituunt con-
 ſilio gentis ad diem certam indiſto. In eo conuentu Phœnicum iniurias conqueſti ſunt.
 10 Vt ſemel Aſſidonix templum ædificare cepiſſent, iugum prouinciæ ceruicibus impoſi-
 tum grauiffimum. Homines eſſe auaritia inſatiabili, crudelitate maxima, ex fraude &
 arrogantia compoſitos. in religionis ſimulatione inexpiabiles fraudes, immania ſcelera
 contegere. Non poſſe diutius eorum iniurias ſuſtineri. niſi quid auxiliū in mutuo gentis
 conſenſu fit, vniuerſis domo emigrandum. aliud domicilium, alias à Phœnicibus diſun-
 ctas ſedes petendas. Quiduis perpeti fore ſatius quam tantas & tam frequentes iniurias
 contumeliasque tolerare. Hæc verba multorum excuſſere gemitus, expreſſere lachri-
 mas. Sed ſilentio tamen factō, Baucius Capetus Turdetanorum Princeps. Mollis, in-
 quit, & eneruati animi eſt calamitatem deplorare, leue malorum in muliebri eiulatu ſo-
 lamen, turpe nullam rebus aſperis opem afferre præter lachrymas. Quin viros nos eſſe
 20 potius recordamur, correptisque continuo armis illatas iniurias vindicamus maiori ho-
 ſtium moleſtia? Neque erit difficile paucos perduelliones de vniuerſæ prouinciæ fini-
 bus exturbare: ſi qui numero viribus, & cauſa potiores ſumus, animorum concordiam
 adiungamus, mutuis iniuriis communi patriæ condonatis caritati: ne quod hætenus e-
 uenit, conceptæ animis ſimultates curſum veræ laudis impediant. Violari numen noſtris
 iniuriis vindicandis nemo ſibi perſuadeat: nam fauere ſceleri non ſolet, & iniuria potius
 oppreſſis opitulari æquius eſt. Diurnam hoſtium felicitatem metuere non debetis: ſed
 illud potius cogitare conſueſſe deos, quorum ſcelera vlcifci volunt, iis interdum res ſe-
 cundas & diurnam impunitatem dare. Ituri in arma modo maiores veſtros & poſteros
 cogitate: ne oblitī ſanguinis veſtri, nepotum contumelias & commoda neglexiſſe videamini.
 30 Hac oratione cuncti, qui aderant, animis inflammati, vno conſenſu bellum con-
 tra Phœnicēs decernunt. Duces delecti, iisque imperatum quam maximos delectus mi-
 litum, & quam occultiffime habere: quo hoſtes imparati facilius opprimerentur. Totius
 belli ſumma Baucio demandatur: quæ exactæ prudentiæ opinio, virtus bellica, multarum
 rerum vſus ad populum commendabat. Collecto per eum modum numeroſo exercitū
 Phœnicēs inopinantes locis omnibus oppreſſi. diuitiæ multo congeſtæ tempore direptæ.
 vrbes & oppida expugnata momēto temporis tum ea quæ per vim occupata tenebant, tum
 alia, quæ ex ſua gente fundarant. Aſſidoniam, quo ſe Phœnicum reliquiæ quaſi ex cōmu-
 ni naufragio receperant templi munitione conſiſtæ, nihil impediēte loci ſanctitate eo-
 dem animorum ardore vi expugnatam ſolo æquant, ciuibus ad vnum cæſis, tanta erat vin-
 40 dictæ cupiditas: ne templo quidem ipſi parcitur. Exaſperati iuſta iracundia animi nequæ
 miſericordiam recipiebant, neque religione mouebantur. Multis annis magna que dili-
 gentia quaſi ſitas opes, fundatam urbem & templum hoſtilis iracundiæ flamma vaſtauit.
 tanta ex eo Phœnicum conſternatione, vt paucis in continenti oppidis iisque ignobili-
 bus retentis, magis quia non impugnabantur, quam quod ſatis animi ad reſiſtendum
 eſſet, in inſulam Gadeis compacti de Hispania, vbi tanta inuidia flagrabant, deſeren-
 da, conſilia inter ſe communicarent. Omnino concordix ſpe omni ſublata, externa
 auxilia aduocare, iisque ſe aduerſus prouincialium vim munire conſtituunt. E Tyro ex-
 pectare longum erat in ea rerum anguſtia. vnde minime debuerunt, Carthagine propter
 communem originem, regionum haud magnum interuallum euocant. Dato ſenatu, le-
 50 gati Phœnicum ſupremum in periculum res Gaditanorum veniſſe, Parribus explicant.
 niſi in ipſorum præſidio, ſpem nullam eſſe reliquam. Non iam de opibus laborare, quibus
 puncto temporis iniuria exuti eſſent: ſed de libertate & ſalute periclitari. Veniſſe quam to-
 ties expetiſſent, occaſionem in Hispaniam tranſeundi, honeſtā iuxta ac piam pro neceſſa-
 riis & cognatis tuendis, pro deorum immortalium religione vindicanda: quæ Hercu-
 lis templo euerſo ſanctitatis opinione celeberrimo, ſacriſque contaminatis violatā e-
 rat. Se quidem libertate modo & antiquis finibus habituros ſatis: cætera victoriæ præ-
 mia, quæ futura erant opinione ipſorum, ſuaque prædicatione maiora libenter ipſis re-
 licturos, imperium copiasque Hispaniæ. Carthaginenſes audita Gaditanorum legatio-
 ne bono eos animo eſſe iubent, eorum ſalutem fore ſenatui popul. que curæ pollicentur:

Magnam se habere spem fore breui, vt Hispani suis malis castigati breui iniuriis finem faciant. tantisper modo sustentarent, dum classis valida rebus omnibus instructa mitteretur in Hispaniam. Obtinebant ea tempestate Carthaginenses maris imperium numerosis classibus, siue commercio seruietes, quo nomine per hæc tempora, vti ex diuinis libris intelligitur, naues Tharsis celebres erant, siue proferendi imperii cupiditate: nam oram Africæ vniuersam & inferi maris insulas non paucas sub ditionem miserant felici conatu. Hispaniæ aditu hæctenus fuerant prohibiti eas ob causas, quæ sunt superius indicatæ. Eo maiori auiditate festinationeque instructa classis Duce Maharbale cum soluisset Carthaginæ, Baleares & Ebusum præteruicta idoneis tempestatibus Gadeis tenuit anno ab Vrbe condita, ducentesimo trigesimo sexto. Alii non multo ante primum bel-
 236. lum Punicum putant. quocunque certo tempore, ad imperium Hispaniæ aditu patefacto continuo littora vicina explorare, Hispanorum naues intercipere, atque ex ipsorum agris quam maximas & quam latissime prædas agere, locis idoneis munitiones ædificare, vnde incursiones in agros finitimos facerent. Quibus malis excitati Hispani Turdetum frequentes conuenientes, Baucium denuo noui belli Ducem iubent. Is delectu suorum habito, hostium munitionem, quæ ex multis Turdeto proxima erat, intempesta nocte expugnauit, præsidio cæso præter paucos ipsumque ducem Maharbalem, qui equo per auersam portam euadens fuga seruatus est. Eodem victoriæ cursu maiora hostibus damna intulit. His rebus gestis Baucius grauē præda militem lætus in urbem reduxit. Carthaginenses, Hispanos vi opprimi posse desperantes ad Punicas artes conuersi velle se pacisci simulant, non eo se venisse affirmantes, vt Hispanos bello fatigarent: sed vt cognatorum iniurias vindicarent, & à sacrosancti templi violatoribus piacula exigerent. Turdetanos ciues habere compertum, neque aduersos deos quidquam impie, neque in Gaditanos crudeliter commississe. Gentis virtutem admiratos, amicitiam appetere potius, quæ vtrique nationi non inutilis futura erat. ponerent arma, dextras iungerent, atque in amore responderent, à quibus essent prouocati. Et vt intelligerent, nihil ficto animo geri, cuncta se præsidia deducturos, atque omnem militarem iniuriam ab eorum finibus prohibituos. Adhæc Turdetani. eam legationem gratam tum sibi fore responderunt, si cum verbis consentirent facta: bellum neq; timere neque prouocare: amicitiam Carthaginensium neque magnopere desiderare, neque repudiare oblatam. Eos esse Turde-
 30 tanos, qui beneficiis maleficia vlcisci, & officio cum offensa certare consuessent. quæ gefissent non sua voluntate sed defendendi belli necessitate facta esse. Ad hunc modum quodam induciarum genere facto, se propius littora Pœni continuerunt: vnde per oppida & arces dispositis præsidii finitimos carptim fatigabant. Quod si qua paulo validior manus Hispanorum, vindictæ studio coiuisset, militum licentiam excusantes, atque noua fœderis simulatione, simplices homines & tranquillitatis amantes illudebant: similique fraude ad alios opprimendos conuertebantur. Quæ res Gaditanis gratissima erat, Hispanis non videbatur intolerabilis, publica damna, vt fit, contemnentibus singulis, cum à priuatis rationibus sunt seiuncta. Sic Carthaginensium vires augebantur nostrorum cessatione, ipsorum artibus quod facile fuit Baucio tanto Duce per idem tempus defuncto die
 40 suo, nullo relicto successore hæredeve, quod sciatur.

Carthaginenses in Gaditanos insurgunt C A P. XIX.

IN S A T I A B I L I S est humanus animus eo quod fortuna suppeditat seu vis altior. fœtent prima, cum maiora versamus in animo: & quæ non minor est nostræ felicitatis labe, confortis impatientissima est natura potestatis. Extincto Baucio Carthaginenses de vniuersæ Hispaniæ impetio cogitantes, à quibus euocati erant, propinquos & necessarios Gadium possessione Phœnices deturbare aggressi sunt. Fœcunda gignendis inimicitiiis ambitio. Arte quadam semina discordiæ serere, misericordiæ simulatione erga ve-
 50 teres insulanos. Superbe Phœnices imperare prædicantes, neque communicare honores aut magistratus cum veteribus incolis, publicas & priuatas fortunas compilare. ad vitæ conditionem seruituti proximam miseros insulanos perductos esse. Sic Phœnicibus accusandis studia sibi multitudinis adiungere, malis artibus ambitiosi, ingenio prauo calidoque. Illi re cognita Pœnorum perfidiam accusare. neque cognationis respectu, neq; beneficiorum memoria à concepto scelere retardari corruptis semel animis praua cupiditate. Arma corripunt inter se. Primi Phœnices impetum in Pœnos faciunt, quem illi iræ impetum non tulerunt, venturi securi scilicet, neque digna formidantes. Non pauci in co. nfectu perierunt, contento alii cursu in arcem, quam ad similes casus in extrema insula
 ex ad-

ex aduersum Cronii promontorii paratam munitamque habebant, se receperunt. In tecta & agros Pœnorum conuersa rabies, ignes passim iniecti, direptæ opes. Conturbati Pœni improviso malo gaudebant tamen, vt in malis, tumultu Phœnices factæ honestam sibi occasionem belli defendendi præbuisse, urbemque eorum occupandi. quod breui factum est. Deductis præfidiis omni ex parte, & fœderatorum auxiliis aduocatis, à quibus paulo ante cæsi fugatique erant, vltro prouocare ausi sunt. successuque elati, quoniã hostis nullo loco pugnæ copiam faciebat, ipsam urbem Gadeis expugnare aggrediuntur. Menses aliquot obsidio tenuit: ferroque tandem in urbem penetratum. In ea obsidione Pephasteni Tyrii industria litteris quorundam celebratur, arietis machina inuenta muris quatiendis:

10 quam ex transfuersa trabe suspensam, atque libratam maiori motus facilitate, maiori que impetu quatere monstrauit. Phœnicum calamitas magnam Carthaginensibus inuidiam à finitimis conciliauit gentis perfidiam & inhumanitatem accusantibus: à quibus in partem imperii vocati essent, & quos paulo ante conseruassent, iisdem libertatem & fortunas eripuisse: impios æque & ingratos nulla satis idonea causa hospitii iura, consanguinitatis, amicitia, humanitatis priores violasse. Menesthæi portus ciues, quibus magna ac diuturna cum Phœnicibus amicitia erat, imprimis dira omnia Pœnis imprecari, minitari vindictã. à iurgiis & conuitiis ad bellum & arma ventum est. Validæ ab vtraque parte copiæ in aciem productæ. prius tamen quam ventum esset ad manus prudentioribus placuit concordia viam aliquam tentare. Carthaginenses in vnus pugnæ euentu considerantes re-

20 rum suarum & imperii summam verti, priores de pace agere cœperunt. Datis consensu arbitris fœdus haud difficulter his conditionibus est factum. Commercia instaurarentur. Neutri alteros portus excluderent, aut mari libere vagari vetarent. Captiui redderentur ab vtraque parte. Damna inter se compensarent, quantum delecti iudices pronũciasent. Quo maior esset conuentionis constantia, Atheniensium instituto obliuionem iniuriarum sancire visum est. Vnde fluuio ad Menesthæi portum in mare influenti Lethis, id est, obliuionis Græca voce nomen factum aiunt. Plura transcribo quam credo: nam neque refellere promptum erat, quæ dicuntur ab aliis, neque argumentis confirmare animus. Sed iis tamen rebus (sic aiunt) ex Meherbalis litteris cognitis Carthagine, immortales diis gratia actæ: eoque maior lætitia fuit, quod difficultate rerum suarum impediébatur classem expedire in Hispaniam auxilium suis, retinendo imperio Gaditano subsidiũ,

30 Bello Siculo primum, deinde Sardico male mulctati: quæ Machæo copiarum Duce gesta erant. Excepit belli Africani nouus metus: qui Carthaginensis senatus cogitationes auertit penitus ab Hispania. Sic pœni qui Gadibus erant, spe auxilii sublata ad conciliandas Hispanorum voluntates animos retulerunt assimulatis ad tempus officiis. Phœnicum reliquæ, qui potissimum læsi erant, quoniam aliud nihil supererat, retenta maritimi commercii libertate, vnde ingentes diuitiæ parabantur, à cogitatione abstinerunt deinceps repetendi Gadeis. Quo tempore anno ab Vrbe condita ducentesimo quinquagesimo secundo, Hispania terræ siccitate pluuiarum inopia, annonæ angustia, terræmotibus frequentibus afflicta est. terra desidente vasti hiatus extiterunt, magna que auri & argenti vis

40 ex antiquo Pyrenæi montis incendio cineribus terra que sepulta, per eum modum in lucem producta nouas gentes attraxit in prouinciam, quas enumerare non est necesse. Prorsus Carthagine classis in Hispaniam nouo decreto senatus destinata missaque Asdrubale & Amilcare Ducibus (Magonis ii filii erant viri Principis Carthagine) Sardiniam, cum deuia non esset, primò tenuit. In ea insula Asdrubal ab insulans in pugna interfectus perit. cui filii fuerunt Annibal, Asdrubal, & Sappho. Amilcarem à cogitatione Hispaniæ bellum Siculum reuocauit. Cognito enim Asdrubalis casu Siculi, atque Leonida Spartano cum classe delato in Siciliam, bellum contra Pœnos maiori impetu instaurarunt. In eo bello Amilcar occubuit, tribus filiis relictis Himilcone Hannone & Gisgone. Præterea Darius Histaspis per idem tempus magnam Carthaginensibus sollicitudinem iniecit, missis legatis, qui viuendi leges præscriberent, & auxilia in id bellum, quod contra Græciam parabat, mitti postularent. quem in se irritare Carthaginenses nolebant asperiori aliquo responso, in eo discrimine rerum suarum: tametsi auxilia mitti non placebat. Darii filius fuit Xerxes, is qui imperii sui anno tertio, qui annus ab Vrbe condita ducentesimus sepruagesimus primus erat, cum patris æmulatione bellum & ipse atrox in Græciam pararet, Græcis illis ex Sicilia in patriam reuocatis, qui Leonida Duce auxilio venerant contra Pœnos, senatus Carthaginensis quasi ex diuturna iactatione respirans, rerum Hispaniensium cura, nongentos milites ex Siculis præfidiis deductos & quatuor nauibus impositos supplementi loco in Hispaniam mitti decreuit, maioris auxilii spe facta. Baleares tentati ex itinere. montanos homi-

252.

271.

nes laceffere malo fuit. Correptis illi fundis, quo tunc solo telo utebantur, hoſtes male acceptos, atque lapidum grandine continenter afflictos, ad mare redire, & auertere in altum naues compulerunt. Inde valida abreptæ ventorum vi, diuerſæ Gadeis tandem appulerunt. Earum aduentu, & acceptæ in Sicilia cladis caſo Amilcare fama imminuta eſt, & male ſentientibus ſe commouendi poteſtas ſublata. Quo tempore Tartefſo aiunt coloniam miſſam Duce Capione ad eam inſulam quam ambobus oſtiis Bætis complectebatur. Omnino vbi Mneſthæi oraculum erat, noua ciuitas à Tartefſiacis fundata eſt Cartefſiorum Eboræ dicta diſtinctionis gratia, cum plures eo nomine ciuitates in Hiſpania fuiſſe conſtet. Et Tartefſus Carteia etiam nuncupabatur. præterea in oſtio fluminis altero turris eſt conſtituta Capionis Ducis nomine, quo tempore non conſtat. Sed eius tamen oræ accolæ Cartefſii ſeu Tartefſii dicti ſunt: vnde coniectandi occaſio Tartefſo in eam partem coloniam fuiſſe amandatam ingeniis nimium perſpicacibus.

Sappho venit in Hiſpaniam. C A P. X X.

AFRICAM omnem contra Carthaginem coniurare per id tempus fama erat, copias conferre, quantum cuique ciuitati virium eſſet, obſides inter ſe dare. Nimia eius vr̄bis potentia ceteris ſuſpecta eſſe cœperat, & annuum vectigal denegarant, quod Didonis voluntate pactum pendere cōſueuerant. præterea rei male geſtæ in Sardinia atque Sicilia fama ad audendum inuitabat. Mauritanæ gentes nulla quamuis iniuria violatas ſeſe cum ceteris coniunxiſſe: tantumque omnium furorem eſſe, vt Hiſpanos anguſto fretto diremptos, in belli ſocietatem trahere cogitarent, & à Carthaginenſium amicitia abducere. His rebus Carthaginenſis ſenatus permotus tum ſe ad reſiſtendum comparare, tum Sapphonem Afrubalis filium Præfectum in Hiſpaniam amandare: vt ſuorum vires atque animos præſentia & auctoritate confirmaret: & nutantes Hiſpanorum voluntates induſtria atque accommodatis officiis conciliaret. Quod ille in prouinciam delatus diligenter effecit. Hiſpanorum enim proceribus aduocatis, quid Africani molirentur expoſuit: quo eſſent animo Mauritanæ populi, pro iure veteris amicitie poſtulans neu ſe, neu ſuorum quemquam in fraudem impelli ſinerent, ſe potius, atque Carthaginenſem populum conſilio reque iuuarent. Eorum voluntate tria Hiſpanorum millia conſcribere datum eſt: non vt bello laceſſeret Mauritanos amicos Hiſpanorum & neceſſarios, ſed vt rem Punicam ab iniuria defenderet, ſicunde vis pararetur. Copias ille omnes ad Gaditanum fretum continuit tum ciuium, tum ſociorum: ſi quo modo Mauritanos ſanare, & a cæteris Africanis belli timore poſſet abducere. Verum cum non ceſſarent, tranſmiſſo fretto agros vaſtare, ædificia oppidaque incendere, in ſeruitutem abducere, quicumque Marte arbitro veniſſent in poteſtatem. His malis permoti Mauritani Tingim Tartefſo obiectam in Africæ littore conueniunt, in commune deliberaturi, quid facto opus eſſet. Legatos in Hiſpaniam mitti placuit, conqueſtum iniurias eorum Hiſpanorum qui Sapphoni militabant. in quibus præſidium eſſe debuit, inde perniciem exiſtere amicis & neceſſariis. vnde diſcederent, & quibus ſe adiungerent conſiderare iubent. Omnium gentium, ad quas Pœni acceſſiſſent, inſidiari libertati. Communibus proinde armis vindicandos videri. Ne conſilium priuatim ipſi captarent, cuius è veſtigio eos pœnitere neceſſe eſſet, ſiue victis Carthaginenſibus, totius Africæ odium incurrere neceſſe foret, ſiue victoribus ſeruiendi neceſſitate. Iam dudum Carthaginenſes præ animorum faſtu atque arrogantia orbis meditari imperium. Adhæc Hiſpani, facti imprudentiam excuſare, Sapphoni non ad inferendum bellum ſed ad defendendum, Hiſpanorum auxilia conceſſa. miſſuros ſe in Africam legatos, quibus auctoribus ſi pax facta non eſſet, ſuorum copias reuocarent in Hiſpaniam. ita præſtitum. Legatorum aduentu ab armis diſceſſum ea lege eſt, vt Dux Carthaginenſis copias ex Mauritania deduceret, Mauritani ſuos ab oppugnatione Carthaginis, à qua nulla fuerant iniuria violati, reuocarent. Verum Sapphone in Hiſpaniam reuerſo cum Mauritani ab Africanorum caſtris non recederent, repetito bello maiores illatæ ſunt Mauris clades: ægreque tandem Hiſpanis interpellantibus impetraum, vt nouis Sappho Hiſpanorum auxiliis auctus, quæ vltro offerebantur, Mauritania relicta in Africam interiorem diſcederet verſus Carthaginem. Sic hoſtium copie oppreſſæ ſunt, à tergo & à fronte circumuentæ iis copiis, quæ Carthagine & ex Hiſpania miſſæ erant. Sarucus Barchinus, à Barce vr̄be ad ortum Carthaginis ſita (tametsi Silius à Didonis ſocio Barce malit) ob diligentem operam Carthaginenſi reipublicæ in hoc bello nauatam, in eam vr̄bem translatus Barchinorum factionis princeps extitit. Finis bello impoſitus eſt anno ab Vr̄be condita ducentelimo octogefimo tertio. Sappho in Hiſpaniam reuerſus, rebus

rebus in prouincia compositis, Carthaginem septimo post anno reuocatus est. per speciem quidem reipublicæ in patria procurandæ, summo magistratu dato, cui Suffetes nomen erat, auctore Festo, re quoniam molestum erat, ditissimæ prouinciæ copiis amplius eiuem vnum augeri quam libera ciuitas pati posset. Quo maior esset honor Himilco Hanno & Gisgo patruels successores dati sunt. Sapphoni in patriam reduci magni honores habiti, tantos spiritus ex eo sumentis: vt non tyrannidem inuadere sed diuinitatem meditaretur. plures enim auiculas vocales docuit proferre atque ingeminare, tria verba. Magnus deus Psaphon, quæ libere abire permissæ, cum iis vocibus pronūciatis Psaphonis famam per agros dissipassent: facile à prouincialibus, rei miraculo attonitis ante obitum diuinitati consecratus est, nomenque templis datum. quod ante id tempus acciderat nemini. Plinius hoc factum ad Hannonem ablegat, Psaphonem fama tenuit, veteri prouerbio consecrata munitaque.

Himilco & Hanno nouas nauigationes aperiuunt. C A P. X X I.

HIMILCO & Hanno Hispaniæ prouincia destinata, quæ prima dies cursum dedit, classis vela è portu egressi explicarunt. Tentati ex itinere Baleares munusculis arteque rudes homines & earum artium ignari munitioni ædificandæ locum cõcesserunt in maiori Baleari, qui gradus erat ad opprimendam gentis libertatem. In minore Hanno Iamam condidisse fertur præter Septentriones & Occasum situm oppidum, Magonem ad Eurrum. Sunt qui Labonem tertium eius insulæ oppidum numerent: & causam harum appellationum extitisse putent tres deinceps Carthagine missos eius insulæ procuratores. Hannonem satis constat Gadeis appulsum gloriæ cupiditate incensum, & vt res nouas exploraret, Oceani littora vsque ad promontorium Sacrum (D. Vicentii hodie) classe legisse, visaque senatui sigillatim per litteras explicasse. Magnam se habere spem, inaccessa eatenus Atlantici, Gallicique maris littora longissimo excurrentia locorum tractu, posse magno reipublicæ commodo gloriaque aperiri. Binas classes ædificare daretur, rebusque omnibus instruere ad diurnam nauigationem tolerandam. Quod cupiebat sequenti anno senatus permissu est factum. Himilco Europæ littora mariaque, quam longissime posset, iussus est explorare: Hanno Africæ ad eundem curam sibi desumpsit: Gisgo ad rerum procurationem in prouincia consensu fratrum relictus est. Ergo sub initium eius anni, qui ab Vrbe condita trecentessimus septimus numerabatur, Hanno & Himilco relictæ Hispania diuersi classibus abiire. Himilco Heraclea soluens Meseniosque & Selbifios (hi in Bastulis ad fretum erant) præteruectus Hermam siue Iunonis promontorium, quod in extremis freti faucibus est, flexis ad dexteram prorsus transmisit, Cylibique ostium, fluuii Melariam (hodie Beielium) atque Barbatem inter in mare mittentis, quemadmodum Besilum tenui riuo proximum, Gadibus obiectum in idem euoluitur mare: Geryonis sepulcro inter vtrunq; flumen comprehenso vbi lingula est procurrentis in mare. Mox occurrit Erythræa insula, siue ea Gadeis sit, siue vt alii disputant, à Gadibus secreta, quinto olim à continenti stadio dirempta: nunc hausta mari, vt ne vestigium extet. Deinde syluis densum impeditumque montem contemplati sciscitatione inuenerunt Tartessium, ex illius oræ maritimæ communi nomine dici, porro ex eo monte deriuari fluuium Lethim, de quo paulo ante est demonstratum. Sequebantur Cibiceni Turdetanorum natio ad propinquius Bætis ostium secundum littora fusi atque in medio interuallo Geronda turris, Geryonis opus. Supra hos Yleates, Cempsi, & Manii aduerso Bæti interiora terræ obtinebant. Eum fluuium Tartessium etiam vocari, atque è Ligostico fonte in paludis formam restagnante ad Argentarij montis latus, qui hodie mons Seguræ est, deriuari cognouerunt, in quatuor brachia diductum. Mendacio videlicet accomodata fides est verisimili propter tria flumina alia, quæ influunt in Bætum: aut fortassis per ea tempora irrigandis Bæticiæ campis in plures partes riuosque diducebatur. quod vix in tam rudibus ingeniis credi potest. Rufus Festus qui has nauigationes explicuit, quatuor ostiis Bætum in mare mittere testatum reliquit. antiqui descriptores terræ duo tantum inueniebant, nos vnum, rebus tempore mutatis alternante scilicet memoria. Inde progressi, Bætisque ostia præteruecti, Cassii montis fastigia viderunt venis stanni copiosi, vti nomen ipsum indicio est, vsque eo vt ab eo monte id genus metalli Cassiteron Græce dici quibusdam sit persuasum. Monti subiectam planiciem Albiceni Tartessii obtinebant. Succedebat Iberus fluuius olim Tartessiorum limes extremus, nunc Palos inter & Huelmam in mare defertur, tantæ olim nobilitatis, vt ab eo quidam malint Iberiæ nomen, quam ab altero Citerioris Hispaniæ fluxisse. Hoc tempore Tinctus fluuius, siue Atramenti vocatur,

ab eius terræ copia inficiendis atro colore lanis aptissimæ. Ad Occasum secundum littus progressis Iberia vrbs occurrit, alteri cognominis ad Iberi ripam olim sitæ non procul Dertusa, de qua Liuius meminit. Prope maris æstuaria succedunt: qua parte promontorium excurrerat in mare ab imposito templo Proserpinæ appellatione. quo circumducto Mariani montis extrema iuga visa sunt in mare desinentis: supraque Zephirius mons culmine cælum attingere, nubibus nebulaque contactus tranquillo quamuis mari, raris ea parte ventis. Littora excipiebant, lapidibus impedita, dumetis aspera vsque ad Saturni montem pertinentia. Mox Cenitæ interfluente Ana, duabus obiectis insulis: quarum que maior erat, Agonida nuncupabant. Inde promontorio Sancti Vicentii Sacro transmissio, magno littorum flexu aliquot confectis millibus ad portum Cenim ventum est, non procul à Petanio insula (nunc Perseguero.) Quibus locis proximi erant Dragani Lusitanæ populi, montium Sephis & Cempis latere sinuque Septentrionali inclusi, ex aduersum Strimniæ insulæ procul iacentis in mari. Draganis vicina erat insula altera Acale nomine, aquis præter morem cæruleo colore, odore tetro (sic ea tempestate res erant) nunc retracto mari omnia sunt à veteri forma & obseruatione immutata. Supra Acalem Ceprilianus mons in continenti assurgebat. & longo littorum tractu emenso, præter Ortum & Septentrionem Pelagiam insulam nacti viriditate præcipuam Siluisque, attingere ausi non sunt, cum in Saturni præsidio esse, & eo appulsus mare turbari ex multorum prædicatione haberent persuasum, homines inani superstitioni seruietes. Sequebantur ad continentis littora Sarii gens inhumana & inhospitalis: Promontoriumque quod iis locis vulgo Spichelis dicitur, antiqui Barbarium ab eius gentis feritate nominarunt. Duorum mox dierum navigatione ad Strimniam insulam est peruentum, habitatoribus vacuam vastamque, ob serpentes & noxia animalcula, incolis nouas quærere sedes compulsis: unde à Græcis Ophiusæ nomen tulit. Occurrit deinde Tagi ostium Sarii gentis finis, Græca colonia imposita, quæ non incommodè Olisipo fuisse creditur, vrbs consequenti tempore in paucis nobilissima. Quo ex loco soluentes, atque Albianum & Lanciam insulas (hæ hodie Baionæ in Calæcis obiectæ sunt) legentes ad Neriorum littora peruenerunt, vsque ad Nerium promontorium pertinentium, quod nostris Finis terræ est. Ei promontorio plures insulæ adiacent Strenides quidem ex eo dictæ, quod Strimniæ insulæ incolæ Serpentum inde copia depulsi, eas insulas domicilio delegere: Cassiterides à plumbi stannique prouentu Nerium promontorium præteruerti Himilco & socii, conuersisque ad Ortum proris, quatuor iam decursis mensibus, ex quo nauigare ceperant, ventis remittentibus, vadosisque littoribus & vluu plurimum impediti magnas difficultates obierunt: vt Ligorum, Asturum, Silorum, quæ deinceps nationes ea littora obtinebant, sinus, portus promontoria, vrbesque explorarent. Quarum rerum, ac ne earum quidem, quas in Armonico & Baltico mari, Galliæ atque Germaniæ littoribus inuenerunt, quidquam est in litteras relatum, posteritati que proditum (quod sciat) ac ne iter quidem, quo in Hispaniam redierunt, toto biennio in ea navigatione transacto.

Hannonis nauigatio. C A P. XXII.

40

HANNONIS nauigatio longior fuit, priscis temporibus omnium nobilissima, & huius ætatis nauigationibus comparanda: quibus ad orientis occidentisque Solis oras Hispanorum arma inuicta virtute penetrarunt: præferenda etiam, cum magnetis illi & quadrantis vsum ignorarent, neque se libero mari permetterent. Itaque comparata classe, in qua sexaginta quinquereemes erant, hominum vtriusque sexus millia triginta, coloniis Libophœnicum per littora, vbi esset commodum, constituendis, Gadibus soluens atque Herculis columnis superatis, duorum deinde dierum nauigatione in latam planiciem delatus urbem imposuit, quam Thymiaterion dixit (hodie Azamor quidam esse suspicantur.) Conuersis mox ad Occasum proris Ampelusium promontorium occurrit: quod nos quidem Despartel vulgo dicimus, Arriano autem Soloen esse puto, opacum at boribus, præcipua locorum amœnitate. Sequebatur Zilia fluuius, Anatis Polybio (sic arbor) qui fluuius hoc tempore Arzillam oppidum præterlabitur. Septingentis triginta quinque passuum millibus ab Ampelusio promontorio Lixii ad ripas fusi erant Lixii fluminis, quod ex Libya decurrit in Oceanum: vbi Antæi & Herculis luctam fuisse, atque hortos Hesperidum dracone custode quondam fabulati sunt. Succedebant paribus interuallis centum millium spatio duo fluuii Subur, vbi Bonosa oppidum: & Sala coniuncto eiusdem nominis oppido, quod hoc tempore Sale esse credimus, situ commodo agri fertilitate atque amœnitate præcipua: Africæ tamen desertis visinum, eoque ferarum incurfibus obnoxiuum,

xium,

xium, quæ haud leuis iniuria est. Iis ex locis profecta classis ad montem Atlantem peruenit desinentem in promontorium in primis nobile, cui olim promontorio extreme Chaurariæ nomen fuit: consequenti tempore à nautis vulgo rudi vocabulo & barbaro Caput Non vocari solitum erat, existimantibus si quis id promontorium superare conatu temerario ausus esset, eum ad suos nunquam amplius rediturum nostra ætate Boiadoris promontorium est, Palmam insulam recta ad Occasum obiectam habens, vnam è Fortunatis à media cæli regione vigesimo octauo positam gradu. Eo promontorio superato littus vastum excepit vsque ad insulam paruam quinque stadiorum ambitu: quam tum quidem colonia relicta Cernem dixerunt, nostra ætate Arginam vocari puto vltra promontorium

10 Album citra Æquatorem vigesima prima orbis cælique parte. Totus sinus ab ea insula Argini nomen habet vsque ad promontorium Viride extensus, & illi obiectas decem insulas Hesperides: in quo numero, cui à D. Iacobo nomen est, principatum obtinet. Hoc promontorium Arriano esse puto Cornu Hesperium: præterea fluuius, qui latissimo alueo multisque superbus aquis citra illud decurrit in mare, à Festo Rufo Asanam vocari nam & huius temporis nomen Asanagæ consentit non multum ab antiquo discrepans. Crocodilos nutrit atque hyppopotamos Nyli modo. Similia incrementa & decremента suscipit in ætate, vnde & originem eandem habere creditur. à veteribus Nigir est dictus, duobusque ostiis mittit in mare, hoc de quo dictum est, & altero Viride promontorium circumuectis occurrente, cui à latitudine fluuio Magno vulgo nomen est. Sequebantur insulæ Gorgonides. Sic eas Hanno nominauit, à portentosis scæminis, quas Gorgonas dixit antiquitas. quemadmodum Currum Deorum vocarunt montem continentis, iis insulis vicinum, quod ignibus micaret, tonitruisque perstreperet, nostris Serra Lione est octauo citra æquatore gradu. Ptolemæus quinto posuit, numeris ipsius errore, aut incuria librarium corruptis. Eum montem constat ob sublimitatem fulguribus identidem coruscare: ætus qui ingens iis locis est, vitandi necessitate incolas dies in specubus subterraneis transigere, noctu ad opus annonamque procurandam egredi accensis faculis: quibus subiecti ei monti campi collucentes ardere omni ex parte cum videantur, Hanno & sociis ea occasio extitit siue serio existimandi siue fingendi de industria, vt libèter de longinquis regionibus maiora vero prædicamus, ex iis locis fluuios igneos decurrere in mare: vicinasque late regiones flammis perpetuis incendioque vastari. Vltra eum montem insulam

30 nacti sunt à villosis hominibus habitam (sic illi crediderunt) Rei insolentis quo maior fides esset, duabus scæminis, quas ceperunt (nam virorum cursum adæquare non poterunt) quia feritatem non deponebant, pelles detractæ atque tomento suffultæ Carthaginem missæ longo tempore, miraculo iuxta & monumento fuere. Hæc insula non inepta ratione creditur passim à doctis ea fuisse, quam æquatori subiectam & Lupi Consalui promontorio oppositam Lusitani sub imperium miserunt parentum ætate, D. Thomæ nomine, nobilem saccari prouentu, cæterum cæli grauitate infamem nostræ certe gentis corporibus, cum sit Æthiopibus vicinis saluberrima. Pilosos homines simias maiores fuisse putamus, quarum in Africa magna copia est absoluta hominum forma. Ex iis locis Hanno

40 nem in Hispaniam rediisse Arrianus confirmat, comæatus inopia longius progredi prohibuit. Plinius Hannonem ait, ad Arabicum sinum peruenisse, superato nimirum Bonæ spei promontorio, quod littoribus ab vtraque parte, maris fluctibus castigatis, in pyramidis formam extenuata interior Africa facit: indeque Carthaginem affirmat legatos de rebus gestis pedestri itinere missos. Illud conuenit quinto postquam soluerat anno, qui annus ab Vrbe condita erat trecentessimus duodecimus, in Hispaniam rediisse tandem. Socii nauales suspensis audientis populi animis pro se quisque narrare miracula, vim temperatum, inauditas volucrum formas, marinarum belluarum prodigiosa corpora, hominum ferarumque ambiguas species, visa, an ex metu credita, an studio conficta.

LIBRI PRIMI FINIS.

HISTORIÆ DE REBUS HISPANIÆ. LIBER SE- CVNDVS.

Hannonis reditus in patriam. C A P. I.



ANNO & Himilco ex longo errore in Hispaniam reduces, continuo otii fumendi, patriamque inuisendi cupidi Carthaginem venia impetrata profecti, inter suorum salutationes & totius populi plausus triumpho per simili pompa in urbem inuecti sunt, cunctis animorum vigorem, nobiles ausus, lætissimum laborum exitum cum voluptate prædicantibus, heroes immortalī laude dignos. Gisgoni fratri, qui fuerat in Hispaniæ procuratione relictus, vt magistratu abiret & in patriam rediret tanti gaudii futurus particeps, facile est impetratum. Quod ad confirmandam potentiam auctoritatemque pertinebat, successores designati missique in Hispaniam sunt ex eorum voluntate, Annibal patruelis Sapphonis scilicet frater, & Mago necessarius. Magonem ferunt in Balearibus, cum aliquot annis hæsisset, in minori insula urbem sibi cognominem posuisse. Quod quoniam veterum scriptorū fide caret, & sola ex nomine coniectura nititur (quoniam Magonem urbem in ea insula fuisse constat) non videtur pro certo ponendum. ne à Hannone quidem fuisse fundatam. In rebus tam obscuris quid mirum si caligat narratio? Conuenit Annibale Gadeis appulso Gisgonem iis copiis onusta classe, quas ipse & fratres tot annis, tanto labore, tantaque industria parauerant, Carthaginem profectum cursum tenere non potuisse nauibus ad vnam mari haustis earum tempestatum vi, quæ per eos dies validæ frequentesque incubuerunt mari, anno nempe ab Vrbe condita tercentesimo quinto decimo. Sic sæpe spes concepta animis fallit in ipsa laborum meta euerfa atque mutata in contrarium. Annibalem autem ad Oceani maris littus citra promontorium Sacrum idoneo portui urbem imposuisse affirmant viri eruditionis opinione magna, dictam olim Annibalis portum, deinde Lacobrigam, nunc Lagos lingua vulgari. Tartessii e contrario ad vltierius Bætis ostium arcem ædificauerunt cum templo Veneri sacro, quæ stella quoniam Luciferi nomen habet, Luciferi templum dictum, hodie corrupta voce Sancti Lucari nuncupatur, oppidum hac tempestate quidem propter Indici maris commercium cum primis Hispaniæ celebre. Sic gentis historiæ tradunt. Bellum etiam per idem tempus omnium opinione atrocius exarsisse confirmant inter Hispanos, eos qui Anæ ripas vtrinque obtinebant Bæticos & Lusitanos, à iurgiis pastorum natum. Horum partes Carthaginenses fouisse, illis urbem in eo tractu primariam opitulatos, quam nonnulli Iberiam fuisse arbitrantur, de qua paulo ante est demonstratum: ac ne foeminas quidem ab armis abstinuisse, tanta erat vincendi rabies. Pugnatum die integro neutro victoria inclinante. cessatum noctis superuentu octoginta hominum millibus ferro trucidatis nihilominus, & Carthaginensium Duce primario, quem ipsum Annibalem fuisse (si hæc vera sunt) non abs re licet existimare. coniecturis ducimur, cum rerum veritas latet. Addunt Magonem ad eius prælii famam continuo è Balearibus excitum suorum res sustentasse in præcipiti constitutas: hostes non minori clade afflictos urbem incendere, & alias sedes quærere, metu maioris mali compulsos. Incidit ea elades in annum ab Vrbe condita trecentessimū vigesimū primum. Quo anno Carthagine magna rerum immutatio facta est, duobus Annibalis fratribus Asdrubale & Sapphone in vrbe coniunctis ferme funeribus elatis. Hannonis gratia & auctoritas, quæ consensescere cœperat, nouo ex Hispania in commodo renunciato, aperte præcipitauit, multorum, vt fit, erumpentibus odiis, vnum ad nutum rempublicam gubernate, plusque priuatim posse quam reliquos magistratus moleste ferentium. Ergo centum virorum magistratu creato, reuersis à bello Ducibus ad rationem reuocandis rerum gestarum Hannonem causam dicere coegerunt: & damnatum iudicio patriæ exilio mutare, inuidi æque & ingrati nulla iustiore de causa, quam quod ingenio & industria plus valeret, quam vt liberæ ciuitati tutum putarent, qui primus hominum leonem manu tractare, atq; cicurare ausus esset: & male credi videretur libertas, ei qui ferarum immanitatem domuisset. Nimirum liberæ ciuitates aduersum clarissimum quemq; ciuem opinionē habent, atq; reipub. Principes inuidia lacerare solent. quibus malo sæpe fuit, excellentibus virtute atq; industria fuisse.

ALIVOR deinceps anni exitere nulla re in Hispania memorabili: nisi quod anno
 ab Vrbe condita trecentesimo vigesimo septimo, quo tempore bellum Peloponne-
 siacum Græcia in duas factiones scissa gerebatur, sua pestis lues orbem ferme totum per-
 uagata, ab Æthiopia corruptis ventorum flatibus profecta Hispaniã etiam vexauit, homi-
 nibus & pecoribus magno numero consumptis ea tabe. Huius mali Thucydides, Liuius,
 Dionysiusque in suis historiis meminerunt. Historiæ nostrates diræ contagionis causam
 ad insolentem aeris siccitatem referunt, pluuiarum inopiam. Hippocrates qui tum vixit
 in Theffalia, incensis syluis eam pestem auertisse à finibus ait. Contra Syracusanos in Sici-
 lia, nondum ea peste sedata grauissimum bellum exarsit: Leontinis finitimis & Caranensi-
 bus contra eos Atheniensium auxilia aduocantibus Ducibus Nicia & Alcibiade tum iuvene
 missa sunt, cum classe centum triremum ad spem non dubiam ex contentione incolarum
 totius insulæ imperio subdendæ. Expectationi ne responderet euentus, importuno discessu
 Alcibiadis factum est à populo postulati, quasi Cereris mysteria nulla re magis quam silen-
 tio solennia enunciaffet. Is enim ex conscientia digna metuens, an aduersariorum poten-
 tiæ vt par esset, ad Lacedæmones abiit iudicii, ad quod vocabatur, metu. In ea vrbe beni-
 gne acceptus propter indolem ingenii & rerum gestarum famam, vt Gilippum excellen-
 tem ea ætate Ducem, contra Atheniensium conatus auxilio Syracusanis mitterent, auctor
 extitit. Sic breui belli Fortuna in Sicilia conuersa est. Atheniensibus terra mariq; oppres-
 sis Nicias ipse cum multis aliis in hostium potestatem venit. Obtinebant ea tempestate a-
 liquot in Sicilia oppida Carthaginenses ad promontorium Lilybæum, quod Carthagine
 distat centum octoginta millibus passuum non amplius. Agrigentini finitimi moleste fe-
 rebant Pœnorum potentiam inveterascere in prouincia: præterea priuatæ iniuriæ exta-
 bant. Ergo consilio inter se communicato, vindictæq; studio, sacrificii causa egressos in
 sylvam Pœnos non procul Minoa vrbe inermes imparatosq; opprimunt, quos non montes,
 fuga, saltusq; texerunt. Ea res Carthagine nunciata magnam populo & Patribus indigna-
 tionem commouit. Duo millia Punici nominis, & par Hispanorum militum numerus ad
 reposcendam vindictam nauibus in Siciliam vecti sunt, adiunctis quingentis Balearibus.
 nouum atq; insolens militiæ genus, præsertim cum nudis corporibus pugnam inuaderent,
 hostibus contemptui fuit initio: deinde terrori. commisso prælio victoriam pepererunt,
 sinistro Agrigentinarum cornu perpetuo lapidum imbri penitus afflicto. Multi ex ho-
 stium numero ceciderunt in pugna fugaque. pars inter noctis tenebras in urbem e-
 uadentes biennii obsidione tolerata in hostium tandem potestatem venerunt, ab Vrbe
 condita anno trecentesimo quadragesimo sexto. Finem huius belli alterius initium ex-
 cepit. Dionysius senior Syracusis occupata tyrannide pollens opibus famaue, ab Agri-
 gentinis occulte per legatos & litteras sollicitatur, vt eos in fidem accipiat, Pœnorum
 imperio liberatos, quod grauissimum erat impositum. Pollicetur ille maturam opem,
 Carthaginensibus stantibus regnum, quod meditabatur, in ea insula statui posse diffusus.
 interim consilium dat, vt Agrigento cuncti quam occultissime dilapsi Camarinam &
 Gelam finitima oppida improviso occupent. inde populationibus late, hostilem agrum
 infestum reddant. reliqua ipsius curæ permittant. Damnis vltro citroque per eum mo-
 dum datis acceptisque disceptator Dionysius accessit missis ad Pœnos legatis postula-
 bat, ablata reponi, compensari damna. quod eaput erat, Agrigentinis suam ciuita-
 tem reddi, certe in parem iuris libertatisque conditionem, atque ipsi erant, profugos
 & egenos admitti. Propinquos & necessarios iusto propemodum seruitio premi, suas
 preces ludibrio haberi sese passurum non esse. Ad hæc Pœni. Ius esse belli, vt victis
 victores pro voluntate imperarent. non se Agrigentinis sed eos sibi bellum intulisse pri-
 ores, iniuriamque fecisse, & superum numen violasse. Neque recte neque pro bono
 facturum, si impios atque consceleratos subleuaret. Quod diceret, se Agrigentinarum
 iniurias non neglecturum, cum vellet congregeretur: intellecturum quid inuictæ Car-
 thaginis vires, duratusque in armis miles virtute posset. Ab hoc initio res ad bellum
 deducta est. Dionysius insulæ copiis contractis Græcas ciuitates, ipsumque Darium
 Nothum Persarum Regem contra Pœnos sollicitare. Illi contra quindecim millia Pu-
 nici Africæ nominis & quinque equitum millia conscribere, adiunctis decem Hispano-
 rum millibus: quorum animis promerendis Gadibus placuit pristinam reddere liber-
 tatem, iura legesque restituere, sublata tantum potestate longas naues ædificandi. Her-
 culis modo templi & paucæ in littore speculæ sub Punica retentæ potestate. Copiis omni-

bus Himilco Cipus (Iustini codices Amilco habent) præfectus, quo omnes copiarum conuenerant, Carthagine soluit. Mollibus initio tempestatibus, deinde concitatis atque uehementibus ad varios Siciliae portus diuersarum nauis delatae sunt. Classis Hispanica commodior ad tempestates maris perferendas, & rei nauticae maior erat peritia, in alto se tenuit: & remittente vento Camarina portum inuenta quadridui oppugnatione urbe capta incensaque oppidanos ad unum trucidarunt. Crudele exemplum: sed eo metu tamen Gelæ habitatores oppidum deseruere. Iis in locis, cum reliquarum nauis confluisissent aliquot dierum mora exercitu recreato, contra Dionysium, qui numerosas copias mari terraque trahere nunciabatur, terrestri prælio decerni placuit, classibus magna ex parte Carthaginem Gadeisque reuersis. Hæc Pæno cogitante Dionysius se in conspectum dat. Castris castra collata. Prior Dionysius copias omnes producit in aciem, partibusque interuallis diuersa ciuitatum auxilia constituit. equitatum, quem numerosum habebat ab utroque latere. Syracusanos nouissimum agmen claudere iubet. Himilco contra triplici suorum instructa acie hosti procedit obuiam. In medio agmine erant Hispani. utrunque cornu Pæni tenebant, adiunctique ab utraque parte septingenti funditores. ea equites latera muniabant. duo peditum millia ex omni copia lectissima in subsidiis collocata. Concurritur dato pugnae signo ardore animorum maximo: diu prælium fit anceps neutro victoria inclinante pugnatur una in omnibus partibus. consistit agmen. multi ab utraque parte cadunt. Dionysii tantum equitatus meliora ferre, Pænosque equites premere coepit. debellatumque esset Pænis cedentibus, ni Himilco cohortes subsidiarias contra equitatum promouisset. quarum impetum non tulerunt, cum uno tempore Siculi equites à fronte & à tergo premerentur, magna equorum strage edita in fugam compulsi omnes sunt. Funditores ab apertis lateribus lapidum grandine hostes continenter vexare. Hostium equitibus fufis Himilco cum suo equitatu ad legiones reuersus, ubi pugna integra erat, Siculorum agmina turbauit. Dionysius tamen non periti tantum Ducis sed strenui etiam militis officium impleuerat, & fugato equitatu in pedes desiliens, arreptoque militari scuto rem inclinatum diu sustentarat, omnibus partibus præsto, & quo loco suos grauius laborare videbat, eo signa inferri & aciem conuerti iubens: ad extremum re desperata suos in castra sensim reduxit, propter diei tempus retenta. Nocte concilio conuocato consolatus hortatusque suos, ne se ad modum animo demitterent, non virtute uicisse Pænos, sed artificio quodam & astu: modo tantisper sustentarent, equitatum, qui esset integer, & magnas ex uniuersa gente copias auxilio venturas, militibus corpora curare iubet, faucibusque magna diligentia atque humanitate, ut res erant, recreatis, castra defendere parat. Inanis conatus fuit. proxima luce hostium concursu fossa obducta, vallo superato circum carros & impedimenta pugnatur. Re demum desperata amissis castris Dionysius non uno uulnere accepto fuga euasit. Magnus Siculorum numerus in eo prælio cecidit, neque Pænis incruenta victoria fuit. Tria ex eorum numero gentesque millia; duo Hispanorum millia perierunt. Secundum eam victoriam plurimae Siciliae urbes se uictoribus adiunxerunt: cum tota ferme insula in potestatem redacta, ad inconstantiam rerum humanarum exemplum repente exorta grauissima pestis lues rempublicam penitus afflixit, Hispanorum Afrorumque copiis saeva contagione consumptis. tanto ex eo Carthaginis dolore, ut non secus ac si urbs ipsa capta esset, iustitio indicto insolitus moeror mentes omnium occuparet. Dux Himilco cum paucis reuersus sordida seruilique tunica distinctus, inter populi prosequentis gemitus domum ingressus, remotis omnibus ac ne filiis quidem admissis mortem sibi consciuit. Secundum hæc Dionysium tentasse ferunt per legatos, Hispaniam a Carthaginensium amicitia abducere: Pænos contra omnibus blandimentis prouinciales in fide retinuisse. Illud constat Dionis Syracusani industria inter Siculos & Pænos pacem triginta annorum factam nonagesimae quintae Olympiadis anno tertio, qui annus ab Urbe condita, fuit trecentusmus quinquagesimus sextus. Et auctorem habeo qui post Leuctricam cladem Thebanorum Duce Epaminonda Laconibus a Dionysio missa auxilia scribit, in quibus Celtæ & Hispani numerantur. (nimirum ex Himilconis exercitus reliquiis, aut ab ipsa usque Hispania in Siciliam uecti) iis auxiliis confirmatum Archidamum Agesilai filium ad Mantineam urbem caeso Epaminonda Spartam exitio proximam a casu sustentasse. Quo tempore ex Carthaginensium numero quidam classe soluentes ex Hispania, uentorum abrepti, an Hannonis emulatione præter Occasum & Austrum directis prorsus, multorum dierum nauigatione Oceani fluctibus uictis insulam conspicati sunt: in quam excursionem facta inuenerunt, latam regionibus esse, lætissimis pascuis, densam arboribus, ex arduis montibus flumina nauium capaci alueo deriuari. Quibus bonis permoti & quoniam habitatoribus uasta erat, pars eam domicilio delegere: reliqui incolumi classe Carthaginem rede-

redeuntes senatui populoque visa atque explorata renunciarunt. Aristoteles re in senatu deliberata ait, decreuisse Patres occisis qui redierant, rei tantae famam comprimere. Nouarum rerum cupida plebs, & tot annorum militia fatigata, prouidebatur scilicet, ne vacua habitatoribus vrbe relicta eo populariter commigraret. praestare iis copiis carere, quam tam longè propagato imperio vires debilitare. Hanc insulam quidam vnam è Fortunatis fuisse crediderunt. Sed neque magnitudo consentit neque amoenitas. Itaque eruditioribus magis probatur fuisse eam, cui hodie à D. Dominico nomen est: aut proximi continentis partem, quae cum tota circulo lustrata non esset, insulam crediderunt.

Bellum Siculum instauratur. C A P. III.

ARDEBAT Carthago pertinaci cupiditate belli Siculi instaurandi. noui in Africa atque Hispania delectus habitus. Hispani sumere arma detrectabant, militiam adeo longinquam auersantes. male ominatam dicere, nouas ex loco religiones fingere. geminam cladem ob oculos habentes nefas praedicare Siculis inferre arma, vnde nulla iniuria extaret. Panni adhuc tantisper dissimulare, dum malorum memoria tempore consenesceret. gentem in arma promptam breui arrepturam atque auide eam militiam, quam tantopere detrectaret. Commodio ipsorum accidit, Hispaniam aeris siccitate, fame, & quae famem excipit, peste laborare: & ex Sicilia nunciabatur Dionysium ea insula magna ex parte subdita, arma transfulisse in Italiam: captoque Rhegio in ipsis freti faucibus, Crotonem obsidere Graecam urbem & maritimam. plurimum accessurum opibus considerabat vrbe valida mœnibus portuque, occupata in extrema Italiae ora. Ex duae res senatum Carthagine inuitauit, vt bellum Siculum instaurarent: Hispanos vt militiam capefferent impulit rerum suarum difficultas. viginti millia peditum, equites mille nauibus impositi. & ex Balearibus, cum deui non essent, funditores trecenti Carthaginem aucti. Hanno eius belli Dux adiunctis decem Afrorum millibus, qui in procinctu erant, celeriter in Siciliam nauigauit. Ea cura Dionysium in Siciliam reuocauit Italia relicta. ad quam subigendam Galli Senones prouocabant Romanae potentiae odio. Classis eius, qua Rhegio copiae traici curabat, Punica classis superauit, multasque naues cepit. in quibus domestica tyranni supplicium erat & Sunitati Carthaginensis litterae, quibus Graece scriptis Dionysio totius belli rationem & apparatus significabat, inuidia Ducis, sibi ad id bellum praelati, patriae proditor. Quod re cognita illi capitale fuit: decretumque factum, ne quis postea Carthaginensium Graeco sermone & litteris studeret, loquendi cum hoste aut scribendi sine interprete sublata ciuibus facultate. Secundum victoriam naualem multa se oppida & vrbes Siculae Hannoni dederunt: & bellum alternante saepe fortuna ducebatur. Anno demum ex quo id bellum coeptum erat sexto decimo. qui annus ab Vrbe condita fuit trecentessimus octogesimus sextus iuxta Eusebii computationem, alii Olympiadis nonagesimae nonae anno secundo, aiunt, Dionysius suorum coniuratione periit filio eiusdem nominis successore: cuius vt teneram aetatem omni disciplina liberali imbueret, & naturae insita vitia institutione vinceret Dion sororius, penes quem regni procuratio mansit, Platonem Athenis in Siciliam euocauit, cum Carthaginensibus foedus constituit, fecitque inducias. Inter Dionysium aetatis accessu & Dionem sub ortae suspiciones simultatesque remp. turbauit. His vigentibus Dion solum vertere coactus, rebus alternantibus Dionysium hostem regno patriaque deturbauit, compulsi tandem egenum atque inopem sine lare familiari aliquandiu vagari. Haec in Sicilia sunt gesta, ad Hispaniam sese conuertat oratio.

Hannonis res gestae. C A P. IIII.

INITIO belli Siculi Gaditanis magna ex parte restitutam fuisse libertatem dictum est. Eo bello confecto duo missi gubernatores in Hispaniam, Bostar vt Balearibus praesesset, & Saguntinos tentaret omnibus officiis conciliare: quae illi suspecta habentes praelibertatis studio constanter repudiarent, neque suae urbis adeundi copiam fecerunt, alias ex aliis causas excusantes. Hanno iura dicere Gaditanis iussus, cum in Baetica premeret prouinciales, & in diuitias tum publicas tum priuatas audivissime inuolaret, quae illi malo fuerunt, Hispanos compulsi re communicata inter se, à Carthaginensium auctoritate rebelare. capta repente arma, caedes factae hostium, bonaque eorum locis omnibus praedae fuerunt. Hanno magna suarum diuitiarum parte spoliatus, atque ab iis Hispanis desertus, qui eius castra & auctoritatem sequebantur, Mauros ex Africa attraxit in Hispaniam. Ab iis Baeticae agri omni sunt iniuria vexati, praedae direptionesque locis omnibus factae,

edita vbiq; barbaræ crudelitatis exempla. Quibus rebus Carthagine nunciatis, Hannoni successor est datus anno ab Vrbe condita trecentesimo nonagesimo octauo. Successoris neque nomen proditur, neque res gestæ in Hispania. Fortassis assimulatis ad tempus officii prouincialium voluntates sanasse, & imperii inuidiam leuasse, satis habens à belli cogitatione abstinuit. Et in Sicilia Dione occiso, atque Dionysio Syracusas restituto, pace turbata, cum Corinthus Syracusanis aduersus tyrannum auxilia misisset, Duce Timoleonte, Pœni de Sicilia solliciti, eo conuersis animis, Hispanorum res tranquillæ vt essent, fecerunt. Lætitia ea sincera non fuit. præ pluuiarum copia inflati fluuii ripisque superfusi, magna agris, pecoribus, ædificiis intulerunt damna. Anno altero ingentes terræ motus, ac frequentes extiterunt. Multæ ad Mediterranei maris oram vrbes affl. 10
 in quibus Saguntum maiorem calamitatem pertulit: ex quanto alias Hispaniæ vrbes amplitudine, frequentia, elegantia, atque maiestate superabat. Anno tertio sæuis procellis iactato mari, non vno loco naufragia sunt facta. Is annus ab vrbe condita fuit quadringentesimus quintus. Quo tempore Hanno tyrannidem in patria occupare aggressus est, frutus iis opibus, quas in Sicilia atque Hispania ingentes pararat, doloreque ex abrogato imperio irritatus. Id vt consequeretur, in filia nuptiis epulum generale plebi & proceribus parare constituit: atque in eo noxio veneno senatum perimere. Audax facinus atq; immane. Indicio factò modo tantum conuiuiorum sumptibus adhibito periculum declinat. Ille impunitate ferocior seruitia armare, quorum erat magnus numerus, & cæsis proceribus remp. nouo conatu opprimere tentat. Verù re denuo prodita cõcursu ciuium, 20
 in arce quo se receperat, captus effossis oculis, manibus pedibusq; effractis, lacerato virgis corpore, cruci est affixus. Filii & cognati omnes etiam innoxii, supplicio traduntur: ne ad imitandum facinus, aut ad vindicandam mortem, quisquam ex ea familia euaderet. Cru- dele exemplum magnitudò concepti sceleris, & patriæ caritas videbantur excusare.

Ad Alexandrum Macedonem missa legatio. C A P. V.

VNO tempore Boodes Carthagine missus est in Hispaniam, eo præfecto Gadibus defuncto, quem in Hannonis locum fuisse subrogatum diximus: & ex Sicilia nunciabatur Dionysium suorum coniuratione & Timoleontis virtute compulsum patriam exilio mutare, & priuato instrumento recepto Corinthum abiisse: vbi humillima quæque 30
 tutissima iudicans fore, in popinis & lupanaribus ad extremum ludi magister factus, fordidam vitam ad exitum tolerauit. Timoleon cum Dionysio pulso, magnos sibi in re militari spiritus fumeret, Carthaginenses tentauit ex Sicilia pellere. prælio ad Crinifium fluuium factò Pœni superati. cæsi ad decem millia sunt, & præsidium castrorum captum. neq; victoria Timoleonti incruenta fuit: debilitatis viribus victor quamuis neq; hostes ex insula pellere, neq; aliquã illis vrbẽ potuit post victoriã adimere. Interea Boode siue defuncto siue Carthaginẽ reuocato, Meherbal in Hispaniam venit. qui quid rerum in prouincia gesserit non liquet. ac ne illud quidem proditum est, quibus deinceps præfectis ex ea gente Hispania sit gubernata. Illud pro constanti traditur, Massilienses aucto suorũ 40
 numero & commercii extendendi gratia, anno ab V. C. 419. multis nauibus coloniam misisse in Hispaniam. classis partem ad Pyrenæi radices consedisse, vbi Indigetæ habitabant: vrbisq; quæ ex aduersum Rhodopes sita erat, & ex hoc tempore à multo commercio Emporia nuncupari cœpit, angustiore quidem partem versus mare, perpetuo tamen muro à reliqua vrbe secretam tenuisse. vnde tota ciuitas & Palæopolis, id est, vetus vrbs, & Dyopolis, id est, gemina ciuitas dicta sit. partẽ alteram ad Dianũ promontoriũ oppidum Dianæ templo coniunctum constituisse. Huius classis aduentu tria in Hispania cognita ferunt: magna Romanos potentia, eximiaq; fide susceptas amicitias colere. Syracusanos post receptam libertatem Timoleontisq; obitũ de pellendis tota insula Carthaginensibus cogitare. Tum Alexandrum Macedonem, cui Magni cognomen res gestę pepererunt, initio regni cum nondũ vigesimum ætatis annum impleffet, Illyriis, Triballis, Thraciisq; superatis, 50
 & liberis paulo ante Græciæ ciuitatibus oppressis, Asia deinde, Syria, totaq; Ægypto domitis, Dario fugato cæsoq; Persarum imperium occupasse. ad Indos tandem ferro penetrantem inauditas gentes & regna citius domuisse, quã alius passibus peragrasset. quo nuncio permoti Hispani ea parte, quæ Mediterraneo alluitur mari legatione Babylonẽ vsq; missa, eũ conciliare placuit, vt haberent quẽ Carthaginensibus opponerent, nõ obscure prouincię libertati insidiãtibus. eius legationis princeps Maurinus (nisi Orosii lectio vitiata est) adiunctis ex itinere Gallorum legatis Babylonem tandem peruenit. vbi Sicilia, Sardinia, Italia, totius Africæ ciuitatum, ipsiusq; adeo Carthaginis legati victoris aduentũ iussi erant expectare.

& are. Ergo post reditum facta se ad eundem potestate Hispanorum legati mandata expo-
 fuerunt, eius virtutis famam toto orbe ad extremam terrarum Hispaniam vagatam, suam
 gentem permouisse ut missa legatione interpellandum iudicarent, amicitiamque expe-
 terent, non inutilem futuram post subactum ipsi Orientem, signa ad Occasum conuer-
 tere, ut par erat, cogitanti, ditissimæque provinciæ copiis vsuro pro voluntate: sibi non
 minus domesticis dissidiis quam externis bellis laborantibus, & periculo proximis haud
 minori præsidio opus esse. non commissuros sese ut fidelis animi officium atque indu-
 striam villo tempore desideraret. Hispanorum moris esse, neque amicitias leuiter susci-
 pere, & cum suscepissent constanter colere. Grata imprimis hæc legatorum oratio Ale-
 xandro exitit, atque ita ut tum demum rerum dominus factus sibi videretur auctore Ar-
 riano, postquam ex vltima terrarum plaga de controuersis suis ipsi arbitrium deferreba-
 tur. multa de reipub. statu, provinciæ copiis, agrorum fertilitate, institutis atque mo-
 ribus provincialium, commercioque gentium exterarum percontatus atque quam
 primum res Asiæ compositæ essent, quoniam de Africa atque Occidente cogitaret, Hi-
 spanorum res sibi curæ fore pollicitus, donatos in patriam remisit. Romanorum gloriæ
 æmulatio Alexandrum incitabat, & Carthaginensibus erat iratus, quos satis constabat
 suarum rerum metu Tyro euerfa atque Alexandria in ipso Africæ aditu constituta, Amil-
 carem cognomento Rhodanum ad Alexandrum misisse, ut fugæ simulatione consilia
 eius ad ciues occulte perscriberet. Verum eos conatus mors inopina impediuit. Babylo-
 ne quarto Kalend. Quintilis extinctus est, Olympiadis. 114. anno primo, qui annus ab
 V. C. 430. erat. Quidam huic annorum numero biennium detrahunt, & in ratione
 horum temporum sæpe hallucinetur historia necesse est. Hanc Hispanorum legationem
 Carthaginensibus fuisse ingratham, contra quos potissimum erat comparata verisimile est.
 & constat eos à cogitatione repetendæ armis Hispaniæ reuocatos motibus Siculis atque
 Agathoclis metu. Is patre figulo in Sicilia natus, & adolescentia turpissime exacta, quod
 esset manu promptus, bonus consilio, Syracusanorum Dux creatus, bello quod contra
 Ænecos gerebatur: eo bello profligato, cum in suspicionem venisset affectatæ tyranni-
 dis, in exilium pulsus, & à Murgantinis odio Syracusanorum prætor primum, deinde
 Dux constitutus, eorum ope Leontinis captis Syracusas etiam redegit in potestatem, vr-
 bem prodente Amilcare Pœno, quem illi contra Agathoclis potentiam auxiliarem aduo-
 carant. perfidiæ pœnas Amilcar capite dedisset omnibus suffragiis in senatu damnatus, ni
 fati beneficio euasisset morte in Sicilia præuentus, altero Amilcare Gylgonis filio succes-
 sore. Qui firmis ex Hispania auxiliis, nouisque ex Africa copiis in Siciliam traductis, ty-
 rannum inito prælio victum intra Syracusas obsedit. ex metu audacia nata, suorum is ani-
 mis confirmatis ad obsidionem tolerandam, cum classe in Africam traiecit: & qui vni bel-
 lo impar erat, consilio vires adiuuante duobus victor exitit, Hannone Pœnorum Duce in
 Africa acie superato, cæsoq; dein agro vastato villis castellisq; incensis, atq; ingenti homi-
 num & pecorum præda abacta, magna Carthaginis trepidatione, in cuius oculis agri, villæ,
 oppidaq; fumabant, deliciae ciuium copiaq; & ex Sicilia afferebatur tyranni fratrem Ar-
 tandrum, qui erat in obsidione relictus, eruptione ex vrbe facta, hostes securos Duce cæso
 superasse. Quo nuncio lætus Agathocles continuo Syracusas reuersus, Pœnis locis omni-
 bus superatis, cæsis reiectisq; in Africam, totius insulæ imperiū abstulit. Tranquillitas diu-
 turna rebus non fuit. Pyrrhus Epirota à Tarentinis aduocatus venit in Italiam, & Roma-
 norum potentia duabus coniunctis ferme cladibus afflictæ, anno ab V. C. 476. traiecit
 in Siciliam. Agathocles enim Syracusis defuncto, vxoreq; & liberis eius iussu cum thesau-
 ris & priuato instrumento in Ægyptum dilapsis, Carthaginenses insulæ occupandæ studio
 in Siciliam traicientes non paucas vrbes occuparant. Contra horum potentiam Pyrrhus
 à Syracusanis aduocatus, Epiri se & Siciliæ Regem dixit, hostesq; terrestri prælio superauit:
 tametsi eos in ora Hispani maritima delectu habito quinq; Hispanorum peditum millia,
 centum quinquaginta equites, funditores septingentos, præsidariosq; Hispaniæ milites,
 arcibus Hispanorum fidei custodiæq; concreditis, nauibus in Siciliam auexisse nostri scri-
 ptores aiunt: quorū virtute addunt Pyrrho in Italiam redire maturanti nauali prælio com-
 misso, victoriam de manibus extortam. victum constat: in Italiamq; ac deinde in patriam
 reiectum, Siciliæ imperio tam cito amisso quam facile quæsierat. sic Iustinus ait Pyrrhi
 discessu Syracusani Hieroni remp. commendarunt, deinde Ducem contra Pœnos, ac de-
 mum Regem iusserunt. patre is Hieroclyto natus erat. genus ducenti à Gelone antiquo Si-
 cilii tyranno, matre impari atq; adeo ancilla. Carthaginenses multas Siciliæ vrbes sub im-
 perium denuo adiunctas validis præsidis muniebant.

430.

476.

RE B V S ad hunc modum stantibus, nouum repente bellum exarsit: quod Carthagini-
 nis fortunas afflixit, penitusque subuertit Romanis qui hactenus Italiæ finibus impe-
 rium terminarant, in Siciliam admissis hac occasione. Mamertini à Marte dicti, cum
 bellicâ gloriam sibi præ cæteris arrogarent, ex ea Italiæ parte quam Campaniam dicimus,
 Messanæ (quæ vrbs freto Siculo imposita & portu tutissimo nobilis est) Agathoclis ætate
 à ciuibus auxilio aduocati, oppressa libertate & ditone armis propagata, adeo opibus au-
 cti sunt, vt Pyrrhum Epirotam bello laceffere auderent, & Syracusanos iniuriis prouoca-
 re minime dubitarent. Verum Hierone Duce ad Longanum fluuium prælio commisso, 10
 cæsis atque fugatis plurimis, Mamertini cæteri intra urbem compulsi, cum ægre mœni-
 bus se tuerentur, neque suis viribus fiderent, aliunde auxilium petierunt. pars Carthagi-
 nenses asciuit, venientelque quoniam prope erant, vrbeatque oppidis recepit. pars Ro-
 mam legatos misit, cuius felicitatis, virtutis atque æquitatis ingens fama ferebatur. Ii da-
 to senatu suorum ciuium mandata explicarunt. Plerisque Patribus iniquum fore vide-
 batur Carthaginenses vnde nulla extaret iniuria bello prouocare. alii expectandum nega-
 bant dum Siciliæ accessione aucti traicerent in Italiam. Re iactata optimum visum est
 Mamertinis opitulari, præsertim cum in antiquo fœdere iam inde à Publicolæ consula-
 tu icto rursusque & tertium instaurato cautum esset, ne se rebus Siculis alterutri admisce-
 rent, quod à Carthaginensibus violatum fuisse accusabant. Missus est auxilio Appius 20
 Claudius Consul cum cohortibus aliquot, Olympiadis. 129. anno primo, qui annus ab
 490. V. C. fuit. 490. Ea re Messanæ nunciata Carthaginense præsidium vrbe pulsum à ciuium
 parte est. Atroci iniuria Pœni irritati fœdere cum Hierone facto Messanam terra mariq;
 obsident, tum vrbs expugnandæ studio, tum vt Romanos freti transitu prohiberent. Ve-
 rum ii noctis caligine tecti in urbem admissi freto transmissi, eruptioneque facta Hiero-
 nem prælio superant, & Pœnorum castra capiunt, Siculos qui cladi superfuerunt intra
 Syracusas compulso aliquandiu obsessos tenent, Carthaginensibus vrbes & oppida non
 pauca adimunt, & fortuna penitus aduersa Hieron ab eorū amicitia diuulsus Romanis se ad-
 iunxit. At illi noua comparata instructaque classe nouisque delectibus in Hispania, Gal-
 liæ ora maritima, atque Liguria habitis, vt Polybius est auctor, bellum instaurarunt con- 30
 tra Romanos diuturnum atque difficile. cuius successus omnes à nobis vt referantur vi-
 sum non est, satis oneris sustinentibus Hispaniæ rerum commemoratione, bello inte-
 stino atque atroci hac ipsa tempestate vexatæ, cædibus, incendiis, rapinis vastatæ, vti
 nostrates historiæ docent, nulla neque locorum neque nominum designatione. Nam
 bellum inter Romanos & Carthaginenses alternante sæpe fortuna gerebatur: & prælio
 502. nauali quod commissum est anno V. C. 502. Romana respublica afflicta est nonaginta,
 si Eusebio creditur, amissis nauibus, Cæcilioque Metello Imperatore victo fugatoque.
 Baleares vero à Carthaginensium magistratum auctoritate rebellarunt, cæsisque Puni-
 cis præsidiis classem, quæ in portu erat, lapidum procella coegerunt è portu subductam
 stare in anchoris: & cum furor agrestium hominum non remitteret, in patriam migrare. 40
 Ad eam tempestatem sedâdam virtute & auctoritate opus erat. Amilcar Barchinus exacta
 prudentia vir, atque militari laude clarus Dux à senatu eo missus, cum summæ diligentæ
 & auctoritati summam morum facilitatem addidisset, & à vi abstineret, totam insulam ad
 pristinam tranquillitatem reuocauit. Quo tempore in Tiquadra insula Balearibus pro-
 xima, Amilcari natus est Annibal, is qui magnitudine rerum gestarum totum orbem ter-
 rarum sui nominis fama compleuit. Plinius certe nisi lectio sit vitiata, Tiquadram Anni-
 balis patriam esse ait. Scriptores nostri matre Hispana natum addunt, atque Amilcarem
 507. belli contra Romanos Ducem creatum anno ab V. C. 507. duo Hispanorum millia,
 & funditores trecentos nauibus abduxisse, Siciliæ imperio, quod amissum erat recu-
 perando. Ex copiæ Italiæ littoribus tentatis, ad eam Siciliæ partem appulerunt, vbi 50
 Panormum vrbs sita est, nauium statione non incommoda coniuncta, monteque in quem
 ascensus est difficilis omni ex parte. subiecta duodecim millium quoquo versus planicies
 præcipua amœnitate prouentuque panditur. Eum montem Amilcar munire atque in eo
 copias continere, ne vniuersæ dimicationis aleam subire cum victore necesse foret: mi-
 nutis tantum præliis fatigare, finitima oppida & vrbes ad defectionem sollicitare, & maris
 imperium retinere constituit. Aduersus eas molitiens C. Luctatius Consul Roma cum
 valida classe dimissus Lilybæum venit. A Carthaginensi senatu Amilcaris hortatu noua
 classis comparata, atque Hannone Duce, Romanorum classi obuiam missa, cum ad ma-
 nus ad Lilybæum ventum esset, victa à Romanis atque profligata est, sexaginta nauibus
 capitis

captis, quinquaginta submersis. Cæforum & captiuorum numerus pro numero nauium magnus, tanta ex eo Carthaginis trepidatione, vt continuo de pace agendum iudicarent. paciscendi cura Amilcari demandata, non minori prudentia Duci ad fortunæ impetus sustinendos, quam ad gerendum bellum virtute diligentiaque. Ducum mutuo colloquio de conditionibus actum, ac tandem pax facta est his legibus. Pœni copias omnes ex Sicilia vicinisque insulis deducunt. Hieroni aut Romanorum confœderatis negocium ne faciunt, neve molestiam exhibent. Duo millia & ducenta Euboica talenta aliquot pensionibus pendunt mulctæ nomine, & ob eos sumptus quos tolerare necesse fuerat. Gratis captiuos reddunt. Has conditiones populus Romanus non probauit. missi Decemviri cum auctoritate mille talenta addiderunt summæ pactæ. neque Sicilia solum, sed etiam aliis insulis quæ Siciliam inter & Italiam sunt, Pœnos abire iusserunt. Inchoati belli anno 22. qui annus ab Vrbe condita fuit quingentesimus duodecimus, Hispaniæ infestus ob aeris siccitatem & terræmotus frequentes, quibus Gadum pars hiatu facto desedit mari hausta, ab armis discessum est, pace facta. atque ita discessum vt maius quam quod gesserant agitare in animis bellum omnibus esset persuasum. Graues conditiones fœderis eoq; non amplius cogitabant, quam necesse foret, Pœnos toleraturos.

Amilcar denuo venit in Hispaniam. C A P. VII.

20 **N**O VÆ exceperere calamitates: vt nunquam in vno gradu fortuna resistit. vno tempore in Africa atque Sardinia Punicæ copiæ tumultuatæ sunt. In Africa quidem deducti ex Sicilia milites Coto Afro & Sependio Italo Ducibus, cum exhausto superioris belli malis ærario stipendia longæ atque infestæ militiæ negarentur, ad sexaginta hominum millia oppidum sincensis, atq; vicinis vrbi agris vastatis, Carthaginensium animis magnam sollicitudinem iniecerunt. Sardinia exercitus eadem de causa rebellans, id facinus nouo scelere cumulauit. Hannonem ad eos motus sedandos missum, acerbe exercentem imperium conspiratione facta milites in crucem egerunt: & vtrisque copiis coniunctis eam insulam communi nomine aliquandiu tenuerunt. Dein Sardorum armis pulsi, atque ad Romanos confugientes, ita in fidem recepti sunt, vt neque eas copias in Sardiniam remitterent, & cõparata tamen classe Pœnos ab eius insulæ possessione remouerunt. Grauis is dolor genti fuit. tantum virium amissa nuper Sicilia & modò erepta Sardinia decessisse. Romani contra excusabant, in superiori fœdere cautum esse vt vtraque insula Pœni abstinerent. Additum blandimentum mitigando dolore vltro Carthaginem nauibus missis frumento onustis ad famem leuandam, quam neglectus agrorum cultus in tantis motibus pepererat grauissimã. Tamen Amilcar Barchinus ei bello creatus Dux, tumultuatæ, primum triennii patientia fregerat, deinde etiam prælio ingenti superarat. Hac victoria Pœnorum rep. recreata, atque ablatæ Sardinia dolore compresso, de Hispania cogitare cœperunt, longissime à Romanorum ditione imperium proferri posse credentes, & maioribus commodis reipub. vulnera sanari. Amilcar ei prouinciæ cum summa potestate præfectus 40 Carthagine soluit, votis prius nuncupatis, & sacrificio peracto: ad quod Annibalem nouem natum annos, atque in Hispaniam secuturum, à patre Amilcare adhibitum memorant tactis aris cum per ætatem liceret, conceptis verbis iurasse, hostilem animum in Romanos. Erant præterea Amilcari filii tres Annibale minores, Asdrubal, Mago, atq; Hanno. Appulso Gadeis Turdetani qui vno tenore multis annis ex quo in amicitiam Carthaginensium venerant, fidem coluerant, missa legatione occurrerunt aduentum gratulantes, copiasq; si ex usu esset, offerentes. Eo præsidio Amilcar non modo veterem ditionem in continenti recepit, verum etiam vniuersam Bæticam, qua vi, qua voluntate sub imperium misit, anno ab Vrbe condita quingentesimo sexto decimo. Gentem vsq; adeo opulentam 50 ea ætate, vt argenteis præsepibus & doliis vterentur, auctore Strabone. Adiciunt classe Mediterranei maris littoribus tentatis, aduerso Ibero flumine coloniam instar arcis reliquisse, quã olim Carthaginem veterem dixerunt: hodie Cantæchia esse creditur, ignobile oppidum, & Rhodiensibus militibus contributum, a Dertusa vrbe præter Occasum & Septentrionem quadraginta millibus passuum in Ilercaonibus situm, vbi eam coloniam Ptolemæus certe collocauit: haud obscuro argumento falli eos, qui Carthaginem veterem aut Dertusam ipsam esse putarunt, aut duodecimo ab ea vrbe lapide ad orientem Solem Perellum pagum, vbi parietinæ extant veteris structuræ clara vestigia. Sequenti anno ora maritima vniuersa sub iugum missa est, vbi Bastetani atq; Contestani secundum maris littus extendebantur. Sagunto vicino ad Amilcarem missi legati, de victoria gratulantes, muneraque afferentes, seruendi conditionem quantumuis honestam detrectarunt, lis

benigne dimissis, nobilem urbem opprimendi studio ardens, iure ut videretur facere, idq; facinus specie honestatis velaret, Turdetanos paulo post subornauit, ut in eorum agro atq; ditione urbem ponerent, quam Turdetum olim nominatam fuisse constat. Turulim quidam octoginta passuum millibus remotam esse arbitrantur, sola ex nominis leui similitudine ducta coniectura. Ea ex re inter vtranq; gentem orta controuersia, Amilcar confidebat opprimendæ Saguntinorum libertatis nō defuturam occasionem. Quam illi fraudem odorati, nihil se commouere, atq; ab armis abstinere constituunt. ad Iberi ostium rei bene gestæ lætitia celebrata est Amilcaris filia Himilces & Asdrubalis propinqui nuptiis, anno ab Vrbe condita. § 21. Legati dimissi ad Gallorum Principum voluntates tentandas, quorum Amilcar amicitiam imprimis vsui fore confidebat, domita Hispania aduersus Romanos signa conuertere cogitanti, pleriq; donis & auro, cuius est gens illa auidissima in partes attracti. Arma mox anno sequenti propius Pyrenæum promota, atq; à Dertusæ finibus ad Rubricati ostium littoribus subditis, Barcino vrbs de Barchinæ gentis nomine paulo ultra id flumen constituta creditur, alii ad Herculem Lybium, alii ad Barcionem Cariæ ciuitatem huius vrbs conditionem ablegant: auctores numero & antiquitate potiores redarguunt, Barcionem in coloniis Punicis numerantes. His rebus intentum Amilcarē, Rhodopemq; & Emporias finitimas vrbes, quoniam eius conatibus potissimum repugnabāt, subiugare parantem, mors oppressit. Cum noui motus in Baticam reuocassent, in Edetanis magna prouincialium multitudine in armis obuiam facta, in acie occubuit, nono circiter anno ex quo in Hispaniam venit. ex hominū millibus amplius quadraginta, quem numerū sub signis habuisse memorant, plus duabus terciis cæsis, reliqui amisso duce fugæ & noctis beneficio in proximas ciuitates euaserunt. Ad Castrū Altum pugnatū fuisse Liuius ait.

Asdrubalis res gestæ. C A P. VIII.

POE NORVM arma in Baticam conuersa sunt, Phocænsiumq; iis locis coloniam, cuius nomen non proditur, quoniam eos motus prima concitarat captam solo æquarunt. Ita qui funesto bello occasionem præbuerunt, ii principes pœnas persoluere. Carthaginæ Hamilcaris morte nunciata de successore subrogādo deliberatione suscepta, magna contentio excitata est, & senatus sententiæ variabant. Tota enim ciuitate in Edos atq; Barchinos scissa, quæ duæ factiones opibus, gratia, & auctoritate facile principes erant, Barchini Asdrubalem præferebant. His Edi non obscure inuidentes ex sua gente nouum in Hispaniam præfectum mitti omni ope contendebant vnde ingentes diuitiæ parabantur. Dum altercationibus tempus extrahitur, missus opportune ex Hispania Annibal amicæ factionis animos confirmauit, aduersariorum conatus fregit: atq; gratia & auctoritate effecit, ut imperium Hispaniæ Asdrubali deferretur: cum in senatum ingressus longa atque accurata oratione explicuisset patris labores, res gloriose gestas, Hispaniam eius virtutē domitam, funestum exitum nulla ipsius culpa sed fortunæ iniquitate contractum. Nouas in Hispania conditas vrbes, veteres magnis præsiidiis teneri. Magnam spem esse totius prouinciæ potiunde, si eodem consiliorum tenore pergerent remp. administrare. Errare si qui putent, feroces Hispanorum animos viribus superari posse. Asdrubalem ætate esse integra, virtutis opinione maxima, non modo bellicis artibus, sed etiam eloquentia validum, tractandi Hispanorū animos artificem singularem. In vnum maxime exercitus & sociorum studia conspirare. Fasciculum litterarum ostētabat, volūtatis indicem Hispanorum, Ducumq; proficiscenti datum ad senatum. Etiam atq; etiam viderent ne mutandis præfectis nobilissimæ prouinciæ animos alienarent, in eo rerum momento, cuius opibus aucti nullam deinde potentiam ipsi formidarent. Ea oratione, atque iis litteris victo senatu Hispaniæ imperium Asdrubali decretum est anno ab Vrbe condita. § 24. Quo is circumactis, rebus in prouincia compositis, multis Hispanorum proceribus stipatus Carthaginem nauigauit. vbi omnia ad nutum gubernare sperabat: plusque vnum auctoritatis & potentia habiturum quam reliqui magistratus. Verum cum nihil procederet eorum quæ cogitaret, populo atq; Senatu ab Edorum factione concitato, quasi re cum Annibale communicata regnum medicaretur in libera ciuitate, in prouinciā reuersus per otium ea parte, qua Contestani ad mare fusi erant, urbem ædificauit, quam Carthaginem nouam dixerunt (alterius comparatione ab Amilcare prope Iberum amnem constitutæ, ut ante dictum est) ab sparti copia, quam ea regio fundit maximam, Spartatiam etiam Carthaginem: portu confuncto ab omni ventorum procella tutissimo, propter editos colles, quibus quasi circino circumdatus angustum aditum habet insula obiecta ad maiorem securitatem: quam prisca Herculeam nuncuparunt, Latini à piscium genere iis in locis frequentissimo Scombrariam. olim murorum amplitudine, ædificiorū elegantia, ciuium cultu atq; frequentia cum quauis

quavis magnarum vrbiū comparanda. nunc ad paucos incolas redacta, non obscura veteris amplitudinis vestigia retinet. Romani iis rebus cognitīs, quæ in Hispania gerebantur, tametsi cupiditate ardebant, eundi obuiam Pœnorum conatibus, ignauiamque suam accusabant: ne initi tamen nuper fœderis sanctitatem primi violasse viderentur, & quoniam ex vltiori Gallia rumores erant allati, eam gentem vna cum citerioribus Gallis in Romani nominis perniciem coniurare: tantisper sustentare placuit, ac Massiliam tantum legationem mitti per speciem occurrendi Gallorum consiliis, re vt eorum op̄era vrbes in ora Hispaniæ Massiliensibus amicas in fœdus attraherent: quod Pœnorum odio facile perfectum est. Emporiæ primū in Indigetibus, qui Laleranis & Ceretanis contermini à Saceroca fluuiō vsque ad Pyrenæi extremas partes extendebantur, cum Romanis fœdus fecerunt: & per eos Saguntum atque Dianium in partes attractæ: vnde noui atque grauissimi belli inter Carthaginenses & Romanos non longo interuallo materia exitit. Tantæ machinationes Asdrubalem latere non poterant, neq; quorsum Romanorū conatus & consilia spectarent. dissimulare tamen placuit donec omnia essent ad bellum comparata, sociis vrbiſus in fide confirmatis, & Annibale per litteras in Hispaniam reuocato (nam eate nus Carthagine hæserat, retentus à patribus, quasi Asdrubalis fidei pignus) ægre ac multum Hannone Edorum factionis Principe repugnante, qui æquo cum cæteris iure viuere assuefaciendum disputabat, impetratum à Senatu est, vt remitteretur in Hispaniam. eo delatū, incredibili exercitus atq; sociorum lætitiā exceptū continuo Asdrubal suum legatum constituit, anno ab Vrbe condita quingentesimo vigesimo octauo. Quo tēpore Romani Senatus legati venerunt in Hispaniam, & facta Asdrubalem conueniendi potestate, data ipsis mandata explicarunt. Iam dudum Pœnos amicos atque confœderatos esse cœpisse Populi Romani. Nuper in Citeriori Hispania quibusdam ciuitatibus pacem datam. Ne fœdus cum alterutris in initum alteris fraudi esset. Quod erat æquissimum, Pœni vt in Hispania Ibero flumine ditionem terminarent, postulare: neque Saguntinorum fines contingerent, quamuis vltra id flumen positis. s. neutri alterutrius populi socios iniuria violarent. qui secus fecissent, ab iis fœderis leges motas fuisse visum iri. Ea legatio cum tantum sibi Romani fumerent, vt in aliena prouincia victoribus præscriberent, magnum pro eo ac debuit dolorem inussit Carthaginensium animis. tempore tamen cedere rati optimum, dum se penitus ad resistendum compararent. omnia legatis concesserunt, quæcunque senatus nomine postularant. & erat ex Italia nunciatum Gallos vltiores Cisalpinæ Galliæ copiis permixtos atque formidabiles à Romanis fuisse ingenti prælio superatos, cæsis ex hostium copiis quadraginta millibus, atq; eius numeri quarta parte capta. Dimissis legatis Asdrubal totum triennium consumpsit iis rebus comparandis quæ ex vsu belli, quod meditabatur, futura prouidebat animo. Verum conatus eius mors inopinata interceptit, Olympiadis. 139. anno tertio, qui annus ab Vrbe condita fuit quingentesimus trigesimus secundus, trucidatus est à seruo quodam necem domini ferro vindicante, quem Tagum nomine Asdrubal occiderat summo inter Hispanos loco natum, tanta in seruo vindictæ voluptate, vt cum eum ad aras sacris operantem obruncasset, continuo comprehensus inter exquisita tormenta, membris omnibus excarnificatus, gestientis habitu nullam paulo tristiorem vocem emisit.

Saguntinum bellum. C A P. IX.

MORTVO Asdrubale summa Hispanici imperii Annibali commissæ est. viginti ætati iuueni Magnorumque spirituum, viginti sex annos circiter nato, prærogatiuam militarem, fauor plebis & senatus approbatio confirmauit. Multæ inerant virtutes, neq; minora in natura vitia. corpus duratū labore, ingens animus: gloriæ appetens, magis quam voluptatum: plurimum audaciæ, consilii plurimum. Has virtutes crudelitas, perfidia, religionis omnis contemptus fœdabat. multitudini iuxta tamē erat ac Principibus carus. Inuito magistratu, & sua sponte & Amilcaris casu castigatus, ne eius conatus mors impediret, continuo de bello Romanis inferendo agitare animo cœpit. honesta causa querenda erat. optima visa est sociorum iniurias, quæ a Saguntinis illatæ esse ferebantur, armis vindicare. Id priusquam aperte moliretur, Himilcem sibi Carthagine noua iunxit connubio nuptiisque celeberrimo apparatu factis, ex Milici Regis posteritate virginem, Castulone natam ad fines Bæticæ, non procul Biatia, vbi Cazlonæ villæ veteris amplitudinis obscura tantum vestigia conseruant. præterea Cyræus Phocænsis, vnde etiam sanguinem deriuabat, Castulonæ matris nomine eam vrbe primus condidisse ferebantur. Dos ingens fuit, diuitiæ pares nobilitati: vnde Annibalis potentia multum in Hispania creuit, creuere prouin-

cialium studia. multis præterea locis auri atque argenti secturæ perscrutando effossæ res gerente: atque ex eo communi omnes voce Annibalis putei dicti sunt. Prouentum vnius putei, cui Bebelo nomen fuit, argumento licet coniecere liquati defecatique argenti in dies singulos reddentis trecenta pondo, hoc est, quantum duo millia ducenti quadraginta aurei nummi nostrates valoris habent. Initio arma in Carpetâos versa, gentem ferocia & multitudine cæteros eius prouinciæ populos superantem. De causa non liquet. Primi Olcades, vbi nunc Ocania sita est (Stephanus Olcades ad Iberum ponit) & caput gentis Carteia oppressi. mox alii ad Tagum insigni prælio victi. Quo tempore Saguntinorum intestina dissidia vigeant graue malum. quo procurando eorum rogatu missi Roma legati vtrinq; factionem hortando terrendoque, & de fontibus aliquot sumpto supplicio motus composuerunt, veriti si diutius aleretur controuersia, vbi ventum esset ad arma, ne victa pars Annibali aditum in urbem patefaceret, vniuersosque is suæ ditionis faceret. Qui ferox successu omnibus citra Iberum populis subiugatis ad bellum Saguntinum conuerso animo, Turdetanis persuadet, vt de finibus Saguntinos lacestant, non defore sperans ea controuersia orta occasionem opportunam perficiendi, quod cupiebat: bellique cum Romanis id futurum initium, quo iam dudum totus ferebatur. Contra Saguntini, quod neque se armis pares fore, & amicitia populi Romani magis quam sua innocentia fidebant, Romam cõtinuo extrudunt legatos. Ii dato senatu mandata Patribus explicarunt, hostilia moliri Annibalem, propediemq; sociam fidelemq; ciuitatem obsesurum. nisi quid opis in ipsis sit, de sua suorumq; salute actum. Se quidem extrema prius pati paratos esse, quam fidem fallerent: viderent ipsi, ne cunctando socios hosti prodidisse, & vrbi amicæ cultam eximie fidem exitio fuisse videretur. Variis sententiis agitata in senatu res. Multis bellum continuo decernentibus vicit sententia lenior, legatosq; ad Annibalem mitti placuit. qui adulta iam ætate Carthaginem nouam delati Annibali, senatus Romani verbis denunciant, ne Saguntinis sociis atque confœderatis molestus esse pergat. neve Iberum, vt erat in superiori fœdere cautum, transcendat. si secus faxit, curæ senatui populoq; Romano socios amicosque fore. Ad hæc Annibal neque recte, ait, neq; pro bono facere Romanos nuper Sagunti de viris primariis sibiq; amicis supplicio sumpto, & nunc dissimulandis iniuriis, quib. Turtedani à Saguntinis violati essent. Tum demum æquum fore Romanis socios tueri, si sibi pari conditione iureq; potestas relicta esset, amicos ab iniuria damnoq; vindicandi. Hoc responso dimissis legatis continuo mense Septembri Annibal Romanorum conatus præoccupandi studio copias omnes ad centum quinquaginta hominum millia Saguntum deducit Olympiadis centesimæ quadragesimæ primæ anno primo, vt Polybius ait. Iis copiis vastato agro, & multis circum oppidis direptis, vno modo Dianio conseruato propter loci sanctitatem homo minime religiosus cœpit impugnare. Erat Saguntum in Edetanis, tribus à mari millibus passuum, agri fertili gleba, commercii maritimi terrestriq; copiis beata, loci natura arteq; munita. Positis castris, ædificatisque operibus, ariete murus tentatur, qua parte in vallem desinebat, minoriq; adeo firmitate. Fefellit opinio. munitior locus erat quam putarant: ciuesque supremo conatu propugnabant. Annibali ipsi, cum auidius muro succederet, hasta fœmur traiectum, tanta suorum trepidatione, vt opera præmodum omnia & vineæ desererentur. Dum vulnus curatur dies aliquot ab oppugnatione cessatum. Nouos interea Saguntini legatos Romam mittunt, obtestatum, ne urbem amicam in cruciatum hostibus dedant. Si paululû cunctati fuerint haud dubium interituram demonstrant. Ratione inita paucorum mensium frumentum esse: paulo etiam longius parcendo tolerare posse. Simul locis omnibus maiori cura munitis se ad resistendum comparant. Annibal cum primum ex vulnere conualuit, tribus turribus arietum ictibus & quidquid inter eas muri erat ad terram prostratis, per lapidum stragem & rudera in urbem conatur euadere. Oppidani contra instructa pro ruinis acie, hostium primum impetum sustinent, deinde quoniam præter spem non vincebantur, loco mouent ex vrbeque reiciunt, tandem in fugam vertunt: atq; ita vt Saguntinorum impetum vix castrorum munitione sustinerent. Audacia exitialis fuit. Ferocior factus Annibal, certus nisi vrbe capta non quiescere. Legati denuo Roma missi (nam omnia tentare visum est, prius quam veniret ad arma) negata Annibalem conueniendi potestate, vt erant iussi, Carthaginem nauigantes de iniuriis in senatu conquesti sunt, dedi Annibalem certe ad supplicium postulantes. eam vnâ pacis conditionem esse. Hanno æqua Romanos petere differuit. Annibalem si nullus posceret, in vltimas terras deportandum videri: ne quietum reip. statum perturbaret. Restitit Barchina factio Annibalis litteris & studio præoccupata. Sic repudiato saniori consilio in hanc sententiam responsum datur. Nulla Annibalis culpas in eum statum deductas esse, à Saguntinis ortam iniuriam. Inique facere Romanos no-

uis amicitii prælati. Interea Annibal fesso militi pugnis atq; operibus paucorum dierum quietem dat. Ex Himilce per eosdem dies natus Aspar patrem Annibalem & exercitū lætitia cumulauit. pro eius ortu ludi in castris magno apparatu celebrati, & spectacula varii generis commissa. Saguntini contra de salute solliciti omnia ad defensionem comparare. Vani ii conatus fuere. repetita oppugnatione, turriq; lignea promota, telorum ex ea multitudine murum propugnatoribus nudatum, quingenti Afri vectibus diruunt nulla calceduratum sed luto, eoq; cedentem iactibus. Milites aditu patefacto, prædeq; spe per præconem denuntiata in urbem penetrant. Cedunt Saguntini viribus impares, penitentioremque vrbis partem cum arce subitarii operis muro coniungunt. Res in extremum adductas vna
 10 Romani auxilii spes sustentabat. Datum tantisper respirandi spatium Annibalis discessu in Carpetanos & Oretanos, delectus acerbitate ad arma consternatos. Relictus obsidione vrgenda Maharbal Himilconis filius Saguntinorum eruptionibus compressis, & noua vrbis parte capta fecerat operæpretium, cum Annibalis reditu postquam eos motus composuit, miseris spes omnis præcisa est, arcis parte in potestatem redacta. Vna obstinatio, quæ in summo periculo consilium non recipit, vana sine viribus sustentabat animos. Saguntinus Halcon clam ex vrbe euadens, suorum misericordia ciuium quos de mentis potestate malorum pondere deductos considerabat, de pace priuatim agere cœpit: & cum nihil aliud impetraret, quam vt ciues cum vestibibus tantum, vrbe relicta, vbi victor constituisset, in ea agri parte nouum oppidum ædificarent, in castris hæsit, desperatione ea lege flexuros
 20 ciues ad deditionem animos. Miseram conditionem. pars maxima morbi est medicinam respuere. Alorcius Hispanus, tamen si Annibali militabat, Saguntinis quadam naturæ propensione & veteris hospitii memoria fauens, in urbem per ruinas admissus, eas deditionis conditiones pro concione proceribus sumpta multitudine exposuit, iniquas quidem, & graues, sed fortunæ iniquitate necessarias. Debere eos non quid amitterent considerare: sed quidquid relinqueretur id in lucro ponere. vitam, libertatem, opes in victoris esse potestate. Alorci oratio magna indignatione plebis & fremitu, quæ certatim confluerat cognoscendi auida, audita est. Pleriq; aurum atq; argentum vestemq; in forum raptim cōgestam subdito igne cremarunt: seque cum liberis & coniugibus in eundem rogam iniecerunt, mori obstinantes. Turris diu quassata eodem momento concidens, liberum militi
 30 aditum in urbem dedit, flagrantem incendio: quod excitarent sui restinguerent hostes, pati vtrunq; infelicitate. Sic naturæ iura bellum in contrarium mutat. Sæuitum est in ciues, nullo neq; ætatis neq; sexus discrimine: pleriq; seruitutis odio hostium ferro vltro obiciebant capita, aut tectis admoto igne eodem peribant incendio. Pauci in potestatem venerunt. ea militum præda fuit. Præterea multa vestis Carthaginem missa, multa occupata à militibus. neq; enim omnia corrupta erant à ciuibus. Octo menses obsidio tenuit. mense Maio capta vrbs est atq; excisa, anno ab Vrbe condita, 536. cui alii numero annum, quidam biennium detrahunt, certe P. Cornelii & T. Sempronii consulatu.

536.

Initia secundi belli Punici. C A P. X.

40 SAGUNTINI excisæ fama vno tempore Romæ audita est, & qui ad Annibalem fuerant legati, Carthagine redierunt, quanto Patrum & plebis dolore dicere non est necesse. Sera pœnitentia suam ipsorum cunctationem accusabant, proditos desertosque socios. Inanis luctus erat, nobilissima vrbe euerfa. quod proximum erat, vindicare constituunt. Tamen si iram adæquabat metus à præualido hoste multorum annorum militia duratas copias trahente. iam superatis Alpibus bello petere Italiam Annibal, & pro mœnibus adesse, tantumque vim non admouere videbatur. Bellum tamen continuo in Carthaginenses decretum. Coss. Cornelius Hispaniam, Sempronius Africam cum Sicilia fortiti sunt. Romæ atque tota Italia delectus habitus. Iuuenes ad signa vocati. inutilis bello turba, in qui-
 50 bus nihil præterea opis erat, in preces & supplicationes versi per omnia vrbis templa votis & victimis fatigare deos. His rebus comparatis, instructaque classe, quinque legatos præmitti Carthaginem placuit, rogatum publica ne an priuata auctoritate Saguntum esset excisa. Legationis princeps Q. Fabius, dato Carthagine senatu, mandata suæ vrbis exposuit. Illi non de auctoritate quærendum dicere, sed de belli conditione, iure an iniuria illatum esset. In antiquo cum Luctatio fœdere nullam de Saguntinis esse mentionem. Ab Asdrubale conditiones datas non magis reliquos astringere, quam Luctatii fœdus Romanum senatum: cuius leges pro voluntate mutarat, peioresque ea excusatione fecerant. Tempus altercationibus ducebatur, nullo competenti responso. Romanus veste in sinum contracta pacem, inquit, & bellum portamus. vtrum mauultis eligite. Respondentibus

daret quod vellet, explicato sinu bellum dare dixit. Inde ut erant iussi Romani legati in Hispaniam nauigantes Bargusios in extrema Hispania atque in Ceretanis facile contra Pœnos impulerunt. à Volcianis vero, quos vicina loca tenuisse arbitror (alii in Celtiberis ponunt, quo loco Villadolce sita est, non procul ab ortu Guerbæ fluminis, oppidum veteribus monumentis Volcem dictum) repulsam tulerunt addita verborum contumelia, quasi proditis Saguntinis novos socios aucuparentur: nomen magis ad præsidium sociorum quam vires afferre soliti. Eo responso vulgato pari libertate ab omnibus ciuitatibus repulsi, in Galliam Narbonensem profecti in gentis concilio ne Annibali, quem arma expedire in Italiam constabat, per suos fines transitum darent, Romani senatus verbis postularunt. magno Gallorum risu, stultum iudicantium alieno commodo arbitrioque grauissimum bellum in suos fines attrahere. Pœnorum donis præoccupati erant: à Romanis neque acceperant quidquam, neque expectabant. Sic nullo operæpretio facto per Massiliam Romanam redierunt. Interea Annibal in nouum bellum intentus, copiis in hiberna dimissis, factaque qui cuperent suos inuisendi potestate, modo ad prima veris signa Carthagine noua præsto essent: ipse Gadeis, quasi in Herculis templo nuncupaturus vota, procuraturus sacra, profectus est. Sacrificio peracto, atque vxore & filio abs se dimissis, aut in Africam, aut ut alii suspicantur, Castulonem, tredecim millia & octingentos cetratos ex Hispania pedites Carthaginem misit, Baleares octingentos, mille & quingentos equites, ut obfidum loco essent, & procul à patria maiore virtute fideque operam reip. nauaturos confidebat. Eadem classe vndecim Afrorum millia in Hispaniam abducta. quo præsidio octingentis insuper additis Liguribus Asdrubalem fratrem iussit Hispaniam tueri. Addita classis idonea ad maris imperium retinendum. Obsides præterea quos ciuitatibus imperauit iuuentutis principes, in Sagunti arce Bostari custodiendos reliquit. Ipse cum robore exercitus, in quo nonaginta peditum millia ex variis gentibus erant, duodecim millia equites (Polybius multo minorem numerum ponit) iter ingressus, vbi ad Iberi ripam castra posuisset, noctu de belli euentu sollicitus, videre sibi visus est per quietem, iuuenem augusta specie, qui se ab diis ducem in Italiam missum diceret. sequeretur proinde, neque oculos retro referret. eum nihilominus conuersa facie serpentem vidisse obuia cuncta subuertentem, & nimbi procellam subsecutam. Roganti ecquid ea portenderent, desineret respondisse fatorum arcana perscrutari, sequereturque qua viam pandebant numina. Ibero transmissio Annibal Andubale gratia, copiis & auctoritate iis in locis inter Hispanos Principe sibi conciliato, atque Hannone cum iusto præsidio totiusque exercitus impedimentis, quo expeditius esset iter, in eo tractu relicto, in Pyrenæi saltus iugis tria Carpetanorum millia tam longinque militiæ pœnitentia signa deserentes, ne iis cogendis supplicio ceteri irritarentur, eos septemque alia Hispanorum millia, qui inuiti sequi videbantur, sponte dimisit. Quo facto nominis auctoritatem fanciuit, quasi dimissis sponte omnibus, & reliqui exercitus metus mitigatus, eo exemplo confidentium militiam, quam sponte suscepissent, cum vellent posituros. Mox transceso Pyrenæo, atque Gallis, qui arma corripuerant, sedere deuinctis, opera Ciuisuari & Mænicati, qui inter Gallos summum gratiæ & auctoritatis locum obtinebant, Rhodano traiecto, Volcisque victis, eius fluminis ripas vtrinque insolentibus, ad Alpium radices castra promouit. Fuit hic annus Hispaniæ ut frugum copia letus, sic morbis & pestis contagione grauis. magni terræ motus extitere. mare identidem tempestatibus sæuiit. in cælo concurrentium acierum species visæ cum nubium fragore, ad indicium calamitatum, quibus hoc bellum orbem terrarum implicuit.

Annibalis transitus in Italiam. C A P. X I.

MVLT A ex iis quæ sequuntur, externa sunt: sed nisi iis explicatis, quæ in Hispania contigerunt, cognosci vix possent. Dabit lector veniam accommodatam priorum vestigia obseruantibus, maiori breuitati. Ergo P. Cornelius Consul, cui forte obuensis Hispaniam dictum est, mari profectus ad impediendum hostium iter, positis ad Rhodani ostium castris, ad rei bene gerendæ occasionem excubabat: cum trecenti equites Romani quingentos Numidas (nam erant ab vtraque parte speculatum missi) forte obuios factos, tumultuaria in pugna vicerunt. Lætus Consul omine, quoniam prima bene successerant, ex iis coniectans de summa, cupidusque vniuerso prælio decernendi, motis castris ad Rhodani & Araris confluentes, triduo postquam hostis inde discesserat, in vacua Pœnorum castra peruenit. Iter hostium consequi non sperabat: vnde discesserat rediens Cn. Scipione fratre cum robore exercitus & longarum nauium classe, ad tentandam Hispaniam, tuendosque in ea socios ablegato, cum paucis ipse Genuam mari repetiit, nouum in

Italia exercitum haud defore ratus aduersus Annibalem. Qui per Allobroges, Taurinas Alpes ægre quamuis, superauit quindecim dierum spatio: ac in Italiam copias induxit viginti peditum millia, sex equitum, vt quidam aiunt. Alii centum millia pedites, equites viginti millia duxisse confirmant. Punicis certe copiis par Romanus non erat, tyrone plurimum milite, vti ex subitario delectu. Ita ad Ticinum amnem facta pugna Consul pro victo in castra compulsus proxima nocte fugæ per simili profectioe Placentiam abiit, maiori mœnium quam virium fiducia, in pugna grauer fauciatus. Collega Sempronius meliori partium fortuna in Sicilia res gerebat, vna & altera Punicis classibus victis. Eo inde aduersus Annibalem reuocato ad Trebiam amnem maior quidem clades illata Romanis est.

10 **I**s in locis Annibal hyeme transacta Sempronio Cos. ad comitia in Vrbe profecto, vix dum aperiente sese vere anni ab Vrbe condita quingentesimi trigesimali septimi, in Hetruria aditu coorta atque in Apennini transitu sæua procella, & frigorum inclementia multos suorum amisit. Ad Placentiam, cum re necessaria retro rediisset, Sempronioq; in castra reuerso creatis Coss. Cn. Seruilio & C. Flaminio, denuo collata signa sunt. Acre & anceps prælium fuit. pugnantes nox diremit: exequataque clade Pœnus in Lygures abiit, amissa magna exercitus parte.

537.

Gesta per idem tempus in Hispania. C A P. XII.

20 **I**NTEREA Gn. Scipio Emporias classe delatus, à Lacetanis exorsus omnem eam Hispaniæ oram à Veneris promontorio ad Iberi ostia secundum mare Romano nomini adiunxit, Pœnorum odio libenter fœdus imperiumq; mutantem. Classis Romana ad Tarraconem nempe in Salu portu (Solorium Rufus Festus vocat) quarto ab ea vrbe ad Occasum lapide hyemauit. Deinde cum Hannone ei oræ ab Annibale præfecto signa collata in Ilergetibus ad Cyssum: quod hodie quidam Sissum, alii Saidi iis in locis nota oppida esse suspicantur. victoria penes Romanos stetit, sex Pœnorum millibus cæsis, duobus captis. Hannone ipse venit in p. testatem, & Andubal Hispanus, quem rebus Carthaginensium fauerè dictum est, tot vulneribus debilitatus vt intra paucos dies expirarit. Asdrubal, qui auxilio fuerat Carthagine noua ab Hannone aduocatus, cum traiecto Ibero aduersi prælii nuncium accepisset, flexo ad mare itinere multos nauales socios Romanorum, promiscuamq; hominum turbam inopinato aduentu oppressit. parique celeritate rursus Ibero transmissio Ducis Romani metu, qui ad eius rei famam accurrere nunciabatur, incolumes copias octo millia pedites, equites mille, in tuta loca reduxit. Gneius continuo Emporiis, quò fugato Asdrubale discesserat, in Ilergetes redire compulsus est, quoniam ab eius discessu ad Pœnos defecisse contempto Romano fœdere, imperioq; erat nunciatum. Modica vindicta fuit. Athanagia vrbe, quæ princeps rebellionem fecerat, deditionem faciente pecunia mulctatos, & maiori obsidum numero imperato, vniuersos conseruauit. Inde in Accitanos promotæ castra. ii prope Iberum incolentes in Pœnorum fide manebant (alii Ausetanos scribunt, qui ad Pyrenæi radices, vbi nunc Gerunda est, habitabant) sane Acete gentis eius vrbe primaria obsessa Lacetani auxilio superuenientes, noctuque in vrbem irrumperè conantes, excepti infidiis, ad duodecim millia trucidati sunt, cæteri fuga dilapsi. Obsessi omni auxiliorum spe deposita, atq; vrbis Principe Amusito ad Asdrubalem occulte profecto, trigesimo obsidionis die deditionem necessario fecerunt. argenti talenta viginti mulctæ nomine imperata victis. copiarum Tarraconem in hiberna reductæ. Hispanorum auxilia domos dimissa. Multa per eos dies in Hispania, Italia, atq; Africa ostenta visa. quibus procurandis maiores hostiæ mactatæ à Carthaginensibus præsertim, feruntur: profus vt morè è Phœnicia translato, qui longo tempore fuerat intermissus, Principum filiis iugulatis Saturni numen placandum censerent, in eius belli euentu, fortunarum atq; communis salutis discrimen verti considerantes. atq; in cæteris Asparem Annibalis filium senatus iudicio neci destinatum aiunt, quasi emineret inter alios. ea paternis meritis gratia habita. An hæ fabulæ potius sunt, ad lectorem oblectandum varietate, à nostris historicis confictæ? Addunt patre intercedente puerum euasisse, sui capitis periculo bellum administrare malle dictitante, quam filii profundendo sanguine patriis religionibus obsecundare.

Pugna ad Trasimenum. C A P. XIII.

HYME exacta, atque in Liguribus exercitu recreato auctoque, Apennini iuga Annibal superauit, meliori aliquanto quam antea conatu. In eo itinere restagnantis Arni paludibus transmittendis alterum oculum amisit, deformata facie maiori terrori futurus.

multi homines, & iumenta. Elephantique ferme omnes perierunt. Ad Trasimenum peruentum, lacum in ea Hetruriæ parte nobilem, vbi Cortona vrbs sita est, non procul vrbe Perusio, vnde lacui nomen nostra ætate. Iis in locis laceffenda C. Flamini temeritate in exitum præcipitantis agrum omnem Cortonam inter & lacum vastat, atque in aperto castra ponit, retro vicinum montem Baleares & leuem armaturam in insidiis, ad angustias equitatum, quas montes & lacus efficiunt. Ea arte à tergo atque à latere circumuenti Romani, qui Ducis furore cæci in hostem ferebantur, quasi indagine inclusi nulla difficultate victi sunt. quindecim millia ex Romano exercitu cecidere, pari captiuorum numero: cecidit & Consul ipse hastili traiectus. Cæsi mox in Vmbria ab Annibale quatuor millia equites, qui vicisse Pœnos ignorantes securique in castra Romana ibant, missi à Cn. Seruilio collegæ auxilium. Sub hæc Spoletum Romanorum colonia tentata cum expugnari non posset, signa, in Pícnos conuersa, atque eorum agris omni iniuria vexatis, Annibal per Marfos, Marrucinos, Pelignosq; in Apuliam irrumpens circa Arpos & Luceriam substitit. Tantis acceptis Romæ exiguo tempore cladibus, maiori metu vrgente, ad illud extremum decurritur. Dictator creatur cum summa & maxima decernendi potestate extraordinaria, Q. Fabius Maximus. M. Rufo Minutio magistro equitum. Libri Sibyllini consulti, atque ex iis ver sacrum Romæ votum. Propter ærarii inopiam ex singulis assibus, qui ante librales erant, sex facti valore retento, qui sextantarii sunt dicti. Naues missæ per idem tempus in Hispaniam ad Cneium commeatu onustæ, ad Coslanum portum à classe Carthaginensi interceptæ erant. noua ergo classe ad tutandam Italiæ oram comparata, nouisque contra Annibalem copiis conscriptis, Dictator in Apuliam profectus cunctando, neq; totius dimicationis vsquam facta copia, hostis ferociam debilitare cœpit, & reip. vulnera aliqua ex parte sanare. Tametsi non illi magis contra hostem pugnandum erat, quam contra Minutii temeritatem, militum audaciam, nominisque infamiam: quæ res fortissimos sæpe viros in præceps egit, Dictatoris cunctationem cunctis accusantibus ignauitæ affecto nomine. In Hispania Asdrubal Himilcone cum classe valida præmissa ad eam Hispaniæ oram tentandam, quæ in Romanorum fide erat, terra ipse copias duxit viginti militum millia. Cneius terrestribus copiis inferior retinendi maris imperii studio cum triginta nauium classe. Tarracone profectus in ostio Iberi classẽ Punicam nactus militibus vacuum (securi ii in terra erant) oppressit. Viginti quinque naues in ipsius oculis Ducis captæ. reliquæ qua submersæ, qua ad littus eiectæ. parique celeritate naues onerariæ quatuordecim interceptæ sunt in mari: quæ remittente vento cursum aliarum adæquare non potuerant. Eodem victoriæ cursu Honosca vrbs vi expugnata direptaq; est. Carthaginis vicinus ager vastatus, & suburbana ædificia incendio deformata. Asdrubal Gadeis vsq; Romanæ classis vestigia subsecutus incendiõrum Hispaniæ atq; vastitatis deformis vbiq; testis visebatur nullo præsidio. Secundum eam victoriam Ebusus insula tentata à Romana classe: atq; populi amplius centum viginti in fidem accepti: in his Celtiberi gens valida cum primis & lata. nam in horum finibus Segobriga, Bilbilis, & Medina Celina erant: ad hæc Vrcefsia, Concha, Opra, Agreda, Numantia, vrbes & oppida regionibus vsq; adeo disiuncta, ipsaq; adeo Cauni montis fastigia. Harum Cneius gentium accessione formidabilis, terrestribus copiis ad saltum vsque Castulonensem armis penetrauit. eundem nullo magno operæ pretio factõ, citra Iberum ii motus reuocarunt, quos Mandonio auctore, summo in Ilergetibus loco, inter suos ante Principe, concitari nunciabatur. vnde maiori mole bellum coortum est, Asdrubale à factiosis aduocato. Tametsi missa Romanorum manu multi è seditionum numero sublati erant: & Celtiberi Cneii litteris sollicitati, cum facta suorum manu in Punica ditione tres vrbes occupassent, retro redire Asdrubalem compulerunt, noui periculi propulsandi necessitate. Ventum vtrinque ad manus. quindecim millia è Punico exercitu a Celtiberis trucidata sunt duobus præliis, autumno in hyemem præcipiti, quem præcipua fertilitas & bonorum omnium copia celebrem reddidit in Hispania.

P. Scipio venit in Hispaniam. C A P. XIII.

5 3 8. **H**ic status rerum erat cum Cn. Scipio datis ad senatum litteris, militem in supplementum & commeatum quantum maxime possent mitti postulauit. Æqua Patribus petere visis est. Cornelius Scipio prorogato post consolatum imperio ad fratrem destinatur initio sequentis anni, qui fuit ab Vrbe condita quingentesimus trigessimus octauus. cum triginta longis nauibus, octo millibus militum, magnoque commeatu, Tarraconis portum tenuit, ex equato cum fratre imperio bellum administraturus. Ii consilio inter se communicato, exulum Saguntinorum rogatu, cum in patriam redire, & iniurias vindicare cuperent,

rent, Saguntum copias promouent. In ea vrbe Hispanorum obsides modico præsidio à Bostare præfecto tenebantur. Ea res Hispanorum plerasque ciuitates morabatur: ne defectionis ad Romanos culpam suorum capitibus luere. Acedux nobili loco Sagunti natus, ad Romanos propensus & insigni aliquo officio fatagens eorum promereri gratiam, præfecto clam conuento persuadet, vti obsides redderet Hispanis. nulla re magis quam fide hominum studia excitari. Id cum Bostari homini minime malo esset persuasum, obsides reducendi cura desumpta, Acedux monitis prius Romanis de media nocte profectus, in eorum induxit castra. sic per eos cognatis redditi, magnam Romanis ab iis populis beneuolentiã adiunxere. Orta ex his rebus lætitia ne Romanis sincera esset Cannensis cladis fama effecit. Peraçto enim Cn. Seruili consulu, noui Coss. creati, L. Æmilius ex nobilitate, è plebe nouo exemplo Terentius Varro, cuius importunitate tanta clades accepta est. Diuiso inter collegas imperio, ita vt alternis diebus imperarent, Æmilio detrectante certamen, Varro quo die imperii summa penes ipsum erat, configere non dubitauit, collega prosequente, magis ne defuisse reipublicæ videretur, quam quod consilium probaret. Ad Cannas Apuliæ urbem ad oram Superi maris, vbi vtraque castra erant, pugnatum. prælium atrox sæuumque fuit. quadraginta duo millia peditum è Romano exercitu strata sunt, equites tria millia. cecidit & Consul Æmilius, repudiato qui ad fugam offerebatur equo. capta duodecim millia capitum. Annulorum modios tres cum dimidio Mago Annibalis frater Carthaginem legatus de victoria detulit, ostentauitq; in senatu, ad indicium, quam multi ex nobilitate, quæ sola annulis aureis utebatur, in ea pugna perissent. Post eam cladem tanta Romæ repudatio fuit, vt iuuenes primarii de Italia deserenda deliberarent. Ne Romanum imperium penitus concideret, modica temporis mora factum est. omnino Italiæ vrbes non paucæ eius cladis fama ab amicitia populi Romani abductæ. multæ retentæ in Hispania ne foedus cum Romanis maturarent. nam noui motus ne existerent Scipionum prudentia factum est. Quo tempore eorum diligentia atque auctoritate Tarraco quidem in Hispania ædificiis atque mœnibus amplificata, coloniæ Romanæ iure donata est. Carthagine autem quamuis Hannone multum repugnante atq; in eo rerum momento nouo foedere vincendos Romanos in senatu disputante, placuit Annibalem atq; Asdrubalem pecunia, classe, & supplemento, prout ipsi expetierant iuuare. magnis deletibus Afrorum atque Numidarum millia quadraginta conscripta, atque ex eo numero continuo ad Asdrubalem, qua parte resp. magis laborabat, quatuor millia pedites missi, equites quingenti. Horum Duci Magoni cura data, nouas & maiores copias conscribendi in Hispania peditum, equitumque, ad retinendum extendendumque in ea prouincia imperium.

Asdrubal Italia aditu prohibetur. C A P. XV.

MOVEBANTVR in extrema Hispania Tartessii, ferox hominum genus Duce Galbo Afenaque vrbe capta, vbi Pœnorum commeatus & frumentum erat. Iis Asdrubal motibus compressis, litteris Carthagine missis, continuo in Italiam maturare iussus est Annibali fratri supplementum allaturus. Graue id mandatum fuit, multorumque animos in Hispania ad Romanos auertit. sed re necessaria compulsus, accepto successore Bomilcaris filio Himilcone, eoque prouinciæ arcana edocto, & rationem belli in posterum administrandi, magnis denuo delectibus tota prouincia habitis, & pecunia maxima in stipendium imperata, signa versus Iberum mouit, anno ab Vrbe condita quingentesimo trigesimo nono. Scipiones de patriæ periculo solliciti, si Asdrubal in Italiam peruenisset, ne à duobus exercitibus opprimeretur, ab Annibale toties victa, Punicæ ditionis oppidis impugnandis ab Italiæ cogitatione aut auertere penitus aut morari constituit. Urbem à propinquo fluuio Iberiam dictam tentare visum est. Asdrubal contra ea prius vrbe munita, alteram urbem Romanis addictam iis in locis circumfedit. Accurrunt Romani Duces, Iberiæ obsidione soluta. Castra castris collata primum, deinde leuibus vtrinque præliis dimicatum, postremo totius dimicationis signo proposito totis viribus & copiis concursum est. Non de Hispaniæ modo possessione, sed de Italiæ orbisque imperio certamen erat. Romani non secus ac si pro mœnibus ipsisque vrbis Romæ portis acriter pugnantes vicere hostes. Fugæ initium ab iis Hispanis factum, qui intimis sensibus à Pœnis auersi, inuiti eorum signa sequebantur, longinque expeditionis odio, & ad Romanos propensi. Pœni Afrique tanto præsidio nudati, cæsi profligatique sunt. equitatum elephantosq; fuga seruauit. Ipse Asdrubal cum paucis Carthaginē nouam euasit. Eares ex Scipionum litteris Romæ nunciata, non tam victoria læta fuit, quam Asdrubal

balis in Italiam impedito transitu. Grauis is annus Hispaniæ extitit, tum annonæ difficultate, tum pestis lue, quæ multos mortales extinxit, Himilcemque vxorem Annibalis & filium Castulone. sic affirmant. Ea causa Romani Patres ad Hispaniensem exercitum com meatum misere, mutuo à mercatoribus pecunia sumpta, propter inopiam ærarii, & quia aduersus Philippum Macedonem, qui icto cum Annibale fœdere, Italiam appetere nunciabatur, noua classis erat comparanda. Mago ea classe, quam in Italiam instructam habebat, Asdrubalis periculo nunciato, iussu senatus Carthagine soluens, atque in Hispaniam perlatus, sexaginta longas naues & duodecim millia milites intulit in portum Carthaginis nouæ, vbi Himilco naues eas etiam continebat, cum quibus paulo ante ipse venerat in Hispaniam. Magonis aduentu magna animorum commutatio facta est. Quibus victis, vix erat relictum vbi consisterent in Hispania, ii de reparando bello cogitare cœperunt. Illiturgim eorum antea ditionis, & nunc ciuium defectione alienatam ducunt, & trinis castris obsessam impugnant. Sexaginta hominum millia sub signis erant. Eo Scipiones cum sedecim millibus auxilio profecti, carris atque iumentis frumento onustis in urbem inuectis, Pœnos nequicquam prohibere conatos, ingenti prælio superarunt: non Asdrubalem modo, sed Magonem, Himilconemq; ex propriis castris ad certamē accurrentes. Cædes maior quam pro victorum numero fuit. tria millia equitum capta, mille equi in castris reperti, Elephanti quinque trucidati. Incibilim oppidum viginti septem passuum millibus à Der tusa ad Occasum Pœni Duces reparatis viribus expugnare parabant. Eo loco nouo prælio factò, tria millia è Punico exercitu cæsa sunt, pari captiuorum numero: cecidit Himilco Dux præstanti virtute, famaue. Incibilim hoc tempore quidam esse arbitrantur Chel uam oppidum in Valentini regni agro. Illiturgim Andugarum in Bætica, aut Lietor non procul Alcarasso vrbe. Sed regionum historiam conquirere non minus quam factorum difficile est, cæca vsque adeo Hispaniæ antiquitate. Hæc autumno contigerunt, quo ex Italia nuncius Romanorum lætitiâ vehementer auxit: Annibalem Capuæ delitiis per hyemem exercitu eneruato, dum Nolam finitimam obsidione premit, acie à M. Marcello victum atq; in Apuliam reiectum. Duo Hispanorum millia desertis Punicis castris ad Romanos transiisse, magnis pollicitationibus sollicitatos. In Sardinia Asdrubalem Caluum, qui cum valida classe ex Africa mittebatur in Italiam, & Arsicoræ viri inter insulanos principis promissis in spem venerat eius insulæ occupandæ, à T. Manlio Torquato ad Calarim prælio victum captumq; cæsis multis tum Pœnis tum Sardis, qui Pœnis militabant. Simul ex Sicilia cognitum Hieroni Regi defuncto Hieronymum eius nepotem diuersissimis moribus, Syracusis in regno successisse. Scipiones bona ex iis rebus spe pleni, certiq; arma reperere cum primū per anni tempus licuisset, copiis in hyberna dimissis, ipsi Tarracone hyemare constituunt. Quo tempore eius vrbis murum fuisse perfectum in veteri lapide incisæ litteræ declarabant, qui lapis Alfonsi Regis Castellæ eo nomine. XI. ætate extabat, vt eius historia testatur. Tarraco in planicie modica sita est, quæ in mollis atq; rotundi collis fastigio se pandit, mari subiecto ad lapidis iactum, ascensu ad Ortum arduo, propter continentes rupes. Ad Occasum planicies præcipua amœnitate & prouentu consternitur quadraginta amplius millibus passuum, olea, vite, malis medicis confita, pecore abundans & frumenti ferax, quantum ciuibus alendis sit satis: modico interfluente flumine vno ab vrbe milliari (Francolinum vulgo vocant, veteres Thulcim.) Eius aquæ ad macerandum linum & canabim, quarum rerum magnus prouentus est, magis quam ad potum aptæ sunt. vna enim aquæ dulcis penuria olim ea vrbs cum laboraret, post Scipiones, Romani opere Romano aquæ ductu magna altitudine exædificato, Gaia fluminis partem decem & sex passuum millibus in urbem deriuarant. Eo porro bellorum iniuria salutis anno ducentesimo sexagesimo sexto, corrupto, puteus auorum memoria effossus altissime, aquæ dulcis copiam suppeditat, ciuibus, qui nostra ætate septingentas circiter familias efficiunt, murorum vniuerso ambitu duarum millium non amplius capaci.

Pœni passim in Hispania caduntur. C A P. X V I.

50

5 4 0. **V**I x hyeme circumacta anni ab Vrbe condita quingentesimi quadragesimi, Mago & Asdrubal fratres magnum Hispanorum exercitum comparant, educuntq; tempestiue Carthagine, spe Vterioris Hispaniæ, quæ magna ex parte Romanorum facta erat, armis recuperandæ. His conatibus P. Scipio obuiam eundum iudicans, Ibero transmissio in Vectones penetrat: & ad Castrum Altum nobile oppidum, Amilcaris cæde Pœnis infaustum, castra ponit. vnde amissis duobus Romanorum millibus, qui à circumfusis vndique hostibus intercepti trucidatique erant, maioris cladis metu, copiis in pacata loca reductis,

in Vi-

in Victoriz monte (hichodie Mocia esse creditur, vltra Iberum aliquot millibus passuum ad mare) castra posuit muniuitque. Eo diuersis itineribus atq; animis tum Cneius auxilio cum omnibus copiis, tum Asdrubal Gisgonis filius ad impugnandū venerunt. Erat is paulo ante ex Africa missus cum quinque millibus militum supplementi causa, summo Carthagine loco natus, magnis opibus, Barchinos fratres cognatione attingens: eoq; cum copiarum parte, tertius bellum administrare per vicina Ibero loca cœperat. Erant vtraque castra vltra Iberum, modico interuallo distantia. P. Scipio speculatum progressus circumfusa hostium multitudine periculo proximus fratris superuētū seruatur, haud vllō maiore operæ pretio. Vtrosque Castulonis defectio in vltiorem Hispaniam auertit. Ea vrbs Carthaginis odio, grauiq; eius gentis imperio fessa, pulso Carthaginensi præsidio rebellarat aperte plures voto. Pœni ne mora cresceret malum, Illiturgim obsident, Castulonensis defectiois auctorem præcipuam vindicaturi supplicio. Cneius ad ferendam opem cum expedita legione profectus inter bina hostium castra magna cæde facta, in vrbs penetrat. sequenti mox & tertia luce eruptione facta, duo hostium millia cædat, capta tria millia, cum militaribus signis tredecim. Maiorem alii numerum ponunt, vitiatis, vt creditur, numeris Omnino Pœni obsidione soluta, rursus a Bigerra in Bastetanis, quam circumfidere parabant, hostium superuentu repulsi, ad Aurigim (hæc hodie Giennium est, aut Ariona) totius dimicationis aleam subeuntes denuo victi sunt, cum quatuor horis certamē sustinuisent. cæsa quinq; Pœnorum millia: capta tria: elephanti triginta confossi: relata signa militaria quinquaginta. Cneius suorum aliquanto numero amissus, & ipse fœmore hasta traiecto, lectica hostem persecutus, ad Mundam non alio quam antea euentu pugnavit. minor dimidio cædes fuit. hostem sylvæ montesque vicini texerunt. Liuius pugnam ad Aurigim postremo loco ponit, & ad Mundam Gneio vulnus inflictum ait. Nobis locorum sitis & aliorum scriptorum auctoritas potior fuit. Tot incommodis re Punica afflicta in Hispania quidem, nihil vt esse in calamitate residui videretur, Mago in Galliam mittitur Mœnicato & Ciuismaro, quos Regulos cum Annibale amicitiam iunxisse supra monstratum est, ad iungendas vires, ferendamque opem sollicitandis. Parent illi: nouem Gallorum millia nauibus Carthaginem nouam deduxere. In ea vrbe Asdrubal bello reparando intentus erat. Gneius successulatus, haud minori cura hyemem in Bætica consumpserat. Anni eius initio, qui fuit ab V. C. quingentesimus quadragesimus primus, productis vtrinque copiis in Bætica pugnatum est, eisdem quibus ante animis, maiori aliquanto cæde. octo millia è Punico exercitu occisa, ac ferme è Gallorum numero omnes. Duces etiam Mœnicatus & Ciuismarus, cū ostentandæ virtutis cupidi auidissime, & vt est gentis ingenium, magna alacritate pugnarent, fortiter occubuerunt. Secundum eam victoriam Saguntum vi expugnatum est à Romanis, sexto omnino anno ex quo in Pœnorum potestatem venerat. Exules Saguntini, qui cladi patriæ superfuerant, tandem restituti iu auitos lares sunt. Turdetum excisa susceptæ calamitatis princeps causa: eorum etiam agri Sagunto contributi: vt esset malorum aliqua compensatio. Ipsi Turdetani sub corona venditi doloris iniuriæque vindicta leuamen. Quo tempore ex Italia nunciabatur, Arpis Apuliæ vrbe, quæ post Cannensem cladem à Romanis defecerat, Q. Fabii virtute expugnata, Hispanos mille eius vrbis præsidarios milites magnis promissis inuitatos transisse ad Romanos. Ex ea re Patres Romæ de summa belli sperantes hostes euerti posse, Scipionibus per litteras mandant, vti proceres aliquot Hispanorum primo quoque tempore mittant in Italiam: per quos reliquos Hispanos ab Annibalis castris, hoc est, robur hostilis exercitus subducere cogitabant.

Nouum bellum excitatur in Africa. C A P. XVII.

PER idem tempus in Africa bellum hac occasione exarsit. Asdrubal Gisgonis filius, viro maturam filiam Sophonisbam reliquerat Carthagine. Huius quoniam eximia animi & corporis dotes erant, nuptias Syphax Numidarum Rex ambiens, cum Patres Asdrubalis parentis absentiam excusassent, quod res erat repulsam interpretatus bello iniuriam persequi cogitabat. Sedes regni Siga fuit exaduersum Malacæ posita in ora Africa, imperium Tingi atque Oceano ad Occasum, ad Ortum Carthaginensium ditione terminabat, Galæ tantum regno interiecto cum quo sæpe de finibus belli fortuna alternante certabat. Galæ Masinissa filius erat, præstanti indole iuuenis, & ad res maximas obundas corporis & animi virtute pari. In hunc Syphax primum arma vertere parabat, Pœnorum amicitia magis quam suis viribus propter ditionis angustias fretum, iniuriæ opportunum Pœnis gemino bello impeditus Italico atque Hispanico. Hæc cogitantem tres à

Scipionibus legati ex Hispania amplius inflammantur, ostendentes rem eum in primis gratam facturum Romano senatui: si fœdere factò iunctisque viribus nouo Carthaginem bello in Africa implicaret, futuram imparem, copiis in plures partes distractis. Eius beneficii memoriam perpetuam Patribus fore. Cum his Syphax legatis multis sermonibus consumptis ad Romanam amicitiam animum appulit: & cum didicisset, quam ipsi præ Romanis omnis disciplinæ militaris essent ignari, petiuit pro inita amicitia iure ut duobus ipsorum cum responso, vnde venerant, redeuntibus, tertius maneret in Africa, peditatu instituendo, qua parte militiæ disciplina per manus tradita Numidæ carebant. Datum expectanti Regi ut Q. Sertorium apud se ea lege retineret si factum Scipionibus ipsi probassent. Carthaginenses cognito Scipionum consilio, Galæ Regis confœderati opera aduersus Syphacis conatus uti decernunt. Belli Dux Masinissa creatus, tunc præstanti indole iuuenis, deinde Romana amicitia clarior, contractis continuo suis & Carthaginensium copiis, hosti obuiam procedens, primo prælio triginta hostium millia cæcidit. Mox fuga ad Maurus regni extremam urbem elapsus Syphacem, & viribus reparatis transitum in Hispaniam parantem, prælio altero victum fregit. Sunt qui Syphacem venisse, scribant, in Hispaniam, nimirum ut de ratione belli gerendi coram consilia cum Scipionibus communicaret, à Liuiò atq; Plutarcho prætermissum, quod mirum non est. Hæ res in Hispania nunciata, dolorem Romanis ut par erat, lætitiâ Asdrubali pepererunt singularem: rem Romanâ, quæ resurgere visa erat, denuo præcipitantem vrgere maiori studio visum est. Appetente iam hyeme, Celtiberi, quorum erat maxima opinio virtutis inter Hispanos, in sequentem annum magno stipendio à Pœnis inuitantur. Cognito Scipiones periculo, maioribus præmiis gentem pretio venalem in fide retinent. Additus honos ne distincto in agmine & separata castrorum parte, ut ante consueuerant, tenderent, sed sub iisdem signis atque Centurionibus confusi Romanis. Ex eo numero per speciem honoris re ut obsidum loco essent, & à castris Annibalis reliquos Hispanos abducerent, trecenti Romam missi eo initio anni sequentis mari peruenerunt, qui annus ab V. C. fuit quingentesimus quadragesimus secundus. Quo tempore quatuor naues ex vrbe cum comeatu & pecunia missæ, copias præsentis inopia leuarunt. & quod non minus iucundum accidit, Hannonem nunciarunt Carthagine missum, dum contractis Ligurum Gallorumque copiis contendit ad Annibalem, ut vires conferret, qui per eos dies Tarentum in deditiōnem acceperat, in Piceno agro cum copiis omnibus oppressum fuisse. In Sicilia autem Syracusas, quæ post Hieronis obitum cædemque Hieronymi successoris in factiones scissæ, in Pœnorum ditionem concesserant, à M. Marcello triennii obsidione fatigatas Merici Hispani, quingentorum militum præsidio urbem obtinentis tutatque diu, proditiōne expugnatas tandem atque diraptas, imperii Romani iugum suscepisse.

Scipiones in Hispania occiduntur. C A P. XVIII.

VICTRI Syphacis præmium Sophonisba fuit æmulo atq; rivali Masinissæ pacta coniux. Sic nouo necessitudinis vinculo & ferendæ focero opis necessitate impulsus, cum septem Afrorum millibus & Numidis equitibus septingentis eadem ætate in Carthaginis portum sese Masinissa intulit. Indibilis Mandonii frater in Suessetanis quinque hominum millia in armis habebat, mouere paratus cum primum admoneretur. Suessetanos quidam in Vasconibus ponunt, ea parte vbi Sanguessa ad flumen Aragonem est, quam olim Suesfam fuisse dictam veterum Regum diplomata indicio sunt. & à suum bonitate nuncupatam quidam coniiciunt: quod in Lacetanis finitimis sullæ pernae à præcipua nobilitate nostra etiam ætate celebrantur. Ergo tantis Pœni auxiliis confirmati copias Carthagine priores educunt Bæticam versus, bipartito exercitu. parti Asdrubal Barchinus præerat, reliquis Mago Masinissaque cum focero. Scipiones nouis ex Italia auxiliis aucti, & triginta Celtiberorum millibus confidentes, ex statiuis & ipsi mouent, certi 50 cum hoste toties fracto manus conferere. Cneius cum Celtiberis & legionum Romanarum parte tertia Asdrubalem sibi deposcit, castraque castris confert ad urbem Anatorgim, fluuio interfluente. Publius contra reliquos Pœnorum Duces mouet, ne Asdrubale victo fuga ipsi in saltus euaderent, sed quasi indagine cincti omnes vna perirent. Tantum fiducia ingerit sæpe continuata felicitas. Quod contra prorsus accidit. Asdrubalis arte, facili lingue commercio Celtiberi inducti Cneium deserere, conuulsis repente signis redire in patriam. & erat nunciatum, à parte Pœnis fauente armis correptis fortunas eorum diripi, qui in Romanis castris erant. Ea virium Cneius parte spoliatus, quia inferior hosti erat, cedere statuit. Quid enim temeritate in exitium certum rueret? Neq; est minori sæpe

sepe animi certamen vitare, quam accipere. Sapienter destinata, vis altior euertit: Publius Masinissæ equitatu pro castris adequitante fatigatus, veritusque si Indibilis accessisset, qui aduentare nunciabatur, vt par tantis copiis esset, anceps consilium cœpit. Indibili prodire obuiam statuit, Dux alioqui cautus iuxta ac fortis. Sed nimirum excæcantur animi cum instat exitium, vti tunc accidit. Relicto in castris modico præsidio de nocte cōtra Indibilem copias educit. Consilium hostes non latuit. Ventum iam erat in Sueffetanorum conspectum, & sub vesperam pugnari cœptum. Romanum meliora ferentem Masinissa aduentu suo turbauit primū, deinde vicit. multis passim ab equitatu stratis, Publioque Imperatore confosso, reliqui vertuntur in fugam. Magna cædes fuit in pugna fugæque Noctis beneficio pauci, pars ad vicina Romanorum præsidia, vrbemque Illiturgim, pars vnde exierant in castra redierunt. Pœni successu læti magnis itineribus festinantes cum Asdrubale Barchino copias iungunt. Horum aduentu permotus Cneius suspicari cœpit Publium fratrem fuisse cæsum. neque eo superstite & incolumi venturos in vna castra Pœnos, sibi pro certo persuadens. & inerat animo insolita mœstitia, tacitum infelicitis, vt sit, euentus præfagium. Eo amplius in cedendi consilio confirmatus, de nocte silentio castra mouet. Lucente die Pœni Romanos profectos esse cognoscunt. præmissi Numidæ equites carpando nouissimos necessario morantur iter, dum Pœnorum duces cum robore exercitus superueniunt. Cneius vbi præoccupatis metu animis neque cohortationes, neque preces, neque auctoritatem valere cernit, proximum collem capere vniuersos, atque eo signa inferre iubet, molli ascensu, nullaque materia erigendo vallo, ne fossam quidem ducere sinebat, soli natura in modum petrae durati. Clitellæ & sarcinæ pro vallo obiectæ. munimentum leue, aliquandiu hostes detinuit, virtutem atque industriam Romanorum rebus etiam perditis admirantes. Verum à Ducibus castigati increpitiq; in castra ferro irrumpunt. Pauci à multis circumuenti facile cæduntur. Cneius ipse occumbit, summi Ducis & strenui militis functus officio: qui tot annis Hispaniæ Præfectus fuerat, primusque inter Romanos Hispanorum fauorem, morum facilitate occuparat. pauci montibus syluisque tecti qua quenque metus aut spes agebat ad P. Scipionis castra perfugerunt (incolumem forte credebant) sed ea à T. Fonteio Legato modico tenebantur præsidio. Ad Staberum fluuium prope Illicim pugnatum est, quod hodie oppidum quibusdam L. orquinum esse creditur, non procul noua Carthagine. vulgo persuasum turrim Tarraconi prope obiectam Scipionum sepulchrū esse, omnino in ea duo signa è marmore male dolata atque informia visuntur, Scipionibus, sic prædicant, constituta, eo tantorum Ducum translatis cineribus: aut eximia prouinciales voluntate militesque Scipionum memoriæ id cenotaphium constituendum ad vrbem primariam, vbi sedes imperii erat, iudicarunt.

L. Martii virtute Pœnorum audacia repressa. C A P. XIX.

SCIPIONVM casus magnam rerum & animorum commutationem attulit: conculcassetque res Romana, ac penitus afflicta fuisset, ni eam L. Martii primum audacia, deinde P. Cor. Scipionis virtus sustentassent in præcipiti constitutam, & nouis iactatam ærumnis. Destituunt studia hominum, quibus fortuna aduersa est. Castulonenses primi, Romanis ad se confugientibus portas vrbis clauserunt. Illiturgitani etiam in vrbem admissos crudeliter peremerunt. Earum vrbium exemplo alia oppida defecisse dubium non est. tot vna malis consternatos Romanos, qui cum T. Fonteio legato in præsidio castrorum relictæ erant, & qui se eodem ex fuga recipere potuerunt, magnisque itineribus trans Iberum festinabant L. Martius Septimii filius eques Romanus, magno animo iuuenis, qui sub Cn. Scipione primipili Centurio, & Tribunus fuerat recreauit, validam manum, partim ex præsidiis, partim ex his quos à fuga retinuit, factam, ad reliquas copias adiungens. Incredibilis eius aduentu totius exercitus lætitia fuit: de Duce deligendo deliberatione suscepta, omnibus suffragiis prælatus Martius est, ipso T. Fonteio legato prætermisso, siue etiam concedente, ambitionem comprimentibus rebus aduersis. Verum ea militum alacritas breui formidine mutata est, Asdrubalem Ibero transmissis ad delendū Romani exercitus reliquias festinare, iamque adesse nunciabatur: proxime Magonem subsequi. Fortunæ iniquitatem nondum Romano sanguine exatiata: pars suos inter se commendare, testamentaque in procinctu nuncupare, si quibus ex eo discrimine euadere cōtigisset: pars vicem suam deplorare: Martii cohortationes non audire: attonitis similes herere, fixis in terram oculis, aut abditi per tentoria. Cum ad vallum appropinquante hoste signa Punica visa sunt. tum ex metu audacia orta, accensis milites animis, ad periculum omni ex parte correptis armis concurrunt, è castrisque erumpunt hosti obuiā. Pœnorum

securitas incuriaque ex re, ut fit, prospere gesta Romanis saluti fuit. Inopinata hostium audacia metu perculsi terga continuo verterunt. paucis in fuga cæsis Martius satis habens fuorum animos confirmasse, ac suspicatus insidias, signo receptui dato, milites reduxit in castra, multum quamuis indignantes, palamque edicentes, quoniam talis occasio ulciscendi hostis relinqueretur, sese etiam cum vellet Martius non esse pugnatos. Poeni contra Ducis consilium metum interpretati, nihilo maiori cura munire castra. Ea res Martium prouocauit, ut rursus fortunam tentare cuperet, noctu cogitans hostem securum opprimi posse: & necessitudo inerat, quæ ex ignavis sæpe facit audaces. Mago cum robore exercitus subsecutus, si se cum Asdrubale coniunxisset, spem salutis omnem sublatum iri prouidebat animo. Celeritate opus erat. militibus de ratione suscepti consilii pauca locutus, iussisque curare corpora, de quarta vigilia silentio copias eduxit, prodigio lætas, quod ex Martii concionantis capite flamma eluxerat. Erant Magonis copiarum sex tantum millibus passuum ab Asdrubalis castris interiecta nemorosa valle, in qua cohors Romana & equites aliquot ad omnes casus excubare iussi sunt. reliqui milites in Asdrubalis castra penetrant. nullæ enim vigiliæ erant, nulli pro portis milites excubabant. Hostium contemptus exitium attulit. In inermes somnoque sepultos magna cædes facta est: pauci fuga seruati. multo plures cum in vicina castra effugere conarentur, in insidias præcipitarunt. Captis Asdrubalis castris, eodem animorum vigore ad Magonem opprimendum festinatum est, ignarum cladis acceptæ. Exorto iam Sole in ea castra impetus factus, & pari felicitate momento temporis capta sunt, priusquam se hostes ad resistendum comparassent. Intra munitiones pugnatum acriter, donec recentis cædis signa in Romanorum scutis & gladiis visa fregerunt animos. Salute desperata se in fugam concitant, cæsi in utraque pugna hostes ad triginta septem millia. capti ferme duo millia. præda ingens fuit. Poenorum Duces fuga euaserunt. id vnum ad exequendam superiorem cladem Martio defuisse visum est. Tantæ victoriæ nuncii Romam peruenerunt eius anni initio, qui fuit ab Vrbe condita quingentesimus quadragesimus tertius, cum Martii litteris: quibus quod iniussa senatus se Proprætorem scripserat, Partibus offensionem commouit. Responsum tamen est, quod de frumento & vestibus postularet senatui curæ fore, adscribi Proprætorem non placuit. Quare, & Cl. Nerone post peractum bellum Capuanum destinato in Hispaniam cum supplemento peditum duodecim millium, equitum mille centumque, militum Martiique factum dissimulanter accusabant. naturæ vitio in timore benignissimus, post victoriam ingrati. Omnino ea re motus Annibal, de rerum summa desperare cœpit, cum tantum animorum habere Romanos cerneret, ut hoste pro portis excubante (nam venerat Tarento Annibal ad liberandam obsidione Capuam, & inde repulsus ad tertium ab Vrbe lapidem castra posuerat) supplementum decernerent, mitterentque in Hispaniam. Itaque ex senatus decreto, Nero Puteolis Tarraconem classe delatus, Martii & Fonteii copiis adiunctis, continuo in Bæticam mouit, contra Asdrubalem, qui in Ausetanis Illiturgim inter & Mentisam (Montegium esse creditur, aut Casorla) statiuam habebat, ad Lagides atros (saltus nomen id erat.) Eius loci faucibus à Nerone occupatis, Asdrubal fœderis simulatione, fangiendo retractandoque pacis condiciones, tantum temporis extraxit, dum noctu copiarum per ardua montium euaderent: Romano Imperatore sero se Punicis artibus circumuentum esse sentiente, pugnamque expetente, cuius discrimen Poeni cautiorens omni cura deuitabant.

Carthago noua à P. Cor. Scipione expugnata.

C A P. XX.

INTEREA Romæ de augendo Hispaniensi exercitu, Imperatoreque diligenter deliberatione suscepta, populi comitiis habitis quoniam ancipites atque suspensæ erant Patrum animi, cum nulli eum honorem ambirent ob magnitudinem periculi. P. Cor. Scipio L. Scipionis filius quatuor & viginti ferme natus annos prodiit candidatus, atque omnibus suffragiis Proconsul in Hispaniam missus est, nam Nero Proprætore officio vicario fungebatur atque extemporali. Inerat animi magnitudo supra ætatem, eamque iuuenibus de Italia deserenda deliberantibus post Cannensem cladem, gladio in conuentu districto, intentaque morte, nisi desisterent penitusque murarent, satis declarauit, integritatis opinionem, religionis siue studio siue simulatione, ex quo togam sumpsit, diligenter aluit, Iouis Capitolini templum frequentando, sacrisque procurandis, quoties aliquid siue publicæ rei siue priuatae aggressurus esset. Decem millia peditum, equites mille in supplementum dati, Syllanus Proprætor in Neronis locum. legatos sibi ipse legit

L. Sci-

L. Scipionem fratrem & C. Lælium, eum cuius ex consiliis ea omnia prodiiſſe creditum eſt, quæcunque à Scipione per omnem ætatem perfectæ glorioſe ſunt. & vulgò iactabatur, Lælium comœdiam ſcribere, Scipionem agere. His præſidiis atq; his copiis ad oſtia T. berina claſſe inſtructa, in Hſpaniam ſub finem anni appulſus, milite omni verborum honore collaudato, Martium in præcipuo honore apud ſe habuit, Quo anno M. Marcellus Ouans ob Syracuſas captas, in urbem ingreſſus eſt, Merico Hſpano, qui urbem præſidiumq; prodiderat, præeunte in corona aurea. Eius militibus Murgantii agri attributi merces operæ, olim Hſpanorum coloniæ, vt noſtri ſcriptores affirmant. Proximo anno, qui annus ab V. C. erat quingentiſimus quadrageſimus quartus, Scipio ad prima veris ſigna, ſuis & ſociorum copiis contractis, Iberum traicere, atque Carthaginem nouam impugnare decreuit. qua vrbe capta cogitabat, quoniam omnium munitiſſima erat, ex aduerſum Africæ portui commodiſſimo impoſita, in eamque Pœni Hſpaniæ obſides, ſubſidia belli, & militum impedimenta contulerant, ſperabatque Carthaginenſes de totius Hſpaniæ poſſeſſione depellere. Temerarius conatus non erat: nam modico præſidio tenebatur, & Pœnorum Duces procul habebant caſtra: Mago prope Gaditanos, Aſdrubal Giſgonis ad Anæ oſtium, alter Aſdrubal in Carpetanis curabat. Claſſis Romanæ Lælius cura ſuſcepta, modicis itineribus ſubſequi iuſſus eſt. Scipio cum omni exercitu, in quo vtriuſque gentis viginti quinque millia peditum erant, equites duo millia & quingenti, pedestri itinere Carthaginem die ſeptimo peruenit. Sequenti die vno tempore à mari & à terra urbem impugnare conſtituit. Mago contra præſidii præfectus armare ciues, loca omnia militibus firmare, bellicas machinas expedire, nulla re prætermiſſa, quæ ab ſtrenuo Duce poſſet deſiderari. Erat ea vrbs in cliuo poſita, portui imminens, inſula ad portus fauces obiecta (vti alio loco eſt dictum), quæ ſtationem tutiſſimam efficit, tribus ex partibus circumfuſo mari, aditu à terra verſus Septentrionem arduo, muroque ex ea parte altiſſimo. Romanos ea inuadentes parte repellunt Hſpani caſtris hoſtium oppoſiti. cedentibus facta eruptione iſtanta cerrime primum: deinde ſubſidiis è caſtris Romanorum ſubmiſſis, terga vertunt ipſi tanta ciuium trepidatione, verentium ne hoſtes permiſſi ſuis ingrederentur in urbem, vt mœnia deſenſoribus nudarentur. Rei bene gerendæ occasione animaduerſa milites ſcalis muro ſucceedere tentant, mari terraque. ſed cum male mulctarentur, telis & lapidibus è ſuperioriloco coniectis, eoq; maiore vi icctu certiori, receptui ſignum eſt datum. Erat ad Occaſum vrbi coniunctum æſtuarium, quod remittente maris æſtu cognitum ex piſcatoribus eſt, peruium pediti eſſe. Ea milites bifariam iuſſi murum inuadunt, oppidanisq; alteri agmini reſiſtentibus, reliqui in muros ſcandunt. Aderat Dux Romanus teſtis ſpectatorque ſingulorum virtutis & ignauitæ, magnum in pugna incitamentum. Superato muro & proxima porta occupata intra diem vnum vrbs venit in poteſtatem: arcem etiam dedente Magone Præfecto. Præda ingens fuit, tormenta bellica multa, ſigna militaria ſeptuaginta quatuor, naues onerariæ in portu ſexaginta tres, commeatu & iſtrumento nautico onuſtæ. Capti ad decem millia homines. ex his oppidani dimiſſi, ſuaque eis omnia conſeſa. Ea libertati gratia addita promerendis prouincialium voluntatibus. quin obſides ipſi pars ciuitatum legatis conſeſſi, pars honeſtiſſime habiti. in his filix Indibilis, & fratris Mandonii vxor, puellaq; inſigni forma, quam à militibus oblatam, ne videre quidem voluerat, cum ſuæ ætati intelligeret, non aliunde maius eſſe periculum, quam ab inhoneſtis voluptatibus. Cui deſponſa erat Celtiberorum Principi Luceio, Scipionis iuſſu conſeruata & reſtituta eſt, addito etiam auro ad dotem augendam, quod à puellæ parentibus fuerat oblatum, libertatis pretium. Qua ille benignitate victus, intra paucos dies cum mille & quadringentis equitibus veniens ad Scipionem, fortem & fidelem operam nauauit Romanis. Præmia militibus ad veram meritorum rationem exæquata, & duobus de corona murali cõtendentibus totius exercitus ſtudiis diuiſis in partes, vtrunq; eo honore dignum videri pronunciauit, coronaq; donauit. Lælio corona aurea & in ſacrificium triginta boues dati: miſſuſq; continuo Romam cum quinqueremi, in qua mago Præfectus & quindecim Pœnorum ſenatores vehebantur, nunciuſ de capta Carthagine. Urbis deinde aliquanto tempore muris reſectis, quibus partibus labefactati erant, præſidium impoſitum. His ita geſtis Scipio quidem ad generales ſociorum conuentus habendos Tarraconem rediit, ſub eiſdem anni exitum: Lælius autem dato Romæ ſenatu, quantum virium capta Carthagine acceſſiſſet, longa oratione diſſeruit. Ex captiuis quaſtione habita, cognitum quod M. Valerii Meſſalæ ex Sicilia litteris nunciatum erat, Maſiniſſam quinque in Africa Numidarum millia ſub ſignis habere, & Afrorum copias ſcribere, atque de repetenda Hſpania cogitare. Aſdrubalem Barchinum cum iis copiis & noua Hſpanorum manu ſenatus iuſſu in Italiam deſtinatum, ſubſidium Annibali. Magnum ea res populo metum atq;

senatui vniuerso curam ingessit: & per eos dies ad Herdoneam vrbe in Samnitibus non exigua clades erat accepta Cn. Fulvio Prætorē cū duodecim Tribunis numerosoq; exercitu cæso. quidam tredecim millia cecidisse affirmant, septem alii.

Asdrubal Barchinus à Scipione victus.

C A P. XXI.

IN Hispania magna conuersione rerum facta pleriq; ad Romanos inclinare cœperunt. Iedescus summo loco inter Hispanos, vxore & liberis receptis, quoniam inter obsides erant, Romanorum partes secutus est. Mandonius & Indibilis Celtiberorum Principes, nouæ proditiōis venia impetrata in gratiam recepti. Erant Asdrubalis Barchini castra ad Betulonem, quæ vrbs in Bætica fuisse creditur, quibus nunc locis Vbeda & Biatia sunt. 545. Eo Scipio cum primum per anni tempus licuit, eius qui ab V. C. fuit quingentesimus quadragesimus quintus, adiuncto Lælio. qui Roma redierat, Tarracone mouit. Asdrubal Scipionis aduentu cognito, atq; suorum viribus & Hispanorum voluntate diffusus, ne cū in tumultum copias traducit: cuius radices fluuius (Bætis vt creditur) circulo magnaq; ex parte sublucebat. Fastigium distinguebat gemina planicies. in inferiore subiectaque Numida, Afri, Baleares constituti. in superiore cum robore exercitus Dux ipse constitit. Scipionem neq; loci iniquitas neq; periculum deterruit, quin cū perterritō hoste, locoq; magis quam viribus confidente, manus conferret. Subeundi difficultas magna fuit, nullo hostium frustra cadente telo. In planiciem magno nisu vbi ventum est, cominus pugna conferta continuo hostes conuersi in superiorem tumuli partem sese receperunt. In eam diuisis copiis Scipio, quoniam difficiliore ascensu erat, flexo atq; adeo molliore cliuō, læua ipse, Lælius dextra euadentes, atque ab vtroq; ingruentes latere, hostes momento temporis fuderunt, neq; pugnam in cornua vertere valentes, nec ad collocandos in fronte elephantos satis spatii nacti. Ad octo hostium millia ceciderunt, capti decem millia pedites, equites duo millia. In his Massiua puer Masinissæ, qui nuper ex Africa vererat, nec prælio interfuit, ex sorore natus, vestibis equoq; donatus ad auunculum dimissus prælio peracto est. Asdrubal pecunia elephantisq; præmissis, cum copiarū parte non prius substitit, quam ad Pyreneum ventum esset: eodem Asdrubal Gisgonis & Mago cū venissent, communi consilio decretum: Asdrubalem quidem Gisgonis in Lusitaniam concedere, Masinissam cū tribus equitum millibus per Citeriorem Hispaniam vagari: pugnae vtrunq; necessitatem discrimenq; omni ratione vitare. Mago ad colligenda funditorum auxilia in Baleares dimissus. Barchino autem Asdrubali videri necessario in Italiam commigrandum, vt senatui morem gereret, & Hispanos milites, qui ad Scipionem respiciebant, longinquitate sanaret. Atque hæc Pœni. Scipio autem adulta ætate per Castulonensem saltum Tarraconem reuertit. vbi in 546. sequenti toto anno, qui fuit ab Vrbe condita quingentesimus quadragesimus sextus, Pœnorum viribus fractis, atq; republica moderanda occupatus substitisse videtur: neq; quidquam accidit ad memoriam illustrius, quam quod est ab Italia allatum. Ad Tarentum in tumultuaria pugna Marcellum Consulem cæsum ab Annibale, Collegam Crispinum fau- 40 ciatum, atq; ex vulnere obiisse. In locum Barchini Asdrubalis Hanno Carthagine missus in Hispaniam venit, anno ab Vrbe condita quingentesimo quadragesimo septimo, Mago- 547. ne ex itinere adiuncto, qui eatenus in Balearibus hæserat. In Celtiberis delectus habentem Hannonem missus à Scipione Syllanus cepit viuum, Magonem etiam superauit acie, cum ex aliis castris socio auxilio superuenisset. Scipio ea victoria nunciata Asdrubalem Gisgonis prope Gadeis castra habentem, sibi impugnandum sumpsit. Ille tot cladibus castigatus, ante Scipionis aduentum milites per vicinas vrbes & præsidia distribuit, quoniam dextris virtuteq; diffideret. Huius consilii Scipio certior effectus, ipse quidem retro conuertit iter: Lucius autem frater ad expugnandam Oringim vrbe missus in Melessum finibus (Plinius Oningim in Bætica, quibus locis Giennium nunc est, collocat) breui operæpretium fecit, capta atque direpta vrbe. Pœni omnes & trecenti ciues, qui portas venienti 50 clauserant, in seruitutem abducti. cæteris libertas suaque omnia restituta. & quia hyemis tempus appetebat, exercitu in hyberna dimisso, Lucius ipse Romam à fratre missus cum Hannone cæterisque nobilibus captiuis Patribus gesta nunciauit. Quo tempore ex Italia nunciatum est Asdrubalem Barchinum, qui in Gallia Alpiumque transitu omnia facilio- ra opinione erat expertus, in Piceno à L. Claudio Nerone & M. Liuiio Salinatore Coss. in Metauri fluminis transitu ingenti prælio victum ac cæsum fuisse, exequata Cannensī clade, siue Ducis cæde, siue occisorum numero. Nam quinquaginta sex millia ceciderunt, magna populi Romani lætitia, in eius pugnae euentu rerum bellicque summam verti confi- 50 derantium.

SEVENTI anno ab Vrbe condita quingentesimo quadragesimo octauo, Asdrubal al-
 ter, supremo adhibito conatu numerosum exercitum conflarat, nouo prouincialium
 delectu & veteribus copiis in vnum corpus collatis. castra in Betica ad Silpiam urbem po-
 suit, in quibus quinquaginta millia pedites, equites quatuor millia & quingenti erant, tan-
 tæ multitudini Scipionem haudquaquam parem fore arbitratus. Ille re cognita à Colca-
 Baticæ Regulo, qui partibus studebat, peditum tria millia, equites quingentos accepit.
 plures ex Hispanis adiungere verebatur, patris & patru exemplū pro documento habens,
 ita fidendum externis, vt propriis viribus amplius crederet. Cum his auxiliis & Romanis
 legionibus hosti obuiam profectus est. Leuia aliquot dies prælia fuere, deinde copiæ vtrin-
 que in aciem productæ, nullo operæ pretio, cum neutri pugnam inciperent. Erat vallis in-
 ter duas acies haud magno & difficili ascensu hanc vtrique si alteri transire tentarent ex-
 spectabant, quo æquiore loco pugnam committerent. Et cum neutri auderent, sub vespe-
 ram copiæ reducebantur in castra, Pœnorum prius, deinde Romanæ. Hoc consiliorum
 tenore dies aliquos extracti: donec Scipio suorum curatis corporibus summo mane in
 hostium castra impetum dat. Asdrubal re inopina commotus, equitatu præmissis aduer-
 sus Scipionis equites, qui primi castra tentarant, copias in pugnam eduxit. diu ab equiti-
 bus ancipiti pugna dimicatū: Scipioque suos in mediam aciem cū recepisset, vtroq; cor-
 nu explicato atque promotu, quæ ex Romanis legionibus constabant, priusquam mediæ
 acies iungerentur, hostium cornua, in quibus Baleares tyronesque Hispani erant loco
 mouit atque in fugam compulit. Nam virtute impares erant, & ieiuni ad pugnam proces-
 serant: cuius inirium de industria ad multam diem fuerat à Romanis extractum. Castra in
 quæ prius seruatis ordinibus, deinde etiam effusa fuga sese receperant, ne continuo cape-
 rentur, effusus repente imber effecit. Asdrubal sociorum inconstantiam veritus, ne quod
 nonnulli continuo fecerunt, cuncti ad Romanos transirent, sequenti nocte silentio motis
 castris, quantum extendere iter potuit, retro redire constituit. Scipio sequenti luce ho-
 stium fuga perspecta, equitatu præmissis, qui nouissimum agmen carperet, distineretque,
 legionum aduentu hostem penitus conturbauit. Magna cædes fuit, vixque septem millia
 ex tantis copiis cum Duce in tumulum præruptum naturaque loci munitissimum euase-
 runt. vbi Asdrubale Gadeis elapso, Scipioneq; cum copiarum parte Tarraconem profe-
 cto, cum reliquis copiis, à Syllano obsessi Pœni sunt. Erat inter Pœnos Masinissa relictus,
 qui puniceis rebus inclinatis penitus atque collapsis, ad fortunæ motum se mouere consti-
 tuens, clam de transiione ad Romanos, primum cum Syllano est collocutus. Hoc bellum
 veris initio gestum est: eoq; confecto Hispania omnis Pœnis adempta in Romanorum ius
 ditionemq; concessit, quartodecimo anno ex quo Annibal Saguntinos violarat, quinto
 vero ex quo Scipio Hispaniæ Proconsul erat factus.

Alia Scipionis gesta in Hispania. C A P. XXIII.

BELLO in Hispania magna ex parte profligato, Scipio de Africæ ipsiusque adeo Car-
 thaginis expugnatione cogitans, Masinissa primum in amicitiam accepto, deinde in
 Africam misso ad sollicitandos populares deducendosque ab amicitia Carthaginis, Sypha-
 cem ipse Regem Romanæ reip. conciliare parat. Missus in eam rem est C. Lælius in Afri-
 cam. Barbarus facturum se fœdus negare nisi Duce Rom. præsentem. Scipio profectus in
 Africam Sigam peruenit: hodie Aresgol esse putatur Malacæ obiecta, vti Plinius ait. Eo-
 dem Asdrubal erat studio Regem occupandi appulsus: magna Barbari gloria, cum duæ po-
 tentissimæ gentes, duosq; clarissimi Duces eius amicitiam magno licerent. In eadem Ro-
 manus Pœnusq; mensa cænarunt, quod mirere amplius, eodem in lecto cubuerunt. Re-
 gis id gratiæ voluntatiq; datum, vt de pace ageretur à Scipione impetratum non est, absq;
 conscientia Romani senatus excusante, nihil statui posse. Ergo pro quo venerat, Rege in
 partes tracto, in Hispaniam rediit. Eius reditu Illiturgis & Castulo, quæ vrbes conscientia
 facinoris dudum in Romanos concepti, magis quã spe defensionis in fide Pœnorum per-
 stabant, breui in Romanorum potestatem venerunt. Illiturgi excisa, Castulo est conserua-
 ta. nam minor culpa erat, & voluntaria deditio victorum animos flexerat. Deinde Martio
 aliis vrbibus subigendis ocupato, Carthagine P. Cor. Scipio patri patruoq; iusta funeris fa-
 cienda curauit. Plinius Scipionum rogum Illorci extitisse ait: quem Tader seu Bætis, vti
 alia exemplaria habent, Tugiensi exortus saltu refugit, non procul Carthagine, (Lorqui-
 num quidam putant, alii Lorcam.) In eo funere voluntariorum gladiatorum ludi editi. In

quibus Corbis & Orsua patruales de Ibae urbis principatu ex prouocatione dimicarunt. Valerius Maximus fratres fuisse ait. Conuenit Orsuae arate minoris peruicaciam morte mulctatam, minori miseratione quod viribus confusus adduci non potuit, ut verbis potius quam armis disceptaret. Multae interea urbes sese dedebant Martio. vni Astapae incolae venia desperata, quod incursionibus saepe Romanorum socios fatigarant, obstinatis animis obsidionem diu tolerarunt: demum reliquis in acie pugnaque trucidatis, qui in vrbe remanserant, foeminis & pueris, ut conuenerat, antea iugulatis, atque igne rebus in foro supposito, suis se gladiis peremerunt. haud minorem quam Saguntinorum siue obstinationem siue inconstantiam loci ignobilitas obscurauit. Huius urbis ruinae ad Singilim fluuium extant, non procul Astigi atque Antequera: vnde constitutum creditur, quod octo ab eo loco millibus hodie oppidum Estepae nomen habet. His rebus peractis Laelius & Martius Gadeis dimissi ad spem eius insulae in fide Poenorum perstantis, occupandae quorundam perfugarum proditione. sefellit eos spes, cum Magoni id periculum esset indicatum, Scipionem importuni morbi vis occupasset. Cuius fama, ut fit, variis hominum sermonibus aucta, Mandonius & Indibilis aperte a Romanis defecerunt. Delusos se ea spe dolebant, qua pulsis Poenis Hispaniae regnum sibi pollicebantur, vitio mortalitatis facile sperantes quod cupiebant factum. Octo praeterea Romanorum millia, qui ad Sucronem erant, postulatis importune stipendiis seditionem concitarunt. magna rerum erat turbatio. in spem Mago erectus rei Punicae restituendae in Hispania, datis ad senatum litteris valida auxilia mitti postulabat. Verum eae molitiones inanes extiterunt. Scipione e morbo recreato, seditionis ardor breui restinctus est: & magnorum motuum occasio sublata. Romani milites spe veniae, & stipendii pollicitatione Carthaginem nouam deducti, a Scipione castigari grauissima increpatione vniuersi sunt: supplicium penes auctores seditionis stetit. mox in Ilergetibus, vnius & alterius diei pugna hoste superato exutoque castris, Mandonius & Indibilis Duces & auctores defectionis facta deditio ad victoris voluntatem recepti sunt, gratia delicti facta, pecunia tantum in stipendium mulctari. Venerat Gadeis Masinissa cum Numidarum auxiliis ex Africa, nondum deficienti ad Romanos animo patefacto. Eo Scipio Martio cum copiarum parte praemisso proficisci parat. Cuius aduentu cognito Masinissa, per speciem finitimos agros populandi in continentem transmittens, conueniendi occulte Scipionem nactus facultatem, eam amicitiam sanciuit, quae ad vitae exitum steterit, & magno adiumento fuit Romanis ad euertendas opes Carthaginis, magnam ipsi gloriam paresque opes attulit. Mago senatus iussu rebus in Hispania desperatis, auro atque argento omni tum publico tum priuato in naues imposito Carthaginem abiit, tentatis Balearibus, nam ad Romanos defecerant: atque ex minori quam sine difficultate occupauit, duobus funditorum millibus praemissis in Africam. In ea insula praecipiti iam autumno cum hyemasset, urbem sibi cognominem fundasse quidam suspicantur. antiquiorem disputant alii, uti superius est demonstratum. Liceat nonnunquam in rebus tam vetustis hallucinari. Scipio Gadibus in fidem receptis, atque Italica prope Hispalim Romanorum municipio fundato, trium Augustorum patria Traiani, Hadriani, Theodosii, nondum Hispania in prouinciam redacta, quinto postquam venerat anno, decem nauibus Romam delatus est. senatu idem in aede Bellonae foris ciuitatem dato, quanta res in Hispania gestae essent, cum explicasset, magnam Patribus & vniuerso populo laetitiam commouit, ex quanto periculo euassissent Hispania subdita, quantum esset profectum verissime reputantibus. Triumphus datus non est, quoniam ad eam diem ex proconsulatu neminem triumphasse constabat.

Carthago a Scipione victa.

C A P. XXIII.

PROXIMIS comitiis Coss. creati Cornelius ipse Scipio & P. Licinius Crassus Pont. Max. Sicilia Scipioni designata collega concedente datum tamen ex petenti a senatu, ut si e republica futurum iudicaret in Africam inde traiceret, tametsi eam expeditionem Q. F. Maximus, longa oratione temerariam & plenam periculi fore disputarat. Fuit is annus ab V. C. quingentesimus quadragesimus nonus. quo anno Mago quidem e Balearibus soluens in Liguria Genuam euertit: a Laelio autem quem Scipio ex Sicilia praemisit in Africam, Poenorum agri igne ferroque & abacta praeda vastati. in Hispania Mandonius & Indibilis libertatis recuperandae studio siue regnandi ambitione, rebellandi consilium ceperunt, Belli initium non in Ilergetibus modo, vbi ipsi principatum obtinebant, sed etiam in Ausetanis, vbi Vique vrbs nunc sita est, & aliis finitimis locis factum, breuique in Sedetanis vt Liuius ait (Ceretanos malle qui post Ilergetes & Ausetanos ad Pyrenaei radices fusi sunt) triginta millia pedites, equites quatuor millia sub signis inuenti sunt. L. Cor. Lentulus & L. Manlius Acidinus Proconsules, quibus Scipio prouinciam tradiderat, obuiam Hispanis profecti

profecti eos collatis signis superarunt. Cæsi sunt ad tredecim millia hostium: reliqua mul-
 tudo in proxima sylvas euasit. Indibilis in acie occubuit: Mādonius Romanis deditus est
 ab Hispanis, eius morte rebellionis culpam expiare cupientibus. & Romani Proconsules
 denunciant pacis nullam conditionem fore, nisi auctoribus seditionis in eorum potesta-
 tem redactis. Proximus annus, qui fuit ab V. C. quingentesimus quinquagesimus, Hispanis
 quidem quietus fuit tot annorum bellis exhaustis, Carthagini autem funestus, cum Scipio
 numerosa classe validoque exercitu traiecisset in Africam, Quæstore M. Catone qui Cen-
 forinus est dictus. Masinissa continuo cum Numidarum manu ad Romanorum castra de-
 fertis Pœnis palam venit. Nam Syphax Sophonisbæ amore corruptus, cuius nuptias tādū
 affectarat, eas affectatus totus se ad Pœnos contulerat. Belli initio Hanno Amilcaris filius
 superatus acie cæsusq; est. Asdrubal & Syphax, Vticæ obfidionem vt solueret, Scipionem
 compulerunt. nihil præterea magnæ rei in Africa gestum eo anno est. Principio anni se-
 quentis, Cn. Seruilio Capione & C. Seruilio Gemino Coss. nouis ex Italia Scipio auxiliis
 confirmatus in aciem contra Asdrubalem & Syphacem progressus Pœnos aliquot præliis
 victos binis etiam castris exiit. In his præliis quadraginta hominum millia è Pœnorum
 exercitu cæsa sunt. In eo numero Celtiberi quatuor millia Syphacis stipendia facientes.
 Massæfulorum prouincia quæ à Syphace fuerat intercepta. Masinissæ restituta est. Syphax
 ipse cum in paterno auitoq; regno bellum repararet, Lælii Masinissæq; ductu acie victus &
 captus est. Regia Syphacis Cyrtha in potestatem redacta. Sophonisbam ibidem repertam
 Masinissa continuo nuptiis in procinctu factis cum vxorē adoptasset, vt sunt in libidinem
 effusi Mauri, castigatus eam obcausam à Scipione verbis, eam veneno sustulit. Rebus de-
 speratis Annibal decreto senatus in Africam reuocatur. Mago qui cum classe veniebat, ex
 veteri vulnere, quod in Insubribus acceperat, & maris iactatione in Sardinia obiit. Anniba-
 lis aduentu de pace agi cœptum. Res videlicet Pœnorum in præceps ibant. Ab vtroq; Du-
 ce coram defœderis conditionibus disputatum. quoniam non conueniebant ad arma de-
 nuo est vctum. Pœni supremo prælio superati. Annibal tota Africa cedere compulsus lon-
 ginq; fuga se textit. Victis pax his tandem conditionibus data est. Vt Carthago suis legi-
 bus viueret. Ditionem iis, quibus ante bellum finibus terminaret. Perfugas, fugitiuos, ca-
 ptiuos redderet. Naues rostratas ne haberent præter triremes, neq; domitos elephantos.
 Decem millia argenti talēta quinquaginta pensionibus repræsentarent. Hæc vt rata essent,
 quinquaginta Scipioni obsides eius arbitrato delectos darent principes ciuitatis. Graues
 conditiones erant, sed necessariae tantis vno tempore cladibus rep. oppressa & à Saguntinis
 capti Carthaginenses quidam Romam delati venerant, cum auro & argento, quod ad so-
 licitandum Hispaniæ quietem ex Africa attulerant. Laudata Saguntinorum in senatu con-
 stantia captiuus retentis pecunia remissa est cultæ fidei pretium. Hæc anno ab V. C. quin-
 gentesimo quinquagesimo secundo, perfecta sunt. Quo anno in proximum euoluto Cor-
 nelius Scipio omnium Imperatorum clarissimus Coss. Cn. Cornelio Lentulo. & P. Ælio
 Pato Romæ de victa Carthagine triumphauit. Decessit prope Romam Syphax: quæ vna
 res ad triumphum splendorem augendum defuit, si tantus paulo ante Rex captiuus in Pom-
 pa duceretur. Ipsi Scipioni Africani cognomen est factum, meritis debita gratia. Sic secun-
 dum bellum Punicum finem habuit septimodecimo anno ex quo erat inchoatum, omni-
 am grauissimum & maxime anceps, eoq; lætissimo omnium exitu terminatum.

M. Portius Cato Consul venit in Hispaniam. C A P. XXV.

Vos in Scipionis locum in Hispaniam missos fuisse Proconsules monstratum est. Ex
 his L. Cor. Lentulus ad spem triumphum, domitis Hispanis Romam rediit, sexto post-
 quam venerat anno. Postmodum C. Cor. Cetegus venit in Hispaniam, L. Manlio Acidino
 collega, ex æquataque potestate duorum, anno ab Vrbe condita quingentesimo quin-
 quagesimo quarto. Quo tempore Hispani suæ gentis conditionem miserati, seroque intel-
 ligentes bella, quæ gessissent Romani, non pro ipsorum libertate suscepta esse, sed studio
 imperii amplificandi: coniuratione inter se inita rebellantes in Ceretanis, Cetegi celeritate
 eorū conatibus præoccupatis ad quindecim millia cæsi sunt in acie. Sequenti anno Cete-
 go & Acidino imperio abrogato successores dati Cor. Lætilius, L. Stertinius. quo & tertio
 anno nihil accidit illustrius in Hispania, quā duas in ea ex vna præfecturas factas iussu sena-
 tus: Vterioris Lusitaniæ & Beticæ finibus terminatæ, atq; Citerioris, cuius ambitu reliqua
 Hispania continebatur. ii fines non semel commutati in vtraque præfectura, cognoscenda
 antequam nonnullam pariunt difficultatem. In Græcia bellum eadem tempestate cū Phl-
 ippo Macedone gerebatur: & M. Portius Cato Sardiniam cum imperio gubernabat. Itaq;
 anno ab Vrbe condita quingentesimo quinquagesimo septimo, Cn. Sempronio Tuditano

558.

559.

Hispania Citerior sorte destinata, M. Heluius Vltior. Contra hos quia militi veterano missione concessa infirmiores & iniuriæ opportuni fore visi sunt, Hispani variis in locis rebellarunt, Ducibus præcipuis Colca, atq; Luscinone. Cum rebellium parte in Citeriori Hispania ausus Tuditanus dimicare insignem cladem accepit, exercitu cæso, atq; ipsomet fauciato & paucis post diebus extincto, ex animi dolore vulneris acerbitate aucta. Eares Romæ nunciata non maiorem molestiam quam curam attulit, formidantibus bellū quod maiori mole renascebatur in Hispania, non scissis studiis vt antea pro Romanis & aduersus Romanos, neq; ad pellendum finibus Pœnum, sed pro veteri belli gloria, pro recuperanda libertate ab vniuersa gente susceptum. Missi in Hispaniam, Anno ab Vrbe condita quingentesimo quinquagesimo octauo, in Vltiorē quidem Q. Fab. Buteo, in Citeriorem autem Q. Minutius Thermus circumagente se anno ex prouincia discesserunt haud magno operæ pretio, nisi quod à Thermo scribunt duodecim Hispanorum millia ad Turbam urbem acie fuisse trucidata. Crescente itaq; cura Patribus Coss. L. Valerius Flaccus & M. Porcius Cato. Hispaniam Citeriorem sortiri iussi sunt anno ab Vrbe condita quingentesimo quinquagesimo nono. quod ad eam diem non erat factum, vt Consul in Hispaniam iret, magnitudo periculi suasit. Sortitione facta, Cato missus est cum duabus legionibus & viginti quinque longis nauibus. & nihilominus P. Manlius Citeriorem Hispaniam ex prætura obtinere iussus est, Vltiorem App. Cl. Nero. Hoc apparatu Cato velis è portu Lunæ explicatis emensus sinum Gallicum, oram Hispaniæ tenuit: & ad Rhodopem circumacta classe, ex eius urbis arce pulso Hispanorū præsidio, Emporias delatus, ab eius ciuitatis parte benigne acceptus est, quam Græci è Phœcia profecti obtinebant, & Massiliensium exemplo in fide Romanorum perstabant. Erat enim ea vrbs in duas partes diuisa muro interiecto. marī vicinam angustiores spacis, ac vix ambitu quadringentos colligētem passus Græcorum natio obtinebat è Phœcia profecta, vt est antea demonstratum. latiore habitabant Hispani tria millia circulo colligentem. Qua parte muro dirempti inter se erant vnica porta patebat ad alteros: custode per diem adhibito, noctu non minus tertia Græcorum ciuium parte in muris excubabat: iisque tantum eo die ad maritima commercia prodire datum erat. Qua disciplinæ diligentia in tanta paucitate libertatem ad Catonis aduentum illibatam conseruarant. Hispani Romanum imperium respuebant, confisi numero atque finitimis auxiliis. Cato positis ad eam urbem castris redemptores Romam dimisit, naues Massiliam: illos quoniam maturæ segetes erant alendo ex præda milite, classem vt spes redditus adempta nisi parta victoria milites acueret. Eodem tempore Heluius ex Vltiori Hispania venit in castra, Celciberis magno numero, qui obuiam prodierant, trucidatis ex itinere, atq; Illiturgi, quoniā nouo conatu defecerat, denuo expugnata iis copiis, quas præsidii causa à successore acceperat. Venerunt præterea à Bellistage Ilergetum Regulo legati auxilia postulatam aduersus iniurias, quæ ab Hispanis rebellibus inferebatur. vastatis agris egre à mœnibus vim hostium arceri. fore nisi mature opem ipse tulisset pereundum omnibus, nulla grauiori culpa quam fidei erga Romanos susceptæ culteq; constanter quinque militum millia depellendo periculo fore satis. Adhæc Cato cupere se quidem ait sociis opitulari. quæ ad amicitiam populi Romani attulissent ea ab hoste eripi molestum esse. cæterum copiarum paucitate prohiberi ne continuo subsidio esset, ne distractis viribus, hostibus esset impar: qui ad obsidionem Emporitæ soluendam magno numero festinare iamq; affore nunciabantur. fidei præmia debere eos euentu belli expectare. tantisper modo sustentarent hostiumq; iniurias aut arcerent, aut tolerarent, maioribus commodis sanaturi parta victoria Legati eo responso accepto vehementius rē vrgere. ad genua Consulis prouolui. infimis precibus postulare, ne in tanto discrimine rerum suarum à sociis deferantur. Tum Cato ancipiti cura distractus, cum intelligeret plerunq; bellorum euentus magis opinione hominum niti quam vera virtute constare, ad artes conuersus die postero auxilia polleretur legatis. tertia copiarum parte in naues continuo imposita auxilii mittēdi simulatione, eos in patriam præcurrere iubet, & suorum animos auxiliorum spe confirmare. Copiæ tamen post legatorum profectionem reuocata. nam Hispanorum exercitus in conspectum venerat, & quam primum prælio decernere Consul habebat in animo. De tertia vigilia copiis omnibus è castris eductis, atq; in alteram castrorum hostilium partem traductis, tres dubia luce cohortes, hostiū vallo succedere iussē. Barbari repentiā re commoti, miratq; primum à tergo apparere Romanos, qui pridie à fronte erant: deinde quoniam pro portis valloq; ad pugnam hostis prouocabat irritati, nullo ordine nec certo imperio portis omnibus erumpunt, cedentesq; Romanos, nam vt ita facerent moniti erant, dispalati insequuntur. Eum impetum Romani certe equites non ferentes in fugam versi legiones etiam conturbantur primū, deinde acie restituta promotaq;, hostiumq; audacia compref-

compressa est, & æquo vtrinque discrimine pugnatum aliquandiu. Erat legio in subsidiis a Catone ad omnes casus parata. ex hac cohortes aliquot in pugnam recentes inductæ hostem in fronte atq; in sinistro cornu laborantem loco pepulerunt. in fugam versum atq; in castra compulsum castris exuerunt. In pugna fugaq; supra quadraginta Hispanorum milia cecidisse scribunt. Sequenti nocte modica quiete sumpta milites ad vastandos Emporitanorum agros educti sunt. consternati eo incommodo ciues extemplo defensione desperata portas Victori aperuerunt, parati imperata facere, rebusq; omnibus iuuare. in fidem acceptis Cato omnem humanitatem exhibuit, præsidio militari impune dimisso, quod ex finitimis constabat. Secundum eam victoriam vniuersa citra Iberum prouincia pacata

¹⁰ Tarraconem itum est. Bergistani Cos. profectioem ad occasionem tumultuandi vertentes pari celeritate ad officium retracti sunt. Venia tunc data denuo rebellantibus negata est. vniuersi sub corona in seruitutem venditi. crudele exemplum: sed cæteri eo supplicio castigati retenti a defectione sunt. Bergua nunc oppidum est nõ procul Osca, quidam malunt Bergistanos tenuisse loca, vbi nunc Turulis seu Tiruela est. Turdetani in extrema Hispania & ipsi rebellantes a Manlio Citerioris Hispaniæ Prætoris suis & Neronis copiis superati erant. in hos quoniam aduocatis Celtiberis bellum reparare dicebantur, priusquam Consul moueret, oppida omnia citra Iberum armis exuere constituit. Continenda in officio gente remedium vniuersos conturbauit. quidam etiam manus sibi attulerunt, quibus arma vita potiora erant. Sic mutato decreto ad certam diem dimissis in omnes partes legatis cunctæ eo tractu vrbes mœnibus nudatæ sunt. Consilio patrato, atq; Turdetanorum

²⁰ motibus interea a Manlio compressis, pari celeritate Seguntiam contendit, vbi Celtiberorum impedimenta erant. ingens præda. Verum eius vrbis capiendæ spe, contra quam cogitabat, deiectus Numantiam abiit auctore Gellio. Cis Iberum demum Ceretanis, Ausetanis, & Suesetanis in fidem ex deditioe acceptis, Lacetanos regionis longinquitate & locorum asperitate confisos armaq; mouentes domuit. Pacata per hunc modum Hispania vniuersa, auctoq; vectigali publico, ex argenti ferriq; secturis, nouis creatis missisque in eas prouincias Prætoribus, Cos. Romam reuocatus, splendido triumpho in vrbem inuectus est. in quo argenti infecti signatiq; centum quadraginta octo millia pondo, Oscensis auri, quingenta quadraginta illata: Militi septuageni æris in capita donati, equiti triplicatum.

³⁰ Domitæ Hispaniæ Cato per totam vitam patrociniũ suscepit: eamque ab iniuria tutatus est. Et est magnis viris innatum, qualis Cato fuit, post contentioem in supplices & prostratos humanitatem suscipere, iram misericordia mutare. Ex voto ad Emporias nuncupato adiculam Romæ post biennium extruxit, vt in Liuii codicibus est, & Victor affirmat de regionibus Vrbs Romæ, Victoriæ Virgini. monetæ expressa Catonis facie magno effossæ numero, Victoriæ victrici habent.

Varij Prætores veniunt in Hispaniam.

CAP. XXVI.

PLVRES deinceps Prætores missi sunt in Hispaniam. quorum nomina adscribere visum est, temporibus neque accurate designatis, neque penitus prætermisiss. Primi in hoc numero sunt Sex. Digitius murali corona clarus in expugnatione nouæ Carthaginis, P. Cornelius Scipio Nalica, Cn. Scipionis filius decreto senatus Roman. sanctissimus. Post hos vno tempore vtranque Hispaniam rexerunt. M. Fuluius Nobilior, cuius virtute Tole-

⁴⁰ tum in ditionem Romanorum venit & C. Flaminius. Huic prorogato imperio, Fulvio successor est datus L. Æmilius Paulus, is cui ob deuictum Regem Perseum, Macedonico cognomen postea fuit. Deinde L. Plautius Hypsæus in Citeriorem Hispaniam Prætor venit. in Vltiorem L. Bebio Diuite in Liguribus cæso, cui ea prouincia designata fuerat, P. Iunius Brutus, Horum decurso prætura tempore L. Manlius Acidinus Citeriorem Hispaniam, Vltiorem C. Catinius toto biennio tenuerunt. Acidino atq; Catino successores dati sunt C. Calphurnius Piso, & L. Quinctius Crispinus anno ab Vrbe condita quingentesimo sexagesimo octauo. quo anno Catinius nondum successore in prouinciam delato, in

⁵⁰ Lusitania occubuit prælio ad Astam facto. Piso & Calphurnius biennio prouincia gesta, de victis Lusitanis Celtiberisque Romæ triumpharunt. Successores dati A. Terentius Varro Citerioris, Vltioris Sempronius Longus. Secundum hos P. Manlius Vltioris Hispaniæ, qui Consul M. Catone eandem prouinciam ex prætura gubernarat. Citerioris Q. Fuluius Flaccus. Ab hoc Celtiberi in Carpetanis insigni prælio victi sunt ad Eburam oppidum, quod Ptolomæo oppidum Libora est. Biennium hi Hispaniam rexerunt. quo tempore exacto, noui Prætores Roma missi, Vltioris Hispaniæ L. Posthumius Albinus, Citerioris Ti. Sempronius Gracchus Gracchorum pater ex Cornelia filia Scipionis maioris, alteriusque Cornelie matri cognominis: quæ nupsit Scipioni minori, cui etiam Africani nomen fuit. Sempronii Prætoris virtute multæ in Hispania victoriæ partæ,

Numantiaq; primum in Romanum fœdus venit. Præterea quibus nunc locis Agreda supra Soriam cernitur, Gracchuris, quæ antea Illureis vocabatur, de Gracchi nomine sic dicta est. instauravit nimirum illam, aut ædificiis & regionum amplitudine illustravit. Moneta Gracchuris percussio nomine in Hispania visuntur: Albini multo maiori numero. Anno ab Vrbe condita quingentesimo septuagesimo septimo M. Titinius Curuus Citerioris Hispaniæ Prætor fuit, Vltioris Q. Fonteius. Hi tribus annis res in prouincia gesserunt: quarto qui Prætores venerint non satis constat: tamen Ap. Claudium Centhonem scribunt victis Celtiberis ouationem Romæ meruisse anno quingentesimo octogesimo. annum quidam ex hoc numero demunt. Omnino per idem tempus Hispaniæ Prætores fuerunt Vltioris quidem Seruilius Cæpio, Citerioris autem Furius Philo. Successere M. Macienus & Cn. Febius Buteo. Verum Buteone in itinere ex iactatione maris Massiliæ defuncto, iussu senatus inter Prætores priores sortitione facta Furius in prouincia permansit Citerioris Hispaniæ pro defuncto Buteone vicarius. Annus quingentesimus octogesimus secundus Prætores Hispaniæ dedit Citeriori M. Iunium, Vltiori Sp. Lucretium. Eo anno circumactis vtriusq; Hispaniæ præfectura in vnum collata, atq; L. Canuleio demandata est. Hoc priusquam in prouinciam iret, iudice ab Hispanorum legatis quidam è prioribus Prætoribus repetundarum postulati, absoluti iudicio sunt more suscepto, vt in cæteros ferri Romani Patres sibi matuo parcerent, qua inuidia passim flagrabant. Id modo leniendis prouincialium animis datum, ne frumentum venderetur à magistratu Romano pretii æstimatione facta: neu vicefimam, vectigalis genus redimere cogerentur Hispani ex Prætoris voluntate. Additum ne publicani vectigalia licerent: redigendæ è vectigalibus pecuniæ oppidis cura potestasq; esset. Noua legatione impetratum etiam est, vt ex militibus Romanis & matribus Hispanis stupro geniti, quos Hybridæ vulgus vocabat, & feruorum conditione erant, agris donarentur. Si quos ex ea multitudine hominum amplius quatuor millium, Canuleius Prætor manumittendos iudicaret, eos Carteiam deduceret coloniæ iure & nomine addito. Sic ea ciuitas prima Romanorum colonia in Hispania fuit, Carteiaque ex eo Libertinorum colonia dicta est. Canuleo successor M. Marcellus anno ab Vrbe condita quingentesimo octogesimo quinto Cordubam fundauit urbem in Bætica nobilem, magnorum ingeniorum matrem. Strabo à M. Marcello Cordubam fundatam ait. quod dictum de hoc tempore interpretari commodius arbitror, quam cum post aliquot annos Cos. Hispaniam repetiit. Silius Annibalis ætate Cordubæ mentionem facit. quod si verum est, ex eo M. Marcellus eam laudem tulit, quod eam urbem ædificiorum elegantia & maiestate exornatam municipii iure donauit. coniecturæ neq; certæ neq; prorsus inanes. Successit Fonteius Balbus. Et rursus Hispania in duas præturas tributa, Cn. Fuluius & C. Licinius Nerua. Quo tempore Iudas Machabæus Iudæorum Dux clarissimus in amicitiam venit populi Romani, armis in Asiam prolatis ingenti gloria parata sed & auctis immensum vectigalibus potentissimi secturis in Hispania auri & argenti, vt fama ferebat, occupatis. Atque hoc loco Prætorum Hispaniæ enumeratio resistat, si vltius procedatur molesta magis quam ex vsu futura. Neq; vero licet corruptis antiquis monumentis historiam continuare locis omnibus perpetuam: ne conuenit quidem rerum Romanarum adipe amplius annales Hispaniæ infercire quasi per se graciles, rimas explere rudere.

HISTORIÆ DE REBUS

HISPANIÆ, LIBER

TERTIVS.

Belli Numantini initium, C A P. I.

610.



ELLV M diuturnum atque atrox anno ab Vrbe condita sexcentesimo primo in Hispania natum est, præliorum euentu varium, successu Hispanis tadem exitiale. Horum motuum principes auctores Numantini extiterunt, imperii videlicet grauitate fessi & Romanorum iniuriis exacerbati. Numantia formido ac terror populi Rom. gloria decusque Hispaniæ in extremo Celtiberiæ ad Septentrionem angulo sita fuit atq; in Areuacis quatuor amplius millibus supra Soriam ad Garai pontem, non procul ab ortu Durii fluminis eius vrbs vestigia monstrantur. Natura loci quam arte munitior

50

munitior fuit in cliuo posita molli quidem ascensu, aditu tamen difficili, quod tribus ex
 partibus montibus ambiatur, vno tantum latere in planiciem desinente, prouentu ferti-
 lem & secundum Teram amnem duodecim millia, quousque in Durium influit proten-
 sam. Lacæ demonum instituto nec mœnibus munita erat, nec turribus circumuallata, &
 ad gregum pascendorum commoditatem regionibus aliquanto latior, quam vt perpetuo
 muro includi posset arce tantum munita erat, vnde laceffenti hosti repugnare soliti erant:
 in eamque fortunas omnes in belli discrimine conferre: ciuium numero modico, vnde
 quatuor pugnantium millia prodibant in aciem (alii hunc numerum duplicatum ponunt)
 genere vitæ & omnium rerum patientia durati. multum audaciæ ad bella suscipienda in-
 erat, multum prudentiæ bellis administrandis. Iunxerat Sempronius Gracchus, quo tem-
 pore res gessit in Citeriore Hispania, cum Numantinis fœdus, his legibus. Oppida & arces
 ne ædificantur, neu muniuntur absque conscientia Romani senatus. Vectigal penditor
 quibus oppidis & quantum esset imperatum. Castra Romana sequuntur, quoties essent
 ad signa vocati. Erat præterea in Areuacis (Appianus in extrema Celtiberia inter Belos
 collocat, fortassis quibus nunc locis Vxama sita est) Segeda vrbs quadraginta stadiorum
 ambitu. Hæc vrbs atque eius exemplo Tithii finitimi nouorum motuum cupiditate cum
 finitimis populis fœdus inire, mœniaque instaurare nihilq; eorum prætermittere, quæ ad
 propulsandum bellum fore ex vsu iudicarent. Veritum à Romano senatu in opere progredi
 cum esset, & tributa ex fœdere imperata, iussuq; Romana castra sequi, quorum ætas
 idonea erat ad induenda arma: aliam ex alia neccentes moræ causam facere recusarunt.
 Hinc belli eius prima occasio extitit, quo Numantia implicata est Segedæ vicina, & cum
 illa armis fœdereq; contra Romanos sociata. Nam Romani ne prima negligendo malum
 serperet, continuo arma expedienda fore iudicârunt. Erat eodem tempore in Lusitania na-
 tum Romanis bellum cum Cessarone, qui restituendæ pristinæ libertatis curam susceperat
 vniuersæ prouinciæ voluntate, Africani cuiusdam vicarius atque successor: qui non ita
 pridem contra Romanos rebellarat, & in expugnatione cuiusdam vrbs ictu lapidis fuerat
 occisus. Hi motus Romæ nunciati magnam curam iniecerunt Patribus atque ita vt L.
 Mummius Vterioris Hispaniæ Prætor destinatus, in Citeriorem Hispaniam propter in-
 domitos Celtiberorum animos, cum exercitu Consulari Consulem alterum amandandum
 iudicarent: atq; insolita festinatione Consules, qui sub finem Decembris creati, atq; dimi-
 diato Martio magistratum inire consuissent, nouo exemplo iusserunt, quod in morem ab
 hoc initio deinceps abiit, ipsis Ianuarii Kalendis Consulatum auspiciari. Itaque Q. Fuluius
 Nobilior Consul in Hispaniam destinatur adiuncto valido supplemento militari. Segeda-
 ni contra minime ignari tantum belli apparatus ad eorum perniciem comparari, vrbs
 munitioni, cum nondum perfecta esset, diffisi, filios & vxores apud Areuaces deposuerunt.
 ipsi se ad bellum compararunt Caro copiarum Duce creato, qui magnum in re militari
 usum habebat. Is operæ pretii faciendi & sancientiæ auctoritatis à præclaro initio cupidi-
 tate ex Consulibus Copiis, quæ triginta millium numerum efficiebant, insidijs in transitu po-
 sitis sex millia cecidit, cæteros in fugam compulit, quos dum auidius insequitur à Roma-
 norum equitatu, qui in postremo veniebat agmine, non minori suorum numero trucidato
 occisus est. Accidit hoc prælium quarto Kalendas Septembris, quo die Romani Vulcanalia
 celebrabant, tanta vtriusq; exercitus siue formidine, siue calamitate, vt vtriq; à pugna
 nisi necessario temperarent deinceps. Eadem Areuaces nocte Numantiæ, quo frequentes
 conuenerunt, nam vicinis locis prælium erat commissum, in Cari locum Haracum & Leu-
 conem substituerunt. Numantinis priuatim Copiis Lintheo cum potestate præfectus.
 Consul castra tertio post cõflictum die ad quartum ab vrbe Numantia lapidè posita sunt.
 in his decem Elephantri erant & quingenti Numidæ equites à Masinissa recens ex Africa
 auxilio missi. Ex Consulibus prouocatione prælio commissio Celtiberi primum, cum in ipso
 ardore pugne laxatis Romanorum ordinibus Elephantri essent inducti, noua re commotis
 atq; perterritis, tum hominibus, tum equis, in fugam versi atq; in urbem cõpulti sunt. Ro-
 manos insequentes atq; Consul hortatu conantes in vrbs munitione euadere Elephan-
 tus perturbauit magno lapide comminuto capite, vique doloris, vt sit, in furorem actus.
 Nam tam ipse, tum reliqui eius exemplo Elephantri in suos conuersi, vt est anceps hoc ge-
 nus animalium, ordines dissiparunt, obuiosque prostrauerunt. Ea res Numantinos prouo-
 cavit, vt denuo eruptione facta vrgerent Romanos, qui quatuor millibus suorum occisis
 in castra compulsi sunt. ex Celtiberis duo hominum millia in vtroque conflictu cecide-
 runt. Ad Axeniam eius tractus Emporium, quam urbem Consul secundum id prælium ten-
 tant. non minore nec ignominia nec clade repulsus est. his rebus renunciatis atq; perspe-
 ctis Oculis vrbs, in quâ Romani, pecuniam, impedimeta & bellica instrumenta cõtulerant.

Celtiberis se adiunxit. Nam plerunque fides ex fortuna pendet, & blanda ac sæpe fallax libertatis spes multorum animos capit. Ea re Consul territus veritusq; vt hoc exemplum ad alias vrbes pertineret, munitis prope Numantiam castris copias in Hybernis continuit. Annonæ angustia atque frigoris vi maxima, multos fames & cæli inclementia consumpsit. Atque hæc in Citeriori Hispania. in Vltiori vero à Mummio Prætorè per idem tempus pugnatum vario euentu, exitu tandem optimo. Nam in prima pugna, cum Lusitanos victos & terga vertentes auidius nulloq; ordine sequerentur Romani, Cæsarom confirmatis suorum animis in hostes conuersus victoriam extorsit è manibus decem Romanorum millia trucidata, castraq; vtraq; expugnata, tum sua quibus exuti fuerant, tum hostium quos extrema pugna superarunt. capta spolia Romanorum virtutis ostendendæ causa à Lusitanis per vniuersam ferme Hispaniam circumlata. Hos Mummio aliquanto tempore suorum animis confirmatis, quos ad quinque millia locis munitis continuerat, pompam circumducentes de hoste superato, & futuri securos repente impetu factò cæcidit, in ea pugna complura signa eorum quæ erant amissa recepta sunt. In Cæsarom locum (nam forte in eo conflictu periit) Canthonus suffectus, ad Cuneos qui siti erant in ea Bætica parte, vbi Niebla cernitur, cum Cunistorgim vrbe, quæ in fide Romanorum erat suæ ditionis fecisset, ad fretum Gaditanum progressus est. vnde exercitus parte in Africam abeunte, cui præ animorum fastu Hispaniæ fines angusti erant, reliqui Lusitani à Mummio Prætorè, qui aucto suorum numero nouem millia militum sub signa contraxerat, aliquot præliis fatigati cæsiq; ac tandem noua eius gentis manu cæsa, ne vno quidem superstite, qui tristem nuncium princeps deferret in patriam, ad officium demum reuocarunt animos.

602. Pro his rebus Mummio sequenti anno qui annus ab Vrbe condita fuit sexcentessimus secundus Romæ triumphus decretus est. In Fuluii locum eius calamitate nunciata M. Claudius Marcellus Consul missus est cum valido supplemento peditum octo milliū, equitum quingentorum. Vltior Hispania M. Atilio Prætorè commendata. Marcellus cum omnibus copiis in Hispaniam appulsus primo quoq; tempore Ocilim vrbe impugnandam sibi sumpsit, vt cuius noxa præcipua extiterat, princeps pænas daret. conseruata tamen est deditio mature facta, tametsi admisisse videbatur, vt extrema inferrentur patereturque mala. obsides tantum imperati, & triginta talentorum auri multa indicta. Prope erat vrbs Nertobriga, atq; quantum ex Ptolemæi descriptionibus suspicari licet non procul Turia-
30 fone atq; Bilbili. Inde legati ad Consulem de deditioe missi sunt. centum tantum equites imperati primum: deinde quoniam ex ea vrbe quidam postremum Romanorum agmen atq; impedimenta latronum more inuaserant, haudquaquam à Consule excusatione recepta quasi priuata fecissent auctoritate, centum obsidibus sub corona venditis, vrbs ipsa obsidione cinctâ atq; impugnata est. Missi denuo de pace legati Lupi exuias in hasta gentis instituto præferentes. Debere eum siue superior noxa communis fuisset siue priuata, illato damno esse contentum. Satis iam pænarum datum, agris vastatis, ædificiis incensis, ciuium suorum vendita libertate. Miserorum animos salutis desperatione, amplius irritandos non esse: quæ vires aduersus victores sæpe suppeditare consuevit: neque minima animalcula perire inulta. Consul vllam Nertobrigis priuatim pacis conditionem fore negat, nisi Are-
40 uacibus, Belis, Tithiis, vnde initium extiterat rebellandi, eodem fœdere comprehensis. Non recusabant gentes illæ pacisci, modo Gracchi id contingeret fœdere reuocato. Consulem ad ea, quæ petebantur propensum, socii atq; confœderati dehortati sunt, iniquum fore prædicantes, qui toties defecissent, & magnas clades intulissent tum Romanis tū præcipue finitimis Hispanis, qui in populi Romani fide essent, cum iis antiquum fœdus instaurari. Consulis animo cura in vtranq; partem suspensò atq; distracto, quodam induciarum genere factò, vtriq; eo concedente legatos Romam miserunt, vt quasi in re præsentè Patres statuerent atq; decernerent, vtrum ex vsu fore iudicarent populi Romani. Peruenerat in-
50 terea Fuluius Nobilior Romam: quo eius gentis perfidiam atque iniurias commemorante in senatu, re infecta legati iussi sunt, in Hispaniam redire, atq; à Marcello Consule responsum expectare. Ea denunciatione facta, qua haud obscure belli denuntiatio continebatur, de supplemento Hispaniensis exercitus actum totius Hispaniæ perdomandæ destinata voluntate. Ex omnibus ergo legionibus euocati quoniam respondere sponte recusabant eam militiam formidantes, nouo exemplo fortibus deligi ex omni copia placuit, qui necessario irent in Hispaniam.

P. Cor. Scipio legatus venit in Hispaniam.

C A P. II.

INTEREA M. Atilius in diuersa Hispaniæ parte Lusitanis male multatis in ditionem ple-
rasq; redegerat ex deditioe ciuitates, anno sequenti appetente: quo Consul L. Licinius
Lucul-

Lucullus Citeriorem Hispaniam sortito suscepit administrandam, Vltiorē ex prætura
 Serg. Galba. P. Cor. Scipio Minor cui excisæ Carthaginis laus seruabatur, legatus venit in
 Hispaniam viginti quatuor natus annos, cupidus nauandi operam reip. in eo bello, à quo
 cæteri milites abhorrebant maxime. Sunt qui scribant Lucullo in Hispaniam appulso Sci-
 pionem traiecisse in Africam, ab eo ad Masinissam missum, vt pro iure veteris amicitia E-
 lephantos submitti impetraret. Nobis M. Ciceronis auctoritas potior sit, Manlio Consule
 id demum factum fuisse affirmantis. Gracchorum is sororem connubio iunctam habuit,
 neptim Scipionis Africani ex Cornelia eius filia, fueratque à Scipionis filio in filium ado-
 ptatus. Paulum Æmilium natura patrem habuit Scipionis Africani leuirum nulla prætere-
 10 cum Scipionum familia communione sanguinis. Æmiliani cognomen à patre tulit. Cete-
 rum dum Luculli aduentus expectatur, Marcellus confecti eius belli laudem affectans co-
 pias ex Hybernis quam primum reuocat. Nertobriga quinq; Arcuacum cum millibus in-
 tra urbem admissis Consulibus conatus occupat. Numantia arma corripit. In hanc urbem
 Marcellus, quoniam belli caput habebatur, arma expedienda primum fore arbitratus ad
 quintum lapidem castra ponit. Verum cum à Lintheuone agi de pace cœptum esset Nu-
 mantiorum Duce, ea tandem lege à Marcello fœdus est factum si Numantini Belos, Ti-
 thios, & Arcuaces desererēt. Eo destitutos præsidio sperabat breui in potestatem esse ven-
 20 turos. Inanem eam spem non fuisse rerum euentus probauit. continuo ii populi deditio ne
 facta in fidem accepti sunt obsidibus datis atq; talentis sexcentis, vt Strabo auctor est. Lu-
 cullus in prouinciam appulso Celtiberorum bello pacato, nocendi cupidus certusq; in
 Carpetanos profectus, inde traiecto Tago in Vaccæis Cauciam urbem impugnare consti-
 tuit, iis locis sitam vbi nunc Coca oppidum situm est, vindex vt videri voluit Carpetano-
 rum quos à Cauciensibus violatos esse accusabat. fames auri agebat præcipitem tenui in-
 ter Romanos censu, dirum in Præfectis & Ducibus malum. Ii inuito cum Consule certa-
 mine, cum in urbem repulsi essent, deditio facta in fidem accepti sunt. obsides imperati,
 atq; equites auxiliares, præterea centum argenti talenta. Huius fœderis simulatione expe-
 tente Consule præsidium Romanorum in urbem admissum. à quibus, vt conuenerat, ad
 tubæ signum ciues calamitosi nullo discrimine neque sexus neque ætatis oppressi incogi-
 30 tantes cæsi que sunt, perfidia plusquam Punica, barbara inhumanitas. Finitimi populi hoc
 immanitatis exemplo cautiore, neque mœnibus confisi, neque Romanorum fidei cre-
 dentes in syluas rupibus horridas & inaccessos montes se, suos, suaque contulerunt, igne
 corruptis quæ comportari non poterant. Lucullus quem inopia auarum, auaritia crude-
 lem efficiebat, eius prædæ spe depulsus, ad Intercatiam penetrauit. Erat ea vrbs medio cir-
 citer itinere sita, quo Vallisoleto Asturiam itur. Positis iuxta castris ciues ad deditio-
 40 nitati, an ea fide responderunt recipere deditios & supplices vellet, qua Cauciensis pau-
 lo ante: Hoc responso Consul irritatus acie pro castris explicata obsessos ad pugnam inui-
 tabat, quam illi omni ratione deuitare præiudicatum habebant mœnibus & munitione at-
 que commeatu, quem in multos dies parauerant (tametsi præter urbanam multitudinem
 ex vicinis locis in eam urbem, confugerant pedites equitesq; magno numero) certi liber-
 50 tatem tueri. Leuia modo prælia fuere euentu haud memorabili. Illud est ad memoriam
 insigne: Hispanum quendam Regulum vasto corpore & viribus magnis singulari à Sci-
 pione certamine superatum fuisse: cum quo identidem pro castris ad pugnam prouocan-
 te nullus Romanorum ausus fuerat manus cōserere. Annonæ angustia maxime laboraba-
 tur in castris, famemque vulgo milites frumento hordeoque cocto, & nonnulla venatio-
 ne tolerabant. salis inopia grauius premebantur. His rebus & ex aquarum subtilitate, vt in
 regione montana, plerisque milites dysenteria cœperat fatigare. Vna expugnandæ vrbs
 spes animos sustentabat. Itaque comportata materia bellicæ machinæ perfectæ erant, qui-
 bus quassati muri parte magna prostrata, milites in urbem conantur euadere. Primus Sci-
 pio per stragem lapidum & rudera fastigium occupauit: eoq; merito pro concione postea
 60 laudatus & murali corona donatus est. tametsi egregia oppidanorum virtute repulsi Ro-
 mani atq; vrbs aditu prohibiti sunt, non paucis præ festinatione in vicina palude suffoca-
 tis. Muri pars collapsa sequenti nocte obsessorum diligentia instaurata est, coactusque esset
 Consul re infecta ab obsidione discedere, ni fames obsessorum animos ad deditio-
 70 nē impulisset. Actū ergo de fœdere interprete atq; annitente Scipione, cui maior quam Consuli
 fides est habita. Pacis conditiones moderatæ fuerunt. Decem millia sagorum, certus iu-
 mentorum numerus & obsides imperati, pecuniæ videlicet nec copia, nec cupiditate: cum
 Montani homines agrorum cultu & pascendo pecore vitam sustentarent. Motis ex ea vr-
 be castris Palentiaq; frustra tentata Consulem ad fretum vsque Gaditanum peruenisse ex
 Plinii testimonio nonnulli suspicantur, portentosa magnitudinis Polypi caput oblatum

Lucullo is in locis fuisse affirmantis, inde in Lusitaniam populabundum irrupisse. Atque hæc Lucullus. Sergius vero Galba, cui ex prætura Vltiorem Hispaniam obuennisse est demonstratum, in Bætica res gerebat aduersus Lusitanos, qui populi Romani socios directionibus fatigabant. Iis cum militem longo itinere fatigatum obicere non dubitasset, magna clade accepta, & septem suorum millibus amissis, fuga ipse cū reliquis copiis Carmonam euasit, vt Appianus est auctor. nos Carmonam esse arbitramur urbem ea ætate totius prouinciæ longe firmissimam, quæ prope Caneos sita erat. vbi Prætor reparatis collectisq; vndiq; viribus hyemasse continuo fertur, indeque ignominie delende cupiditate in Lusitaniam irrupisse, eiusque prouinciæ agros atq; oppida omni iniuria vexasse. Ad quem cum Lusitanorum legati de pace venissent humanissimis verbis & oratione, cuius erat egregius artifex, & in præcipuis suæ ætatis oratoribus à Cicerone numeratur, gentis defectione excusata: fatalem necessitatem, regionis sterilitatem sepe tumultuandi occasionem afferre: proinde suis denunciarent, se in animo habere agros ad habitandum colendumq; genti tribuere multo commodiores, vnde vitam sine maleficio & finitimum iniuria perpetuo deinceps propagarent. Dies dicta, quo die tripartito ad eum venirent. illi haudquam in benevolentia simulatione fraudē subesse rati homines minime mali, imperata cum fecissent, armis exuti atq; ad vnum cæsi sunt. Præde pars militi concessa, pars à Præto-
re retenta, vnde Romanorum ditissimus euasisse creditur.

Viriati bellum. C A P. III.

OMNINO hac Galbæ immanitate irritatis prouincialium animis magis quam territis Viriati bellum natum est: vt sunt alia ex aliis mala nexa aptaq; & calamitatis finem alterius initium excipit illo plerunque grauius. sane Viriati bellum totis quatuordecim annis vario euentu Romanorum potentiam fatigauit. Natione quidem Lusitanus fuit loco humili, nam pascendis initio gregibus operam dedit, militia bonus, cuius rudimenta posuerat publicis itineribus obfidendis cum peculiari latronum manu. Vnde cum multi ad eum confluerent, qua cum in ære alieno essent aut alioqui flagitiis infames: qua belli malis fatigati, more militum armauit, in signa turmasq; distribuit. iusto propemodum exercitu conflato finitimos ac Romanorum præsertim socios, qua parte Anas influit in mare, fatigare cœperat. Hunc M. Vettilius, qui anno ab Vrbe condita sexcentesimo quarto, Galbæ successor est datus, sibi exterminandum sumpsit. Viriatus contra pugnae discrimen vitare & ad fretum Gaditanum locis natura munitis se tenere, vbi cum obsessus à Præto-
re famis malo cœpisset laborare, missis ad Vettilium legatis tentata cōcordie spes, si modo agri concederentur ad habitandum Viriati militibus, pollicentibus in populi Romani futuros potestate. Eam voluntatem, cum Prætor se æquum eorum postularis præberet, Viriati oratione retractarunt disputantis quanto cum periculo credituri essent Romanis salutem libertatemq; in quibus hominum nihil esset præter speciem & humanæ lingue sonū. Quod si nulla exempla extarent Galbæ immanitatem documento esse debere, ne blandis Prætoris Romani verbis inducerentur in fraudem se potius Ducem sequerentur, suisq; auspiciis bellum administrarent. Consilio cunctis probato atq; Romanis pugnae simulatione deceptis, obiecto in prima acie equitatu primum in vicinas sylvas pedites euasere: deinde cuncti Tribolam urbem peruenerunt, quo Viriatus bellum transferre cogitabat. Prope eam urbem Romani in insidias præcipitantes ad quatuor millia cum Vettilio ipso cæsi sunt, reliqui cum ex fuga Tartessum tenuissent, & Celtiberorum auxiliis confirmati denuo certaminis aleam subiissent vniuersi in pugna ceciderunt. in Vettilii locum Plaucius Prætor in Hispaniam Vltiorem venit anno ab Vrbe condita sexcentesimo quinto. Qui Viriati cum in conspectum venisset Turdetanie Carpetanieque agros populantis, eo fugam simulante quatuor Romanorum millia insequendi studio longius prouecta, circumuenta cæsaque sunt. Prætor abolende magis infamie cupidine quam victorie spe hostis vestigia secutus ad Veneris montem, quo ille transmissis Tago se receperat, non minori accepta clade, nec minori suorum numero amisso in fuga præsidium ponere compulsus est. atque ita vt media ætate virtuti diffusis urbibus munitis non secus atq; in Hibernis copias contineret, maiore mœnium quam virtutis fiducia. Hęc pugna in Lusitania propeq; Eboram commissa putatur, argumento sepulchri, quod in ea hodie vrbe extat hac inscriptione.

L. SILO SABINVS. BELLO. CONTRA. VIRIATVM. IN. EBOR. PROV. LVSIT. AGRO. MVLTI TVDINE. TELOR. CONFOSVS. AD. C. PLAVT. PRÆT. DELATVS. HVMERIS. MIL. H. SEP. E. PEC. MEA. M. F. I. IN. QVO. MEMIN. VELIM. MECVM. NEC. SERV. NEC. LIB. INSERI. SI. SECVS. FIET. VELIM. OSSVA. QVORVMCVNQ. SEPVLCR. MEO. ERVI. SI. PATRIA. LIBERA. ERIT.

Hęc inscriptio omnium antiquissima est earum, quæ hoc tempore Romanorum in Hispania extant. Dum hæc in prouinciâ geruntur, Galba Romæ reus postulatus violatæ Lusitanis fidei, vnde in ea mala constabat fuisse præcipitatum, accusationem euasit, quamuis L. Scribonio Libone tribuno plebis & M. Catone vrgentibus, pecuniæ præsidio tutus, quod sibi certissimum in Hispania parauerat aduersus eam tempestatem. Claudius Vnimanus ab Vrbe condita anno sexcentesimo sexto, Prætor contra Viriatum missus in Hispaniam ab eo victus cæsusque est, exercitu magna ex parte capto. fasces & magistratus insignia in Lusitanæ montibus constituta trophæi instar, tanta deinceps Romanorum consternatione, Hispanorum audacia, vt trecenti Lusitani non dubitarent cum mille Romanis dimicare, & plures quam pro numero trucidarent. Accidit præterea vt à pedite vno plures Romani equites fugarentur attoniti & pauidi, quod ex ipsorum numero vnus equo traiecto ipsius equitis caput momento amputasset. sequenti anno ab Vrbe condita sexcentesimo septimo C. Nigidius in demortui locum missus nihilo meliori euentu cum Viriato ad Viseum urbem pugnavit, vbi sepulchrum L. Æmilii in ea pugna occisi scribunt extare. Fuit is annus non tam rebus Hispaniæ insignis quam P. Cornelii Scipionis consulatu, & Carthagine penitus excisa, vnde illi Africani nomen, quod ab auo poterat hæreditarium habere. Per hæc tempora C. Lælius, cum qui Romæ sapiens est cognominatus Ciceronis testimonio, venisse in Hispaniam constat, primumque Romanorum Viriati ferociam comprimere cœpisse nimirum bellicam virtutem ex multarum rerum vsu collecta prudentiâ subleuando illustriorem effecit. Omnino ab Vrbe condita anno sexcentesimo nono Q. Fabius Maximus Æmilianus Scipionis frater germanus adepto consulatu missus est contra Viriatum, Ex senatusconsulto alterum Consulem proficisci in Hispaniam necesse erat, de eius belli euentu suspensis Patrum populique animis. Et quoniam veterani militis copia non erat, tyronum atque sociorum latini nominis delectu habito, quindecim millia pedites, equites duo millia in prouinciâ vecti Orsonam, vti Appianus ait, peruenerunt, eam quæ in Bætica hodie Ossuna vulgari lingua dicitur. vbi exercendo milite aliquantum temporis datum. Gadibus, quæ insula non procul ea vrbe iacet, Herculi à Consule sacrificia instaurata, vota; pro victoria nuncupata. Viriatus contra belli apparatu, quod in eius perniciem meditabantur Romani, perspecto, neque eodem proficisci dubitauit: & primo aduentu Romani exercitus lignatores cæcidit, trucidatis etiam militibus qui ad eorû præsidium vna missi erant. Deinde Consuli Gadibus reuerso in castra, tametsi Viriatus ad prælium prouocabat lacessebatque, tumultuario tantum certamine experiri placuit quantum virtutis in suis esset quantum in hoste: vniuersæ pugnæ necessitatem omni ratione vitare, dum mora suorum animos à terrore confirmaret, hostemque vinci posse monstraret. Demum vniuersæ pugnæ copia facta Viriatus superatus acie atq; in fugam compulsus est. Romanorum copiæ autumnò iam in hyemem præcipitante Cordubam in hiberna deductæ. Viriatus autem locis natura munitis se tenere, & quoniam militum corpora durata habebat, omnem cæli & aeris iniuriam perferre. Areuacés, Belos, & Tithios ad bellum sollicitare pro communi salute, pro patriæ libertate, quæ pridem sua virtute renascens, ni mature ipsi vires sociarent, in periculum rursus vocabatur. Ab hoc initio his populis ad rebellandum inductis, Numantinum bellum denuo exarsit, vt suo loco commemorabimus, Viriati rebus prius explicatis. Vna cum Fabio Æmiliano, cuius auspiciis hæc in Hispania gesta sunt, L. Hostilius Mancinus tenuit consulatum. Hunc Consulem venisse etiam in Hispaniam atq; Calæcos prælio superasse Anconitani inscriptiones declarant. cui auctori quantafides habenda sit aliorum iudicium esto: à nonnullis sane eruditis viris fabularum artifex egregius, & insignis mendaciorum consarcinator fuisse putatur.

2 *Cæcilii Metelli gesta in Hispania.*

C A P. IIII.

SEQUENTI anno, qui ab Vrbe condita fuit sexcentessimus decimus, duobus Consulibus Ser. Sulpitio Galba, & L. Aurelio Cotta de Hispaniæ prouincia, quam diuisis Patrum studiis sibi vterque deposcebat contendentibus: Scipio in senatu rogatus sententiam, neutrum è republica videri respondit, alter inquiens nihil habet, alteri nihil est satis. æque malam in imperio iudicabat scilicet inopiam atque auariciam. illa iniuriæ necessitatem propemodum affert: hæc certam nocendi voluntatem. Iraque Popilius Prætor missus est, cui Plinius scribit Viriatum (nempe prælio aliquo insigni victum) vrbes tradidisse, quæ in eius erant potestate. Post Popilium Q. Cæcilius Metellus, cui à deuicta Macedonia Macedonici cognomen fuit, Consul creatus anno ab Vrbe condita sexcentesimo vndecimo venit in Citeriorem Hispaniam ad cõprimendos Celtiberorum motus, qui Viriati diligentia &

606.

607.

609.

610.

611.

612.

hortatu cœperant excitari. Quinius quidam cum Viriato ipso bellum gessit: an à Consulæ Legatus, an Romæ Prætor destinatus incertum. Sane a Viriato, quem ad Veneris montem prope Eboram in Lusitania acie superarat, maior: accepta clade, cum hostis vires reparasset repulsus est, atque autumnii tempore quasi in hibernis copias intra Cordubam continere coactus: hostis iniurię opportunis tum fociis tum Romanis, qui in urbium vicinarum præsiidiis relictis erant. Metellus vero Celtiberis ad officium pertractis, nam Areuaces vicisse Plinius est auctor, in sequentem annum, qui fuit ab V. C. sexcentisimus duodecimus, imperio prorogato in Citeriori Hispania res gessit. Q. Fabius Seruilianus Fabii Æmiliani ex adoptione frater, in Hispaniam vltiorem Consul venit contra Viriatum valido supplemento adiuncto, in quo decem & octo millia pedites erant, equites mille quingenti: à Micipsa Masinissæ filio elephantis decem ex Africa auxilio missi, equites trecenti. Has copias Viriatus in Bætica ex sylvarum latebris inopinato progressus in castra compulsas, neque noctu neque per diem incursionibus fatigare atque laceßere destitit, donec Vticam peruentum est Bæticiæ urbem. Eo loco annonæ angustia compulsus suorum manum in Lusitaniam reduxit. Consul ea molestia liber, in Cuneis Curionem & Apuleium prædonum Duces deuicit & nonnullas iis in locis vrbes, quæ validis à Viriato præsiidiis tenebantur, vi cepit. Captiui quingenti interfecti, quorum erat noxa maior: ceteri sub corona venditi, ad decem capitum millia. Dum ea ætate in Vltiori Hispania hæc gesta sunt, haud leue decus Metellus quæsiuit Celtiberis domitis, captisque in eo tractu Contrebia, Veso-briga, atque Cento-briga urbibus. quo tempore ad Contrebiam fallendi studio per diuersa loca nullo vt videbatur ordine neque militari disciplina cum exercitum versaret, identidem mutatis castris, caussam à Centurione rogatus vocem illam emisit, magno & prudenti Duce dignam: Tunicam, inquit, comburerem si meorum consiliorum esse cōsciam putarem. Hæc recte. illud perperam. ante Q. Pompeii aduentum in prouinciam, quem successorem datum nunciatum erat, militibus ante legitimum tempus vacatione concessa, publicis horreis neglectis, atque elephantis detracto pabulo, aut mortuis prorsus, aut præmacie inutilibus, vires Romanas debilitauit. tantum plerumque in magnis ingeniis obtrectatio valet, inuidiaque. Sed harum rerum merito tamen, redeunti triumphus Romæ denegatus est: alioqui debitus ob rerum gestarum amplitudinem. Ergo Q. Pompeius Cos. in Citeriorem Hispaniam venit, anno ab Vrbe condita sexcentesimo tertio decimo, quo tempore Seruilus in Vltiori Hispania, nimirum imperio prorogato, Canobam prædonum Ducem se dedentem in fidem accepit. Viriatum Baciæ urbis obsidionem soluere, & in fuga salutem ponere cogit. Hostis fuga, multa eo tractu oppida, abiecta defensionis spe, deditionem fecere. Summæ diligentis disciplinæ seueritas adiuncta, omnibus Canobæ fociis, & quingentis præterea captiuis quoniam Romanorum castra fidemque deseruerant, amputatæ manus magnitudine supplicii terrere alios sperabat. Sed ex ea re tamen prouincialium animis magis irritatis, quam territis, magna rerum commutatio facta est. Erat Erisana vrbs in fide Viriati. in eam à Romanis obsessam noctu is deceptis vigiliis sese intulit, & sequenti luce in hostes inopinantes impetu facto, cæcos in fugam compulit. Iidem cum ex fuga locum non satis munitum tenuissent, essetque omnibus pereundum, venisse tempus ratus honestis conditionibus paciscendi cunctos conseruauit fœdere facto: ex quo Viriatus quidem amicus populi Romani vocatus est: eius autem militibus & confœderatis, quæ occupauerant obtinebantque, omnia concessa. Hoc fœdere, quo Romani imperii maiestas fugillata est, Q. Seruilus Cepio, qui Romam à fratre Seruiliano nuncius missus erat, accusando identidem atque vituperando, in sequentem annum, qui fuit ab Vrbe condita sexcentisimus quartus decimus, adeptus consulatum in Vltiorem Hispaniam venit, iussus à senatu fœdus cum Viriato quamprimum violare abrumpereque, quasi imperii maiestate indignum, neque publico consensu factum. Quo minus arbitror Romæ fuisse probatum, quamuis Appiano contra affirmante.

614.

Viriatus occisus. C A P. V.

QVINTVS Pompeius iis incommodis impeditus, quæ à Metello inuidia erant allata, neque præterito anno, neque præsentis magna parte (nam biennium Citeriorem Hispaniam tenuit) aliquid memorabile gessit: & prouincia pacata bellorum erat materia sublata. Seruilus autem in Bætica ad Arsam urbem Viriatum fugatum in Carpetaniam vsque secutus est: vbi is tanquam ad pugnam explicata acie, atque equitatu in primo agmine collocato, hoste distento pugnae expectatione in proximas sylvas montesque pediatu dilapso, eodem equitatum qua consueuerat celeritate subductum incolumem seruaui

Cos.

Cos. & dimicandi & consequendi hostem spe depulsus in Vectones & Calæcos penetrare constituit, ubi scelerum licentia erat, & cædibus atque latrocinis cuncta miscebantur. Ad eum Viriatus & belli diurnitate fessus, & sociorum fidei diffusus magis quam Romanorum metu, tres de pace legatos misit. Hos Consul benigne acceptos, & officiosis in præsens delinitos muneribus, atque magnis in posterum promissis oneratos, hortatur suadetque uti Viriatum incautum opprimant: seque militia tam exercita, patriam, tot malis eripiant. Illi ut sunt infidæ prauorum hominum societates, facile inducunt in animum sui Ducis capite incolumitatem redimere. sic datis palam à Consule de pace mandatis descendunt, Viriatumque spe fœderis delusum, incautumque noctu in strato dormientem opprimunt, virum meliori fortuna dignum. Qui ex obscuro tenuique loco animi magnitudine tot annis Romanos bello fatigauit, neque aduersis rebus fractus, neque secundis incautus. cum armis petitus varia fortuna pugnasset, dolo suorum cecidit, liberator prope modum Hispaniæ: & qui non primordia populi Romani lacefferit, sicut alii Duces, sed florentissimi imperii maiestatem. Funus sequenti luce deprehenso facinore magis caritate suorum quam apparatu celebre fuit, hastis concursum inter milites est, & multæ pecudes mactatæ. parricidæ Romam elapsi, cum à Patribus facinoris præmium postulassent, responsum: nunquam senatui Populoq; Romano placuisse Ducem à militibus trucidari. Sunt enim proditores inuisi, etiam iis quos anteponunt: & pœnas sæpe dant, vnde præmium sperabant. Successit Viriato Tantalus, impar industria, virtute, auctoritateq; breui deditioe facta cum suis omnibus in Consulis fidem receptus est. His & cæteris Lusitanis arma detracta, & agri dati sunt, ut terræ cultu distenti, & rei familiaris tenuitate oppressi, rebellandi penitus abiicerent siue cogitationem siue facultatem.

Numantinum bellum renascitur. C A P. VI.

ANNO eodem ab Vrbe condita sexcentesimo quartodecimo, nimirum Olympiadis centesimæ sexagesimæ anno primo, graue malum Hispaniæ, Numantiæ denuo armata bellumque hac occasione maiore mole est renatum. Erant Celtiberi sub Romanum iugum missi Metelli virtute, soli Numantini & Termetini (triginta sex passuum millibus ab vrbe Numantia ad Occasum siti erant, quo nunc loco sacrarium Virginis matris ceruitur Tiermes nomine) superioris fœderis beneficio libertate incolumi socii & amici populi Romani vocati erant. Q. Pompeius ne otio penitus marcescere nihilque agere videretur, harum vrbiū libertatem opprimere cogitabat. Honestæ causæ querenda erat, optima visa est Segedanum (hi in Belis erant Numantinis finitimi, hodieque Seges oppidum est Soriam inter & Vxamam) ad Viriatum auxiliis missis, Romani imperii maiestatem violasse: & cum suæ munitioni diffiderent siue supplici metu, siue aliqua alia de causa, à Numantinis mœnibus fuisse receptos. benignitas crimini data. Missi Numantia qui Pompeio factum excusarent, cum ignominia repulsi. Errore cognito, Segedanorum patrociniū & amicitia, ne Romanos offenderent renunciantes, cum nouis Legatis Pompeium de fœdere instaurando, quod cum Graccho factum erat, appellassent, Numantinis cum Romanis vllam fœderis conditionem fore nisi positis armis, Pompeius negauit. Ergo bellum necessario susceptum est, ut armis tuerentur arma, quæ hostis per iniuriam vna cum libertate extorta de manibus cupiebat. Delectu habito, octo millia pedites, equites duo millia inuenti. exiguus numerus, verum viuida virtus, hostiumque multitudini non omnino impar. His copiis Megara magno vsu Dux cum potestate præfectus. Pompeii castra breui prope Numantiam posita, in quibus pedites triginta millia erant, equites duo millia. Hos Numantini è vicinis collibus identidē irruptionibus fatigare. Dispalatos locis omnibus carpere, vniuersæ pugnae discrimen vitare, cum signa Romanorum inferebantur locorum notitia periculum deuitantes, totiusque certaminis aleam subire detrectantes. Pompeius irritò in Numantinos conatu Termentiam tentare constituit, vnde non minore cum ignominia & maiori aliquanto clade repulsus est. Intra diem vnum triplici Termetinorum eruptione in præruptos montes copias subducere coactus. vnde se præcipientes multi dederunt, ingenti formidine animis præoccupatis: atque ita ut noctem in armis excubarent. Die postero collatis signis dimicatum: neutro victoria inclinante pugnantibus diremit. Pugnatum rursus fuisset, ni Pompeius sequenti nocte Manliam vrbem petiuisset. id signum perculsi fuit, viresque & animos suorum mora interiecta reparare cupientis. Manlia Romanis dedita, quæ Numantino præsidio tenebatur (hodie Malen esse creditur) Termetini etiam repetita eius vrbis expugnatione ad ditionem accessere. Reliqui erant Numantini. in quos priusquam moueret, in Sedetanis, vbi nunc Cæsaraugusta sita

614.

est, Tanginam prædonum Ducem cum suorum manu oppressit. Inde copiarum retractarum Numantiam, & quoniam obsidio ducebatur, Durii cursum, quo comitatus in urbem vehabatur corruere conati Romani, Numantinorum eruptione multati & ab opere desistere coacti sunt. His incommodis atque Tribuno militum cum suis omnibus trucidato, qui frumentatoribus præsidio veniebat, Pompeius territus, iniquissimo anni tempore infuetum ei caelo militem in castris continuit. Sic magna exercitus parte aut ex morbo consumpta, aut Numantinorum irruptionibus cæsa, consilium mutare quidem coactus, adulta hyeme reliquas copias in vicinas sociorum ciuitates in hiberna deduxit: ad prima autem veris signa, anni ab V. C. sexcentesimo quintidecimo, dum M. Popilii Lenatis Consul expectatur aduentus, cui ea prouincia erat designata, cum Numantinis pax facta Pompeio interpellante, iudicii metu ob res male gestas, an successoris obtrectatione, ne suo periculo alienæ gloriæ seruisse videretur. Numantini belli diuturnitate fessi & ex agrorum intermisso cultu annonæ scæuitia laborantes rem confectam eupiebant. De pacis conditionibus arcano agi placuit, quoniam ignominiosæ erant Romanis. Omnino ne iis subscriberet Pompeius morbum simulauit. In vulgus Numantinis multæ nomine triginta talenta imperata iactatum, ad tuendam Romani imperii & nominis maiestatem confictum prudentiores existimabant. Satis constat Popilii Cos. aduentu de eo fœdere disceptatum fuisse. Pompeio negante vllam à se cum Numantinis pacem factam, illis testimonio primorum è Romano exercitu contra confirmantibus, vtrique ad Romanum senatum à Cos. reiecti. libido amplius quam æquitas Romæ valuit, inter varias Patrum sententias illa obtinuit, quæ Numantinis denuo bellum denunciabat.

Mancini fœdus cum Numantinis.

C A P. VII.

615. **I**NTEREA Popilius Cos. Lusitanibus, qui Numantinis erant finitimi, nullo operæ pretio tentatis, in alterum annum ab Vrbe condita sexcentesimo sextumdecimo, imperio prorogato à Numantinis ipse quidem victus & fugatus est. D. autem Bruto, cui Consuli eodem anno Vltior Hispania erat destinata, Viriati Veterani milites concessa venia atque agris ad habitandum Valentiam condiderunt. Edetanorum Valentiam quidam putant, viris valentem atque armis: resistunt alii cum in Citeriori Hispania sita sit, & Valentiam Alcantaræ potius credunt propter locorum vicinitatem, aut quæ supra veterem Lusitaniam à Minio flumine nomen habet, Tudæ obiecta, cui nos opinioni accedebamus. Proximo anno ab Vrbe condita sexcentesimo septimodecimo Bruto imperium prorogatum est. C. Hostilius Mancinus Consul in Citeriorem Hispaniam destinatus, castris ad Numantiam positus sæpe acie victus, atque animo fractus, tandem Vaccæorum & Cantabrorum aduentu nunciato, qui auxilio Numantinis veniebant, veritus vt par esset vtrisque, noctu per occultam tesseram profectioe denunciata in pacata discessit, atque in loca munita, qua parte non traditur, certe vbi Fuluius Nobilior ante aliquot annos statiuæ habuerat. in vrbe non ante biduum hostium discessus cognitus est, cum festos dies ciues agerent nulla armorum cura. Accidit vt vnus virginis coniugium duo iuuenes ambirent. Orta ex amoris contentione audacia conuenit, vt in hostium castra egressis, qui prior hostis occisi dextram retulisset, ei præmium optatæ nuptiæ essent. Nullo ii hoste inuento, castra esse vacua renunciarunt, curriculo in urbem regressi. Reliqui nuncio læti Romanos eisdem vestigiis consecuti, priusquam munitio castrorum esset perfecta: commutata belli ratione à quibus obsessi fuerant eosdem obsidere cœperunt. Cos. salute desperata ad sancendum fœdus animum adiecit. quo ex fœdere quoniam Numantinis libertas manebat incolumis, sociique atque amici vocabantur, post tot iniurias, Romani imperii gloria obscurari videbatur, cum vnus vrbis virtuti concederet imperium orbis terrarum. Fœdere necessario magis quam honesto sanciendo Tiberii Gracchi gratia atque auctoritas ob memoriam videlicet Sempronii patris multum contulisse creditur, Romana castra secuti, flectendis ad misericordiam Numantinorum animis, periculo procurando. Verum Romæ iis rebus nunciatis, continuo Mancino in Urbem reuocato, Æmilius Lepidus in collegæ locum substitutus est belli Dux, vindex iniuriæ. Aduersus eas molitiones missi etiam Numantia Legati cum fœderis tabulis, si minus senatui probassent, iussi exercitum postulare vt dederent, nimirum fœderis pacisque specie ab exitio conseruatum. Re in senatu agitata, cum neque fœderis ignominiam pati vellent, & æqua Numantinos petere iudicaret, Mancinum dedi mandarunt, violati fœderis religione satis se exolui eius calamitate existimantes. Tiberio Graccho venia data, fœderis auctori atque interpreti, quoniam alieno imperio noxaque peccasse iudicabant. sororii Scipionis id gratiæ & auctoritati datum vulgo interpretabantur procliu ad credendum peiora persuasione homines. Atque hæc Romæ.